Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio III.
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція III.

EPISTOLAE

FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVYCZ

METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI

(1762-1778)

PARS I

COLLEGIT, PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1967

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA)

ANNO CCCL A PRIMO CAPITULO GENERALI BASILIANORUM

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III

Sectio III:

DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE

CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA

EPISTOLAE METROPOLITARUM, ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM

VOL. V

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVYCZ
METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI

(1762-1778)

PARS I

ANNO CCCL A PRIMO CAPITULO GENERALI BASILIANORUM REVOLUTO

ROMAE

Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio III.
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція III.

EPISTOLAE

FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVYCZ

METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI

(1762-1778)

PARS I

COLLEGIT, PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1967

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA)

ANNO CCCL A PRIMO CAPITULO GENERALI BASILIANORUM

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 28. VII. 1967.

P. PAULUS P. MYSKIW, OSBM
Vicarius Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 3. IX. 1967.

✠ ALOYSIUS Card. Vicarius

Scuola Grafica Salesiana Pio XI - Roma - Tel. 727.819 (1967)



STEMMA ORDINIS BASILIANI S. JOSAPHAT

DIE XX IULII

1617 - 1967

ANNO . CCCL . A PRIMO . CAPITULO . GENERALI

NOVOGRODOVICENSI

QUO . COMMUNITAS . BASILIANORUM

IN UNUM . COALUIT . CORPUS

REVOLUTO

HOC . VOLUMEN . DOCUMENTORUM

IN

MEMORIAM

DICAT

BASILIANORUM ORDO

PRAEFATIO

Gressu quidem lento series Epistolarum Metropolitarum Kiovensium Catholicorum *ulterius progreditur. Praesenti volumine periodum sat difficilem aggressi sumus, quae una ex parte documentis scriptis, ex altera vero eventibus momentosis abundat. Periodo hac Ecclesia Unita in terris Ucrainae et Bielarusjae testimonia praebuit catholicitatis et fidelitatis.*

Praesenti volumine Lectori sat copiosam messem documentorum obtulimus, ut, aliis quamplurimis notitiis bio et bibliographicis adhibitis, sibi iudicium iustum et aequum de eventibus et personis efformet. Nihil proinde subtacuimus, nihil pratermisimus, nulli favimus parti, ut veritas historica et aequitas ac iustitia eo clarius triumphet.

Documenta nostra ea sane aetate in lucem prodeunt, qua mens et opera oecumenica magis magisque in orbe christiano diffunduntur. Proinde nostrum etiam laborem, hoc eodem spiritu ducti, christianis ad pacem et unitatem anhelantibus offerimus, quae nisi veritati et humilitati innitetur, duratura esse non potest.

Dissensiones et contentiones, quae inter christianos vigent, non ex sola theologia, sed potius ex historia proveniunt semperque novas sumunt vires et vigorem. Rerum historicarum studiosis proinde ius est et obligatio, ut historia melius cognoscatur et rectius explicetur, ut charitati et christianae humilitati via paretur ac tandem aliquando etiam veritas clarius pateat. Huic fini in nostra Ecclesia assequendo iam inde a tribus lustris insudamus.

Dum hodie ipsa natura ecclesiasticae unitatis consideratur, praesens volumen cuiusdam momenti esse censemus, quo documenta praebeantur de ipso cardine Unionis Berestensis seu de Metropolita Kioviensi eo precise tempore, quo fratres a nobis seiuncti acrius contendere ceperunt, saeculo XVIII exeunte. Hac luce collustrati, hoc volumen fidenter offerimus.

Dum finem praesenti editioni imponimus, ecce CCCL vertitur anniversaria dies, ex quo praesentis Collectionis documentorum auctores, Basilianorum nempe sodales recolent memoriam primi Capituli Generalis in Metropolia Kioviensi celebrati, quo in unum coaluit corpus et opus—mens, voluntas et opera plurium. Ab anno nempe 1617 *incipit historia Ordinis Basiliani in Metropolia Kioviensi, ex quo « Josephus Velamin, pluribus eiusdem Ordinis monasteriis, quae antea segregata degebant, ad Unionem redactis, unam ex eis Monachorum Congregationem efformavit, quam de nomine supradicti monasterii Congregationem SS. Trinitatis Unitorum nuncupavit »* (*Benedictus XIV,* Inter plures, *an.* 1744), *unde horum monachorum « Or-*

dine vigente, Ruthenorum viguit Ecclesia » (*Leo XIII*, Singulare praesidium, *an.* 1882).

Hac eadem die XX Iulii anno 1617, *gratia Spiritus Sancti invocata, duce Josepho Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensi totiusque Russiae, praeeunte Sancto Josaphat, Archimandrita Vilnensi, omnes unanimiter statuerunt in unum Corpus monasticum unamque Congregationem congregari, unde vigere cepit Ordo viguitque Ecclesia Unita.*

Hanc diem in memoriam revocando, tercentesimaquinquagesima vice filii opus patrum confirmant et affirmant.

Romae, die 20 *mensis Iulii* 1967
In festo S. Eliae prophetae.

« Analectorum OSBM » Redactio

INTRODUCTIO

Inde ab anno 1752 activitas Feliciani Philippi Wolodkovycz limites eparchiae Chelmensis, sibi inde ab anno 1731 commissae, transgressa est, ut toti Ecclesiae Unitae bono et emolumento sit, auxilia praebendo senio laboribusque fracto Metropolitae Floriano Hrebnyckyj (1748-1762).

A die 18 Aprilis 1762 Felicianus Wolodkovycz in sede metropolitana Kioviensi succesit, quam usque ad diem 12 Februarii 1778, difficillimis sane temporibus, rexit et gubernavit, tum ipse tum Coadiutorum suorum opera adhibita.

Totam hanc periodum plus quam 25 annorum in unam seriem colligere pro posse statuimus, quam duobus voluminibus expedire necesse est, ob magnam documentorum molem et numerum.

Proinde volumen V et VI *Epistolarum Metropolitarum Kioviensium Catholicorum* Feliciano Wolodkovycz dicavimus.

Volumine primo seu in parte prima inveniuntur documenta Wolodkovycz, praesertim annis 1752-1772 data. Huic seriei documenta quaedam biographica praemisimus, simul cum brevi biographia.

Secundo volumine seu parte altera epistolarum Feliciani Wolodkovycz omnia alia comprehendi documenta, inde ab anno 1773 usque ad eius obitum, mense Februario 1778, adnexo *Indice nominum et rerum* generali omnium documentorum, quae duobus voluminibus constant.

Dum una ex parte opportunum non fuit visum ut omnia documenta uno eodemque libro comprehendatur, ex altera vero utilius videbatur, ut saltem uno eodemque *Indice* omnia connexa et adnexa Lectori prostarent.

Quod modum methodumque editionis spectat, nihil videtur necessarium, praeter ea quae iam in aliis voluminibus ad abundantiam dicti sumus.

Quoad adnotationes utile est ut notemus, nos tantummodo res omnino necessarias adnotasse; de aliis quamplurimis videant rerum historicarum studiosi viri.

De ipsis vero documentis dicendum manent sequentia: a) agitur hic tantummodo de documentis Romae asservatis, aliis omnibus exclusis; b) ex variis documentis quae res Metropoliae et Metropolitae Kioviensis tunc temporis spectant, solum ea selegimus, quae ab ipso Metropolita exarata vel subscripta inventa sunt, aliis ad alia volumina remissis, praesertim varias supplicationes nomine eius Sedi Apostolicae datas (cfr. *Supplicationes Ecclesiae Unitae,* vol. III et IV); c) documenta Wolodkoviciana propter characterem negotiorum in variis Archivis dispersa sunt quaerenda, nec facile haberi possunt: si quae nostram attentionem aufugerunt, suo

tempore in *Epistolis Episcoporum* quaerenda sunt; d) cum de prima editione harum epistolarum agitur, nobis omnino conscii sumus, nos in nostra Collectione omnino perfecti esse non valemus nec possumus.

His praemissis nunc ad ipsa documenta Lectorem remittimus, nihil sibi, multum Ecclesiae, et omnia veritati quaerendo.

Deo - gloria, hominibus - bonum, editoribus - laus, nobis vero - in tranquillitate conscientiae pax, ex opere perfecto et volutante Dei adimpleta.

FELICIANUS PHILIPPUS WOLODKOVYCZ

I. Brevis biographia

Felicianus Philippus W o l o d k o v y c z natus est die 6 Junii 1697 in Lithuania, in dioecesi Vilnensi, parentibus nobilibus: Dominico et Theresia, sanguine cum opulentissima et potentissima familia lithuana Radziwill iuncta. Studiis tunc temporis familiis nobilium hominum suetis absolutis, ingressus est Ordinem Basilianorum Provinciae SS. Trinitatis Lithuanae, et iuvenis 24 annorum missus est, novitiatu absoluto, Brunsbergam ad studia ecclesiastica in Pontificio Collegio peragenda. Ingressus est Collegium Brunsbergense die 6 Septembris anno 1722, praescriptum vero iuramentum alumni pontificii emisit die 14 Martii 1723. Sed duobus annis post ingressum Collegium absolutis, « expeditus est in Provinciam suam ob aegram valetudinem, a qua iudicio medicorum liberari non poterat ob male faventem auram », ut referunt Chronica Collegii Brunsbergensis, et ideo iam die 25 Octobris 1724 in patriam est reversus, iuvenis 26 annorum.

In patriam reversus et ordinibus maioribus susceptis ad Collegium Basilianorum Volodimirense missus est, ubi mox Vicarium monasterii et Collegii egit, donec post breve tempus translatus est Lublinum, in Superiorem huius residentiae religiosae in eparchia Chelmensi sitae; sed iam anno 1730 promotionem accepit in Archimandritam Dubnensem Dermanensem et S. Crucis in Volhinia, a Metropolita Kioviensi benedictus. Anno tamen 1731, Episcopo Chelmensi unito Josepho Levyckyj vita functo, Felicianus in Episcopum Chelmensem consecratus fuit iure metropolitico; consecrationem vero episcopalem e manibus sui Metropolitae Unioviae accepit et, in eparchiam profectus, plenus zeli et virium totus se dedit regimini pastorali, prout attestant eius collaboratores, aliique testes imo etiam monastici tyrocinii contubernales (processus an. 1752).


Visitationibus pastoralibus totam eparchiam peragravit, bona ecclesiastica recuperavit et in meliorem et efficaciorem disposuit formam, et tandem inde ab anno 1735 exstructioni novae ecclesiae cathedralis manum apposuit, quam a fundamentis erexit et in splendidam eduxit formam, cui mox etiam residentiam episcopalem adiunxit, propriis etiam non parcendo sumptibus familiaribus. Revera his temporibus et usque ad annum 1752 suae unicae sponsae, Ecclesiae Chelmensi vixit ed deditus fuit. Erat enim haec periodus in historia Ecclesiae Unitae aurea, decretis Synodi Zamostianae ad plenum vigorem educta.

Viginti fere annis expletis in regimine eparchiae Chelmensis, anno 1752

Metropolita Kioviensis Florianus Hrebnyckyj, aetate et infirmitatibus fractus, Felicianum sibi in Coadiutorem Metropoliae assumere statuit et eidem privilegium regium procuravit. Processus coram Nuntio Apostolico Alberico Archinto anno 1752 Varsaviae institutus, optimum reddidit testimonium episcopo Chelmensi eiusque dotes non communes plenis votis confirmavit et unanimiter edixit: « eius successionem futuram utilem eidem Ecclesiae et Dioecesi fore ». Coadiutoria Wolodkovycz Varsavia feliciter expedita, Romae tandem fere quatuor per annos expectare debuit, varias ob causas. Hoc enim tempore in Regno Poloniae quaedam familiae Magnatum praevalere ceperunt, sese in res politicas graviter immiscendo, quibus persona Wolodkovycz non placuit; etiam Hierarchia Unita ob elusam electionem Coadiutoris murmurabat et in contrarium instabat; Romae causa bonorum Polocensium cum P.P. Societatis Jesu agitabatur, et quaestio transitus ad ritum latinum, a Hierarchia Unita mota, pluribus ecclesiasticis et saecularibus viris Poloniae et Lithunaniae displicuit. Haec omnia confirmationem Wolodkovycz difficilem reddiderunt. Sed tandem anno 1756, die 12 Januarii, in consistorio secreto probata fuit et expedita. Wolodkovycz sedem Chelmensem et Archimandirias Volhinenses ad beneplacitum apostolicum retinuit.

Hoc eodem anno Episcopus Volodimiriensis et Berestensis, Theophilus Godebskyj obiit. Iure Synodi Zamostianae administratio eparchiae, sede vacante, ad viciniorem spectabat episcopum, nempe Pinscensem; sed Wolodkovycz iure Coadiutoriae Kioviensis sibi etiam hanc administrationem spectare praetendebat, imo pro translatione ad sedem Volodimiriensem instabat, donec tandem duo post annos, nempe anno 1758, die 22 Novembris in consistorio secreto hanc translationem obtinuit, sede Chelmensi neoelecto episcopo, Maximiliano Ryllo transmissa, simul cum Archimandriis in Volhinia. Quaestio de translatione Wolodkovycz ad eparchiam Volodimiriensem item plurimas procuravit dissensiones sive ex parte canonica sive etiam temporali. Hoc enim tempore ius Metropolitarum Kioviensium translationis episcoporum serio in dubium vocari cepit, et ideo Wolodkovycz translationem auctoritate Sedis Apostolicae petiit et obtinuit, quo casu sententiam iuri metropolitano quoad translationes episcoporum contrariam multum adiuvit. Re ex parte canonica composita, mansit quaestio spolii eparchiae Volodimiriensis post obitum Theophili Godebskyj, ab episcopo Pinscensi praetensi, de quo fere usque ad annum 1762 res agitabatur apud Curiam Romanam, donec tandem soluta est auctoritate apostolica.

Hisce in quaestionibus solvendis tota periodus Coadiutoriae Feliciani Wolodkovycz, vita Coadiuti perdurante, implicata fuit. Tandem die 18 Aprilis anno 1762 Florianus Metropolita supremum obiit diem, tota Metropolia Kioviensi Feliciano Wolodkovycz, Archieparchia vero Polocensi Jasoni Smogorzevskyj relicta. Mors Floriani Hrebnyckyj et successio Wolodkovycz novam aperuerunt periodum in vita Wolodkovycz, quae pacifica non fuit. Iam hoc eodem anno 1762 Wolodkovycz apud Sedem Romanam de gravibus criminibus accusatus fuit nihilque eum iuvit valida plurimorum virorum magnae notae defensio. Brevi hortatorio a Clemente PP. XIII accepto, volens nolens



FELICIANUS PHILIPPUS WOLODKOVYCZ

(1762-1778)

statim Coadiutorem in persona Episcopi Leopoliensis Leonis Szeptyckyj acceptare fuit adstrictus, quem pars adversa novo Metropolitae Kioviensi contraposuit. Hac in re multum politicae familiarum potentium adscribere fas est. Magnates enim poloni fervorem Wolodkovycz in recuperandis bonis ecclesiasticis usurpatis timebant eumque auctoritate Coadiutoris praepedire cupiebant a causis sibi intentandis, praesertim in vastissimis bonis Metropoliae, a plurimis iniuste possessis. Spiritu submissionis ductus, Metropolita hanc humiliationem accepit; sed tranquillitatem in regimine non obtinuit. Nam statim eius adversarii omnem moverunt lapidem, ne, successione secuta, Wolodkovycz simul cum Metropolia eparchiam Volodimiriensem retineret, quam retentionem tantummodo post duos annos obtinuit cum obligatione, ut sibi Coadiutorem in eparchia Volodimiriensi assumeret. Ideo anno 1764 Wolodkovycz secundum Coadiutorem assumere fuit coactus in persona Coadiutoris Pinscensis, Antonini Mlodovskyj, titularis episcopi Turoviensis, cui novum dedit titulum Episcopi Berestensis, Sedis nempe quae cum Sede Volodimiriensi ab immemorabili tempore unita fuit.

Coadiutoribus, invitus, assumptis, ipsis tamen ulla dedit iura neque in temporalibus, solis titulis concessis. Inde fons continuus dissensionum inter Metropolitam et Coadiutores creatus fuit, qui tandem plurimos dolores ei procuravit toto regiminis sui tempore, quinque abhinc annis a metropolia suscepta. Interim tamen ipse, eius Coadiutores et tota Hierarchia Unita aliis gravissimis occupata mansit negotiis Ecclesiae.

Inde a temporibus Floriani Hrebnyckyj parabatur nova Synodus Provincialis Ecclesiae Ruthenae ad solvendas plurimas quaestiones ecclesiasticas et obviandum multis difficultatibus vitae religiosae et ecclesiasticae. Inde a Feliciano Wolodkovycz instituta fuit Commissio antesynodalis ad apparandam Synodum, cui praefuit Archiepiscopus Polocensis Jason Smogorzevskyj. Synodus haec anno 1764 praevidebatur celebranda, quam tamen interregnum in Polonia impedivit, post obitum regis Augusti III Saxonis. Novo rege Stanislao Augusto Poniatowski electo, anno 1764, alia vice Synodus indicta fuit in diem 26 Augusti anno 1765. Plurimi tamen aderant quibus Synodi celebratio non placuit, ne Ecclesia Unita novas resumeret vires. Ideo dum iam omnia parata erant, varia obiecta fuerunt impedimenta tum membris futuris Synodi, Metropolita non excluso, tum ipsi celebrationi Synodi, in qua Gubernium Poloniae sese immiscere praetendebat. Hanc ob rem, Sede Apostolica consulta, Synodus dilata fuit ad tempora propitiora, et tandem nunquam iam celebrata est in Metropolia Kioviensi.

Post Synodum frustratam, nova venit calamitas pro Ecclesia Unita, nempe agressio legalis et physica in Ecclesiam Unitam, quae suam existentiam et vigorem omnino defendere debuit. Debilitate Regis et Regni fulti, dissidentes in fide, potentia vicinorum dominiorum adiuti, in damnum Poloniae conspirare ceperunt et aequalitatem plenam in rebus ecclesiasticis cum religione catholica dominante postulare sibi proposuerunt, adhibita auctoritate Comitiorum Regni, in quibus plurimae familiae magnatuum de hegemonia contendebant et aditum interferentiis extraneorum apertum re-

linquerunt imo scienter et volenter procurarunt. Inde anno 1766-1767 Hierarchia Unita multum laborare debuit ut iura sua defenderet contra non Unitos, qui potentia moscovitica adiuti restitutionem plurium ecclesiarum, imo etiam eparchiarum postulabant. Hoc eodem tempore, sub influxu Imperii Rossiaci in partibus Ucrainae quaedam sublevatio popularis contra dominium polonorum excitata fuit, s.d. motus hajdamakorum, qui mox etiam contra Ecclesiam catholicam et praesertim Ecclesiam Unitam arma moverunt. Periodus haec calamitosa per plures protrahebatur annos, donec Gubernium moscoviticum eidem manum suam et auxilium subtraxit, ducesque huius motus illorum sorti et vindictae polonorum reliquit.

Hoc precise tempore, exercitibus extraneis ubique vagantibus in eparchiis Metropolitae, Coadiutores eius sua iura coadiutorialia exigere instantissime ceperunt, favore Regis et Magnatuum fulti. Tandem die 20 Decembris 1767, minis undique pressus, Metropolita instrumenta coadiutoriarum confecit et Coadiutoribus Vicariatum generalem tum in Metropolia tum in eparchia Volodimiriensi cessit, quarta parte proventuum certis sub condicionibus assecurata. Obtenta licentia Varsavia abeundi, Metropolita in longinquas partes suae Metropoliae abscessit et contra violentam extorsionem ex parte Coadiutorum protestatus est apud Sedem Apostolicam. Revera Sacra Congreg. de Prop. Fide executionem coadiutoriarum inhibuit, sed instantibus Coadiutoribus aliisque Secretaria Status Sanctissimi administrationem Coadiutoribus concessit sub praetextu acsi Metropolita extra limites eparchiae et Regni aufugus esset. Nihil valuerunt protestationes et declarationes Wolodkovycz de falsitate huius suae quasi absentiae, et Coadiutores totum regimen spirituale et temporale sibi arripuerunt et exercere ceperunt, Metropolitam eiusque fautores et Officiales ab omni iurisdictione prohibendo. Causa haec usque ad annum 1774 protrahebatur et continuis querelis et lamentelis utriusque partis Nuntiatura Varsaviensis et Sedes Romana resonuerunt.

Tandem anno 1772 a novo Nuntio Apostolico Varsaviensi, Josepho Garampi quaedam concordia attentata et ad effectum deducta fuit, quae dein beneplacitum et confirmationem Sedis Apostolicae obtinuit, Metropolita ex parte in eius iurisdictione redintegrato. Sed ob characterem personalem contendentium nec non ob circumstantias politicas Regni Poloniae usque ad obitum Metropolitae nunquam vera pax et collaboratio obtineri valuit.

Dum anno 1772 res et negotia aliquantulum componi ceperunt, nova supervenit calamitas: Regni Poloniae a dominiis vicinis exdivisio, qua dismembratione politica etiam res ecclesiasticae multa damna acceprunt. Iam inde ab anno 1773 incipit vera persecutio Ecclesiae Unitae, praesertim in partibus orientalibus, seu in Bielarusja et Ucraina. Non Unitis instantibus, et exercitu moscovitico brachium saeculare praebente, incipit destructio Unionis in partibus Ucrainae orientalis, Metropolita in vanum oves suas defendente et protegente. Documenta in nostra collectione Epistolarum exhibita optimum perhibent testimonium huius tristis periodi oppressae veritatis et iustitiae.

In defensione Ecclesiae Unitae ab aggressione non Unitorum ultimos

consumpsit Metropolita Wolodkovycz annos sui regiminis. Tandem communi et universali periculo imminente et instante siluerunt interna dissidia et contentiones de iurisdictionibus et bonis ecclesiasticis. Utraque pars tandem aliquando vires in unum referre cepit, ut conatibus adversariorum obstaret. Immo ipse Metropolita, expleto iam 80 anno vitae, sub finem 1777 anni in partes Ucrainae se contulit, ut clero fidelibusque adstaret et auxilia et consolationem praeberet. Tempore huius visitationis pastoralis Metropolita Felicianus Wolodkovycz tandem supremum obiit diem in civitate Human, in Ucraina, die nempe 12 Februarii 1778, dando locum successioni Leoni Szeptyckyj, inde ab anno 1762 Coadiutori cum futura successione. Hac eadem die etiam Coadiutor Volodimiriensis plenam obtinuit potestatem in sua eparchia, tamdiu expectatam et praetensam. Fatis tamen evenit ut neque primus neque alter diu hac potestatis plenitudine perfrui valuerunt; nam hoc eodem anno Antoninus Mlodovskyj Volodimiriensis, et anno subsequenti ipse Leo Szeptyckyj suprenum obierunt diem et paucis tantummodo mensibus suum Coadiutum superarunt.

Ut tandem omnia breviter recapitulemus, dicendum est: Felicianum Wolodkovycz periodo difficillima vixisse Ecclesiamque Unitam Ucrainae et Bielarusjae rexisse. Et tamen maxima clades Ecclesiae non ab extra sed ab intra procurata est; inimici enim Dei et Ecclesiae dissidia interna excitare valuerunt inter homines ecclesiasticos in se ipsis optimos et valentes, unde vires Ecclesiae ad nihilum fere reductae sunt eo precise tempore, quo maxima unitas omnium virium erat summe necessaria pro Ecclesia defedenda et propaganda. Huius rei status hucusque fere exclusive Feliciano Wolodkovycz adscribitur, et — nostra quidem sententia — iniuste. Usque ad nostra tempora quaedam biographia de Feliciano Wolodkovycz scripta non fuit neque documenta contemporanea in unum collecta, et tamen historiographia decretum suum tulit et quidem Feliciano Metropolitae minus favens. Sententia tamen haec in Tribunali competenti lata non fuit, et proinde tota causa appellabilis est et sententiam Tribunalis superioris iustitiae expectat. Utinam pro bono veritatis et iustitiae Tribunal hoc quam primum constituatur et competenter sententiam suam definitivam enuntiet, cui et nos quaedem iura et documenta suppeditasse gaudemus, praesenti volumine Epistolarum edito.

P. Athanasius G. Welykyj, OSBM

II. Documenta biographica selecta

Brevibus notis biographicis praemissis, quaedam documenta stricte biographica hic alligare utile fore duximus, quae curriculum vitae Feliciani Philippi Wolodkovycz saltem in quibusdam illustrant; de aliis eventibus eius vitae docent documenta ipsa hic collecta, ad quae lectorem remittimus.

1.

Brunsbergae, an. 1724.

Breves adnotationes biographicae ex libro matricularum Collegii Brunsbergensis.

LÜHR G., *Die Matrikel des päpstlichen Seminars zu Braunsberg*: 1578-1798, Braunsberg 1925-6, S. 135, nr. 1132.

Philippus W o l o d k o w y c z
Dominici et Theresiae filius.
Lithuanus, dioecesis Vilnensis.
Annorum 24; venit 6 Septembris 1722; juramentum fecit 14 Martii 1723.
Episcopus Chelmensis, Ordinis D. Basilii; tandem Metropolita.
Nota: Ordinis D. Basilii; expeditus est in Provinciam suam ob aegram valetudinem, a qua iudicio medicorum liberari non poterat ob male faventem auram, 25 Octobris 1724.

2.

Varsavia, 19.IX.1752.

Processus de vita, doctrina, activitate Feliciani Wolodkovycz, iam Episcopi Chelmensis, antequam promoveretur in Coadiutorem Metropoliae Kioviensis.

ASV, *Processus Consistoriales*, vol. 146, fol. 210r-221v.

PROCESSUS

Super vita, moribus, idoneitate caeterisque requisitis Rev.mi D. Feliciani Wolodkowycz, Episcopi Chelmensis et Belzensis Ritus Graeci Unitorum creandi in Coadiutorem cum futura successione (si placuerit SS.mo D.no N.ro) Ill.mo ac Rev.mo Domino Floriano Hrebnicki, Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien. idque ad supplicationem Ser.mi Regis Poloniae, nec

non super Statu ipsius Ecclesiae Metropolitanae Chiovien. et Halicien., coram Ill.mo et Rev.mo Domino Alberico Archinto, Archiepiscopo Nicaeno et Nuntio Apostolico in Regno Poloniae.

c o m p l i l a t u s .

In Nomine Domini. Amen.

Anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Jesu Christi millesimo septigentesimo quinquagesimo secundo, Indictione Romana decima quinta, die vero decima nona mensis Septembris, Pontificatus autem SS.mi in Christo Patris et Domini Nostri Divina Providentia Papae ejus nominis XIV, anno duodecimo.

V a r s a v i a e .

Coram Ill.mo et Rev.mo Domino Alberico Archinto, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopo Nicaeno, SS.mi D.ni N.ri Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis XIV, Praelato Domestico et Assistente eiusdemque et S. Sedis Apostolicae apud Ser.mum Augustum tertium Poloniae Regem Potentissimum totumque Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lithuaniae cum facultatibus Legati de Latere Nuntio, comparens personaliter Rev.mus Dominus Felicianus Wolodkowycz, Episcopus Chelmensis et Belzensis Ritus Graeci Unitorum, exposuit: Quod cum Ill.mus et Rev.mus D. Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Metropolitanus Kiovien. et Halicien. eiusdem Ritus Graeci Unitorum, ob provectam suam aetatem atque debilem valetudinem, ac etiam alias ob causas ad regimen pastorale Coadiutore sui Archiepiscopatus Metropolitani indigeat et ad eum finem per suas. Literas in personam sui comparentis consenserit, seque comparentem in huiusmodi Coadiutorem cum futura successione eligendo ac pro se sic electo Ser.mus Rex Poloniae decreverit supplicare et supplicaverit SS.mo D.no N.ro Papae pro sui comparentis in Coadiutorem deputatione et approbatione; ideo ea, qua decet, reverentia institit apud Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam, ut Processum inquisitionis super vita, moribus et idoneitate aliisque requisitis eiusdem Rev.mi Domini Comparentis et super Statu Ecclesiae Kiovien. et Halicien. formare dignaretur, iuxta S. Concilii Tridentini Decreta et Constitutiones fel. rec. Gregorii XIV, ad hoc ut Sanctitas Sua bene informata ex eius et S. Sedis Apostolicae benignitate et gratia de Coadiutore Archiepiscopatus Metropolitani Chiovien. et Halicien. possit et valeat providere.

Qui Ill.mus et Rev.mus D. Nuntius Apostolicus antedictus, petitionem huiusmodi, utpote rationi consonam, admisit, et cum sibi constet de praedictis electione et consensu Ill.mi et Rev.mi Archiepiscopi Metropolitani Chiovien. et Halicien., nec non de supplicatione Ser.mi Regis Poloniae dictum Processum confici, juramenta et depositiones Testium per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam ex officio vocandorum, et super Interogatoriis porrigendis examinadorum recipi, caeteraque omnia necessaria et opportuna fieri, ac per me Notarium et Vicecancellarium infrascriptum rogari, ac omnia et singula in publicam forman et in publicum Instrumentum et do-

cumentum redigi mandavit, ut ita redacta suis loco et tempore ad praefatum Sanctissimum Dominum Nostrum Papam transmitti valeant.

INTERROGATORIA SUPER QUALITATE ET REQUISITIS REV.MI D. FELICIANI WOLODKOWICZ, Episcopi Chelmen. et Belzen. Ritus Graeci Unitorum dandi (si SS.mo D.no N.ro placuerit) ad supplicationem Ser.mi Regis Poloniae in Coadiutorem cum futura successione Ill.mo et Rev.mo D. Floriano Hrebnicki, Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien.

1-o: An, quomodo et a quo tempore Testis cognoscat Ill.mum et Rev.mum D. Florianum Hrebnicki, Metropolitanum Chiovien. et Halicien.?

2-o: An sciat ipsum adversa valetudine aut aetate impediri, quominus exequi possit, quae sui officii sunt, et quae sit causa scientiae?

3-o: An et ob quam causam necessarium existimet, ut illi detur Coadiutor in dicta Ecclesia Metropolitana Chiovien. et Halicien. cum futura successione?

4-o: An idem Testis cognoscat Rev.mum D. Felicianum Wolodkowicz, Episcopum Chelmen. et Belzen. Ritus Graeci Unitorum in Coadiutorem, ut supra, dandum, quomodo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, mimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus?

5-o: An sciat ipsum munus consecrationis suscepisse et quae sit causa scientiae?

6-o: An sciat per quot annos praesit Ecclesiae Chelmen. et Belzen. et quae sit causa scientiae?

7-o: An sciat eum in sua Dioecesi Chelmen. assidue residere, et quae sit causa scientiae?

8-o: An sciat eum diligenter et saepe dictam suam Chelmensem Ecclesiam et Dioecesim visitasse, opportune omnibus necessitatibus occurisse, et providisse, eius Decreta et mandata debitae executioni demandari curasse, et quae sit causa scientiae?

9-o: An sciat eum saepe solemniter celebrasse, Ordiniationes iuxta necessitatis exigentiam habuisse, Confirmationis Sacramentum ministrasse, caeteraque Pontificalia exercuisse, et quae s.c.s.?

10-o: An sciat eum pietatis, charitatis, et prudentiae in gubernando specimen dedisse et verbo ac exemplo profecisse, et quae s.c.s.?

11-o: An sciat eum prudenter ubilibet, et diligenter se gessisse in defendendis, conservandis, protegendis jurisdictionibus, spirituali et temporali, Juribus et bonis omnibus suarum Ecclesiarum, et quae sit causa scientiae?

12-o: An sciat vere ea doctrina ipsum ad praesens pollere, quae in Episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, et q.s.c.s.?

13-o: An sciat, quod eo tempore, quo Ecclesiae a qua est transferendus praefuit et toties quoties debuit, visitaverit limina SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ad formam const. fe. rec. Sixti Papae V, anno 1585, XV Kalend. Januarii, Pontificatus sui anno primo editae, et quae sit causa sc?

14-o: An sciat, quod idem Rev.mus Transferendus seu Coadiutor deputandus adimpleverit omnia Decreta, quae in Bullis suae Provisionis fue-

runt ipsi iniuncta, et an utrumque Sacrarium Sacra suppellectili sufficienter instruxerit, vel Ecclesiam Cathedralem seu Domum episcopalem reparationibus pro viribus incubuerit, aut Praebendam Theologalem seu Poenitentiariam, vel Seminarium instituerit, Montemque Pietatis erigi curaverit, et quae sit causa sc.?

15-o: An dignum eum existimet, qui deputetur in Coadiutorem Ill.mo et Rev.mo D.no Archiepiscopo Metropolitano Chioviensi et Haliciensi, et an censeat (si casus contingat) eius successionem ipsi Metropolitanae Ecclesiae Chioviensi et Haliciensi utilem et proficuam fore, et quare ita censeat et existimet?

INTERROGATORIA SUPER STATU ECCLESIAE KIOVIEN. ET HALICIEN.

1-o: An Testis sciat in qua Provincia sita est civitas Kiovien. et Halicien., cuius qualitatis et magnitudinis sit, quot confletur domibus, et a quot Christifidelibus inhabitatur, cuius dominio in temporalibus subjaceat, et quae sit causa scientiae?

2-o: An sciat in illa civitate esse Ecclesiam Metropolitanam, sub qua invicatione, cuius structurae et qualitatis, an aliqua reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae.

3-o: An sciat quot Episcopos Suffraganeos habeat, et quae sit c.s.?

4-o: An sciat quot et quales sint in dicta Ecclesia Dignitates, canonicatus et alia Beneficia Ecclesiastica, quis sit numerus Presbyterorum et Clericorum ibi in divinis inservientum, quae sit dignitas major post Pontificalem, qualis sit redditus Dignitatuum, Canonicatuum et aliorum Beneficiorum, et an adsit Praebenda Theologalis et Poenitentiaria, et quae sit c.s.?

5-o: An in ea cura animarum exerceatur, per quem, an sit in ea fons baptismalis, et quae sit causa scientiae?

6-o: An habeat Sacrarium sufficienter instructum sacra suppellectili caeterisque rebus ad divinum cultum, et etiam Pontificalia exercenda necessariis, Chorum, Organum, Campanile cum campanis, caemeterium, et quae sit causa scientiae?

7-o: An sint in ea corpora, vel aliquae insignes Reliquiae Sanctorum, quomodo asserventur, et quae sit causa scienticae?

8-o: An habeat Domum pro Archiepiscopi seu Metropolitae habitatione, ubi, et qualem, quantum distat ab Ecclesia, et an reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

9-o: An sciat verum valorem reddituum Mensae Archiepiscopalis seu Metropolitanae, ad quam summan annuatim ascendant, in quibus consistunt, an sint aliqua pensione onerati, ad cuius vel quarum favorem dicta pensio est reservata et quae sit causa sc.?

10-o: Quot existant in dicta civitate Ecclesiae Parochiales, et an unaquaeque habeat fontem baptismalem, quot item existant in illa Collegiatae, quot monasteria virorum et mulierum, quot Confraternitates et Hospitalia, et an ibi sit Mons Pietatis, et quae sit causa scientiae?

11-o: Quantum sit ampla Dioecesis Kiovien et Halicien, quot et quae loca complectatur, et quae sit causa scientiae?

12-o: An in ea erectum sit Seminarium, quot in eo aluntur pueri, et quae sit causa scientiae?

DIE DECIMA NONA SEPTEMBRIS 1752.

Examinatus fuit per Ill.um et Rev.mum Dominum Nuntium Apostolicum in camera solitae audientiae suae Ill.mae et Rev.mae Dominationis Perillustris Adm. Rev.dus Joannes POMORZKANT, Vicarius in spiritualibus et Officialis Generalis Chelmensis Ritus Graeci Unitorum, aetatis suae annorum 55, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, ac delato sibi juramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae et Rev.mae tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate Rev.mi D. Feliciani Wolodkowicz Episcopi Chelmensis et Belzensis Ritus Graeci Unitorum, deputandi (si SS.mo D.no N.ro placuerit) in Coadiutorem Ill.mo et Rev.mo D. Floriano Hrebnicki Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien. dixit et deposuit, prout infra, videlicet:

Omissis primis tribus interrogatoriis, ex quo Testis non habet notitiam Ill.mi Metropolitani.

Ad 4-um: R.t.: Cognosco Ill.mum et Rev.mum D. Felicianum Wolodkowicz, Episcopum Chelmen, et Belzen. ad annis viginti et continuo cum ipso sum conversatus, ex quo sum ipsius Vicarius in spiritualibus et Officialis Chelmen. Non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, non nimium familiaris, inimicus, aemulus nec odiosus.

Ad 5-um: R.t.: Scio ipsum munus consecrationis in Episcopum suscepisse Leopoli a p.d. Szeptycki, Metropolitano totius Russiae, et dicto actui consecrationis praesens interfui.

Ad 6-cum: R.t.: Scio ipsum ab annis viginti esse Episcopum Chelmen., ex quo interfui ipsius consecrationi, et varia munia in dicta Dioecesi Chelmensi obivi, stante ipsius jurisdictione Episcopali.

Ad 7-um: R.t.: Scio ipsum assidue in Chelmensi et Belzensi Ecclesiis et Dioecesibus suis residere, nisi negotia earundem Eccleriarum et Dioecesum, ex hac Dioecesi ire ipsum cogant, vel ad Tribunalia Regni pro defensione jurium et bonorum ecclesiasticorum, et hoc mihi constat, ex quo et modo sum Vicarius in Spiritualibus in eadem Dioecesi Chelmensi, et in antea Decanus foraneus existebam, ita ut haec mihi manifesta erant semper.

Ad 8-um: R.t.: Scio una vice ipsummet utramque Dioecesim visitasse, secundariam vero visitationem, quam ipsemet inchoavit, in praestantioribus locis, per Visitatores seu Delegatos absolvisse, quorum unus egomet fui, et acta visitationis eius vidi. Scio quoque ipsum opportune omnibus necessitatibus occurrisse, et providisse sustulisseque abusus plurimos, qui irrep-

serunt et practicabantur a Patronis Ecclesiarum laicis, et etiam a clero in praesentationibus ad ecclesias et incapaces a suscipiendis Ordinibus repulisse, curasseque correctionem morum gregis sui, ubi decies repararet; eiusque decreta et mandata debitae executioni demandasse; et haec mihi constant, quia semper sub oculis meis gesta sunt cum ad latus dicti Rev.mi Episcopi assiduo maneam, fueramque etiam aliquoties examinator synodalis.

Ad 9-um: R.t.: Vidi ipsum saepe solemniter celebrantem, ipsique saepius astiti, Ordinationes iuxta necessitatis exigentiam habuisse scio, ex quo aliquoties ipsi ordinanti assistebam; Confirmationis Sacramentum non ipse administravit, quia in Ecclesiae Graecia quilibet Presbyter conferendo Sacramentum Baptismatis una simul etiam confert Sacramentum Confirmationis; caeteraque pontificalia exercuisse, ipsum mihi constat de visu proprio.

Ad 10-um: R.t.: Scio ipsum pietatis, charitatis et prudentiae in gubernando specimen dedisse; quod enim spectat ad pietatem, insigne specimen inter caetera est constructio Ecclesiae Cathedralis satis splendidae et amplae, quam ipse a fundamentis ex solido muro extruxit cum notabili expensa quindecim millium scutorum Romanorum circiter, erogando in eandem partem patrimonii notabilem, reliquam vero partem ex reditibus mensae episcopalis, partim ex eleemosynis cura ipsius collectis, nec sumptibus pepercit pro futuro actu coronationis Imaginis Beatissimae Mariae Virginis Thaumaturgicae, ut dictus actus cum omni solemnitate peragatur. Solet quoque ipsemet praedicare et rudimenta fidei populo explicare, prout interfui aliquoties praemissis, vidique ipsum saepe devote orantem; quantum eius vires patiuntur, tum ex literis pastoralibus ad populum editis, tum ex decretis et dispositionibus ab ipso factis pro regimine gregis suae curae commissi mihi constat ipsum prudenter in gubernando se gessisse, quae animadverti existens prius in numere Decani foranei Chelmensis et modo in numere Vicarii Generalis Chelmensis in spiritualibus; verbo isuper et exemplo ipsum scio profecisse; vidi enim ipsum saepius populum saecularem et clerum cohortantem, ut suae vocationi respondeat, corrigentem et corripientem, si aliquid devium aut reprehensibile invenit, curatque ipse bono exemplo praeesse gregi suo, prout sedulum Pastorem animaruum decet, quae mihi nota sunt ex causa superius allegata.

Ad 11-um: R.t.: Scio ipsum prudenter et diligenter se ubilibet gessisse in defendendis, protegendis et conservandis iurisdictionibus spirituali et temporali, juribus ac bonis tum suarum Cathedralium quam aliarum earumdem Dioecesum ecclesiarum, etenim pro defensione tum Immunitatis ecclesiasticae tum Cleri plures fecit dispositiones prudentes; Immunitatem ecclesiarum et Cleri ibi antea labefactatam ipse omni conatu et viribus tuebatur et tuetur, non parcendo sumptibus ac etiam incommodis itineris, saepe persona sua adeundo tum Magnates, tum Judices, tum Tribunalia Regni, adeo quod nunc clerus in statu meliori et honorabiliori maneat et existat, quod est notorium et publicum.

Ad 12-um: R.t.: Tam ex concionibus ab ipso ad populum habitis, de

quibus superius innui, quam ex discursibus familiaribus ac literis pastoralibus ab ipso promulgatis, tum ex lectura librorum de muniis et obligationibus episcopalibus, quam etiam morales materials tractantium, quam ex examine Parochorum ab ipso quotannis peragi solito, ex resolutionibus casuum constientiae et quaestionum moralium, tum examine ordinandorum quibus soleo interesse, assero ipsum ea doctrina vere ad praesens pollere, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut alios docere possit.

Ad 13-um: R.t.: Quae in hoc interrogatorio continentur, de iis mihi non constat.

Ad 14-um: R.t.: Quae in sua promotione ad episcopatum Chelmensem et Belzensem ipsi fuerunt iniuncta, ipsum adimplevisse scio; etenim Ecclesiam S. Nicolai in Civitate Chelmensi, per Antecessorem eius de muro inchoatam ipsique perficere demandatam, sumptu proprio perfecisse, tum quoque domum episcopalem ex muro aedificasse scio et vidi; Sacrarium ecclesiae Cathedralis Chelmensis (in Belzensi enim episcopatu Cathedr. Ecclesia non adest) sacra suppellectili sufficienter instruxit, prout vidi; De ecclesia Cathedrali iam superius in decimo interrogatorio dixi. Reparationi bonorum episcopalium actu incumbit, ut vidi. Praebenda Theologalis ac Poenitentiaria ac Seminarium non adest, Pueros tamen ad statum spiritualem aspirantes et capaces alit de proprio, tum Chelmae, tum hic Varsaviae, tum in civitate Warezensi, tum apud PP. Scholarum Piarum, quam alibi. Mons Pietatis non adest, quod scio, cum sim ad latus ipsius, et recommendationem eorundem puerorum ego nomine ipsius facio.

Ad 15-um: R.t.: Cum eius pietatem, zelum in divini cultus promotione, tum activitatem et prudentiam in tuitione Ecclesiae, et gubernio suarum Dioecesum, tum amore et respectu apud Magnates, tum affinitate et consanguinitate cum primariis familiis Regni et Magni Ducatus Lithuaniae pollentem existimo ipsum dignum, qui deputetur in Coadiutorem Ill.mo et Rev.mo D. Archiepiscopo Metropolitano Chioviensi et Haliciensi, et censeo (si casus contigat) eius successionem ipsi Metropolitanae Ecclesiae Chiovien. et Halicen. utilem et proficuam fore, tum quippe, quia, prout testatus sum, zelo, pietate, charitate, prudentia praeditus est, ut in dicta Metropolitana Dioecesi majores et frequentiores, quam in Chelmensi et Belzensi Dioecesi occasiones habere possit memoratas virtutes exercendi, et ab erroribus limitrophae schismaticae religionis, sanctam, veram catholicam Romanam fidem promovendi, cum etiam quia insigniores familiae Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, quibus sanguinis nexu coniunctus est, et quarum auxilio in defensione Unionis Sanctae fidei opus est, omne studium suum pro opportunitate casuum sint impensurae.

Deinde ventum fuit ad Interrogatoria super statu Ecclesiae Cathedralis Chioviensis et Haliciensis.

Super 1-o: R.t.: Civitas Chioviensis sita est in provincia Ukrainae Polonae, satis ampla, partim ex muro, partim ex ligno, quot domibus confletur nescio; possidetur et inhabitatur a Schismaticis, et est sub Dominio Mo-

schovitico. Adest ibi Cathedralis ecclesia sub titulo S. Sophiae, et habet suum Metropolitanum Schismaticum, quod notorium est. Cathedralem tamen ecclesiam Metropolitanam Unitus habet Vilnae ex muro, quam modernus Metropolitanus reparavit, sub qua invocatione vero sit, nescio, licet in ipsa fuerim. Civitas vero Haliciensis est in Provincia Russiae Polonae. Parva satis civitas est, quae vix centum domibus, partim ex ligno, partim ex muro constat; inhabitatur a Judaeis; Catholici autem in suburbiis satis pauci habitant; Subjacet in temporalibus Dominio Ser.mi Regis Poloniae. In eadem civitate adest ecclesia Cathedralis ex muro, sub cuius invocatione, nescio, licet in eadem civitate olim fuerim; satis ampla ecclesia, antiquissimae structurae, indiget reparatione.

Super 2-o: R.t.: Iam superius ad Interrogatorium primum dixi.

Super 3-o: R.t.: Sex Suffraganeos Episcopos et duos Archiepiscopos habet nempe Archiepiscopum Polocen. et Archiepiscopum Smolenscen, qui modo vacat, Episcopos Vladimirien. et Luceorien., Chelmen., Leopolien., Premyslien., et Pinscen., et hoc scio, quia causae ex dictis Dioecesibus per appellationem devolvuntur ad Metropolitanum.

Super 4-o: R.t.: In Ecclesia Cathedrali Metropolitana, quae reperitur Vilnae, non adsunt Dignitates, nec Canonicatus, sunt tamen Presbyteri et Clerici Ritus Rutheni Uniti, qui in eadem Ecclesia Divinis inserviunt, qui habent suas fundationes satis sufficientes, quorum numerum nescio, licet eosdem viderim Divinis inservientes. Praebenda Theologalis et Poenitentiaria, prout scio, ibi non adest.

Super 5-o: R.t.: Exercetur cura animarum in dicta Ecclesia per Presbyteros saeculares ad eandem ecclesiam residentes, et fons baptismalis adest, ut vidi.

Super 6-o: R.t.: Sacrarium audivi satis sufficienter per modernum Metropolitanum esse instructum sacra suppellectili caeterisque rebus ad divinum cultum necessariis; pro exercendis vero Pontificalibus adferunt secum Metropolitani sacram suppellectilem quoties occasio exercendi Pontificalia se offert. Chorus est, campanile cum campanis, et caemeterium adest, quae vidi; Organa in nostro Ritu non sunt in usu.

Super 7-o: R.t.: Corpora Sanctorum non adsunt, sed aliquae Reliquiae, non tamen insignes adsunt, quae asservantur decenter in Thecis partim deauratis, partim deargentatis, quas vidi.

Super 8-o: R.t.: Habet domum ligneum pro Archiepiscopi seu Metropolitae habitatione in eadem civitate Vilnensi, tercentum passibus distantem ab Ecclesia; in antecessum indigebat raparatione, prout vidi, sed modo, prout audivi, non mediocrem sumptum impendit modernus Metropolitanus pro reparatione eiusdem domus et Cathedralis ecclesiae.

Super 9-o: R.t.: Redditus Mensae Archiepiscopalis seu Metropolitanae annuatim ascendunt ad praesens ad sex millia quatuor centum scuta Romana, iique redditus consistunt in fructibus fundorum tam in Ukraina Polona quam in Lithunia, partim in subsidio charitativo a Clero in eadem Archidioecesi Metropolitana existente quotannis praestari solito. Nulla sunt

pensione onerati, et hoc scio, quia egomet assumptus fui ad liquidationem eorundem, et collectam pecuniam numeravi.

Super 10-o: R.t.: De Chioviensi civitate iam superius dixi, quod a Moschis possidetur, sed in suburbiis civitatis Vilnensis, in qua civitate existit Cathedralis ecclesia Metropolitana, ut dixi, existunt ecclesiae Parochiales Rutheni Ritus, quarum numerum nescio, unaquaeque tamen, prout vidi, habet fontem baptismalem. Collegiatae in Ritu nostro non sunt. Duo sunt Monasteria virorum, unum unitorum Ordinis S. Basilii Magni, aliud Schismaticorum. Existit in dicta civitate unum monasterium unitarum monialium S. Basilii, quae vidi. De Confraternitatibus, Hospitali, Monte Pietatis nescio.

Super 11-o: R.t.: Archidioecesis Metropolitana Kiovien ampla est multum, et in circumferentia continet centum circiter milliaria germanica. Complectitur Palatinatum Kiovien., Braclavien. et Vilnen., Novogroden., et loca in eisdem existentia, et haec scio, quia in dictis locis fui.

Super 12-o: R.t.: Nescio de Seminario, an sit erectum. De Haliciensi Dioecesi praeter super dicta nihil possum referre, sed audivi ipsam esse in possesione Episcopi Leopoliensis.

Et tunc, finito examine, Ill.mus ac Rev.mus D. Nuntius Apostolicus supradictus testem licentiavit ac dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscriberet, quod fecit ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego Joannes Pomorzkant, Officialis Generalis et Vicarius in spiritualibus Episcopi Chelmensis (mp.).

DIE VIGESIMA PRIMA SEPTEMBRIS.

Examinatus fuit per Ill.mum et Rev.mum D. quem supra Adm. Rev.dus ac Religiosus in Christo Pater Maximilianus RYLLO, S. Th. D., Ordinis D. Basilii Magni Monasterii Chelmensis Superior, aetatis sue annorum 33, prout asseruit, et e aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus et per Dominationem suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi juramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae et Rev.mae tactis etc. iuravit etc., et ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis Rev.mi D. Feliciani Wolodkowicz, Episcopi Chelmen, et Belzen. Ritus Graeci Uniti, dandi in Coadiutorem (si Ss.mo D.no N.ro placuerit) cum futura successione Ill.mo et Rev.mo D. Floriano Hrebnicki, Archiepiscopo Metropolitano Kioviensi et Haliciensi, eiusdem Ritus, dixit et deposuit, prout infra, videlicet:

Ad 1-um: R.t.: Cognosco Ill.mum et Rev.mum D. Florianum Hrebnicki, Archiepiscopum Metropolitanum Kiovien. a sexdecem annis et ultra, manendo quattuor annis in monasterio Polocensi, saepius sum convesatus cum ipso.

Ad 2-um: R.t.: Ante quinquennium vidi ipsum infirmum, qui in pedibus dolorem habuit adeo, ut in incedendo debeat uti fulcimentis ligneis ad brachia, et ad praesens audivi ab aliis, qui viderunt ipsum, non solum non esse liberatum ab eadem infirmitate, imo magis gravatum, et puto etiam ipsum aetate impeditum esse, quominus exerceat ea, quae muneris episcopa-

lis sunt, dum enim ipsum novi iam septuagesimum et ultra aetatis suae annum agebat, et modo dicitur esse octuagenarius.

Ad 3-um: R.t.: Ob praedictam infirmitatem atque provectam aetatem censeo ipsi dandum esse Coadituorem in dicta Ecclesia Metropolitana Kiioviensi et Haliciensi cum futura successione.

Ad 4-um: R.t.: Cognosco Rev.mum Dominum Wolodkowicz, Episcopum Chelmensem, ab annis quindecem; a quinquennio autem proximo saepissime sum cum ipso conversatus, ex quo sum Superior monasterii Chelmensis Ordinis S. Basilii, in civitate Chelmensi siti. Non sum ipsius consaguineus, cognatus, affinis, nec nimium familiaris, inimicus, aemulus, nec odiosus.

Ad 5-um: R.t.: Ex fama audivi ipsum a viginti circiter annis Unioviae consecrationis munus suscepisse, et ex quo ipsum vidi saepius exercentem ea, quae sunt Ordinis episcopalis, credo ipsum dictum munus consecrationis suscepisse.

Ad 6-um: R.t.: Credo ipsum esse Episcopum Chelmensem ab uno supra viginti annos eo, quia ex actis Ordinis nostri apparet id, quod vidi et legi.

Ad 7-um: R.t.: Plerumque assidue residere in sua Dioecesi scio ipsum, nisi vel suae Abbatiae Dermanensi, extra Dioecesim positae, vel negotia suae Ecclesiae Cathedralis et Dioecesis ipsum extra Dioecesim avocent, vel ad suam Abbatiam, vel ad Tribunalia saecularia, et haec mihi constant, ex quo a quinquennio in monasterio Chelmensi resideo, ut supra.

Ad 8-um: R.t.: Scio ipsum diligenter in persona sua semel visitasse Chelmensem et Belzensem Ecclesias et Dioeceses; singulis autem annis per suos delegatos visitare solet; ut mihi constat partim ex Actis Dioecesanis ipsius, quae vidi, partim ex variis relationibus; opportune omnibus necessitatibus suae Dioecesis occurrisse eiusque mandata et decreta debitae executioni demandari curasse scio, et hoc mihi constat tum ex Literis pastoralibus ab ipso ad populum promulgatis, tum etiam ex actis visitationis et Decretis, quae vidi.

Ad 9-um: R.t.: Saepius eundem vidi solemniter celebrantem et ordinationes iuxta necessitatis exigentiam habentem; Confirmationis Sacramentum non solet in Ritu nostro per Episcopos ministrari, sed a quolibet sacerdote dum Baptismatis Sacramentum confert, junctim etiam Sacramentum Confirmationis ministratur; caetera pontificalia ipsum exercentem non semel vidi.

Ad 10-um: R.t.: Scio ipsum pietatis, charitatis et prudentiae in gubernando specimen dedisse, et verbo ac exemplo profecisse, etenim tum ecclesiam Cathedralem a fundamentis de novo ex muro reaedificavit, maxima parte suo sumptu, et etiam ex eleemosynis ipsius cura conquisitis, in quod aedificium ad quindecem millia scuta Romana hactenus impendit, tum etiam pueros orphanos, omni destitutos auxilio, alere pro viribus non praetermittit aliisque pauperibus opitulantem manum solet praebere, prout vidi; tum etiam video sufficientem provisionem in gubernio ipsius Dioecesis, et vidi ipsum monentem populum suum, ut a vitiis abstineat, et ea quae pietatis sunt agat.

Ad 11-um: R.t.: Ex re oculis mihi subiecta, cum a quinque annis in eadem Dioecesi, ut supra dixi, maneo, scio ipsum diligentem esse in tuendis, conservandis, et protegendis jurisdictionibus spirituali et temporali, juribus ac bonis suarum Ecclesiarum.

Ad 12-um: R.t.: Affirmo ipsum ad praesens vere ea doctrina pollere, quae in Episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, et hoc mihi constat ex conversationibus cum ipso habitis, ex Litteris pastoralibus, et ordinationibus variis, ab ipso editis.

Ad 13-um: R.t.: Rutheni Episcopi, quemadmodum literas suae provisionis non ab Urbe sed a Metropolitano eiusdem Ritus accipiunt, non ad Urbem, sed ad ipsum tenentur remittere statum suae Dioecesis, utrum autem modernus Rev.mus Transferendus hoc praestiterit, mihi non constat.

Ad 14-um: R.t.: Credo quod idem Rev.mus Transferendus, seu Coadiutor deputandus, si quid in actu suae provisionis fuerit ipsi iniunctum, adimpleverit. Sacrarium ecclesiae Cathadralis sufficienter Sacra suppellectili instructum vidi; De Belzensi Sacrario nescio. Domum episcopalem Chelmae, quae ex ligno fuerit, ipse ex muro aedificavit, quam vidi. De Cathedrali ecclesia iam superius dixi. De Praebenda theologali, poenitentiaria, ac Monte Pietatis mihi non constat. Seminarium non adest, sed ipse solet clericos ad statum spiritualem aspirantes et capaces suis sumputibus alere, et educare in studiis, sive Chelmae sive Varsaviae, quos vidi.

Ad 15-um: R.t.: Ex supra adductis rationibus et motivis dignum eundem existimo, qui deputetur in Coadiutorem Ill.mo et Rev.mo Archiepiscopo Metropolitano Chioviensi et Haliciensi, et censeo eius successionem (si casus contingat) ipsi Metropolitanae Ecclesiae utilem et proficuam futuram fore, etiam ex eo quod ipse facilius succurreret necessitatibus illius Ecclesiae, quoniam plurimis Magnatibus in Regno et Lithuania sanguine est iunctus, quare majorem accessum et promotionem negotiorum suae Ecclesiae et Religionis habebit.

Deinde ventum fuit ad interrogtoria super statu Ecclesiae Cathedralis Chiovien et Halicien.

Super 1-o: R.t.: Civitas Chiovien sita est in Provincia Ukrainae, ad Moschoviam pertinente, in qua tamen non fui; audivi tamen, quod ibi reperiantur aliqui catholici; quae civitas subest dominio Imperatricis Moschoviae.

Super 2-o: R.t.: Ecclesia Metropolitana adest in dicta civitate sub titulo S. Sophiae ex muro, ut audivi. Vilnae Ecclesia Metropolitana adest ex muro, antiquae structurae, satis ampla, quam vidi; an autem modo indigeat reparatione, nescio; audivi tamen ipsam post incendium, quod Vilnae contigit, repartam esse.

Super 3-o: R.t.: Habet Suffraganeos Archiepiscopos duos, videlict Polocen. et Smolenscen.; Episcopos vero sex, videlicet: Vlodimirien., Pinscen., Chelmen., Luceorien., Leopolien., Praemislien., et haec scio, quia appellationes a dictis Suffraganeis solent devolvi ad Metropolitanum.

Super 4-o: R.t.: Nulla sunt in dicta ecclesia Cathedrali Vilnae sita Digni-

tates, nec Canonicatus; adsunt tamen Praesbyteri saeculares, duo vel tres, ni fallor, circa dictam Ecclesiam, qui ibi in Divinis inserviunt, quorum unus est Parochus ibi, prout vidi sex abhinc annis. De reliquis huius interrogatorii nescio.

Super 5-o: R.t.: Jam superius dixi, quod cura animarum ibi exercetur per Praesbyterum saecularem; de fonte baptismali nescio.

Super 6-o: R.t.: Sex abhinc annis, dum in ecclesia fui, Sacrarium non erat sufficienter instructum; an vero subinde sit sufficienter instructum, non audivi. Quo vero ad Pontificalia exercenda, haec ibi non asservantur, sed dum Metropolitae adveniunt, secum solent apporatre. Chorus, Campanile cum campanis adsunt, quae vidi. Organa non sunt.

S. 7-o: De corporibus seu reliquiis sanctorum mihi non constat.

Super 8-o: R.t.: Habet domum pro Archiepiscopi habitatione in eadem civitate, non procul ab Ecclesia, satis sufficientem, et commodam, ex muro, quam vidi ante incendium quod Vilnae contigit; utrum autem eodem incendio conflagrata fuerit, vel aliquod detrimentum passa sit, nescio.

Super 9-o: R.t.: Audivi valorem reddituum mensae Archiepiscopalis Metropolitanae, quae actu possidet, ascendere annuatim ad sex mille scuta Romana circiter, qui consistunt majori ex parte in fundis seu praediis, et in reliquis, in cathedratico, quad annuatim solvitur a Clero eiusdem Archidioeceseos, nulla sunt pensione onerati.

Super 10: R.t.: De Chioviensi civitate iam dixi quod a Moschis possidetur, sub iurisdictione autem Ecclesiae Metropolitanae Vilnae sunt ecclesiae Parochiales, praeter Cathedralem, duae, altera sub titulo S. Nicolai, Pontificis, altera sub titulo Resurectionis Dominicae, quas vidi; an autem unaquaeque habeat fontem baptismalem, non observavi. Collegiatae nullae sunt. Monasterium virorum unum adest, sub titulo Ss.mae Trinitatis, in quo habitavi. Mulierum etiam unum, quod vidi. Confraternitates utriusque sexus duae, ni fallor, adsunt, in nostra regulari Ecclesia, una sub titulo Beatissimae Virginis Immaculatae Conceptae, alia S. Onuphrii. Ospitale unum adest, pro educatione puerorum pauperum, quod vidi. Mons Pietatis non adest.

Super 11-o: R.t.: Archidioecesis Metropolitana Chiovien est ampla, ut ad centum millaria et ultra in circuitu suo protenditur, et complectitur Palatinatus Vilnen., Chiovien., Braclavien., Minscen., Novogroden. et alia loca in dictis Palatinatibus existentia, et hoc mihi constat, quia in iis locis fui.

Super 12-o: R.t.: Seminarium Dioecesanum non adest; est tamen aliud Seminarium ex fundatione Principis Radziwill pro educatione Clericorum, qui tantum in ecclesiis jurispatronatus eiusdem Principis vigore fundationis instituuntur, prout audivi. De Haliciensi Ecclesia nihil dicere possum; audivi ad praesens dictam Ecclesiam possideri per Episcopum Leopolien. eiusdem Ritus.

Et tunc, finito examine, Ill.mus et Rev.mus D. Nuntius Apostolicus supradictus testem licentiavit ac dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscriberet, quod fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego Maximilianus Ryllo, S. Th. D., Ordinis D. Basilii Magni Superior Monasterii Chelmensis.

DIE VIGESIMA SECUNDA SEPTEMBRIS.

Examinatus fuit per Ill.mum et Rev.mum D., quem supra et ubi supra, Adm. Rev.dus ac Religiosus in Christo Pater Justinus CZACZKOWSKI, Ordinis S. Basilii Magni, Superior Minscensis, aetatis suae annorum 45, prout asseruit et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus et per Dominationem suam Ill.mam et Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi juramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae et Rev.mae tactis etc. juravit etc., et ad opportunas interrogationes super idoneitate caeterisque requisitis Rev.di D. Feliciani Wolodkowicz Episcopi Chelmen et Belzen, Ritus Graeci Uniti, dandi in Coadiutorem (si SS.mo D.no N.ro placuerit) cum futura successione Ill.mo et Rev.mo D. Floriano Hrebnicki, Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicen., dixit et deposuit, prout infra, videlivet:

Ad 1-um: R.t.: Cognosco Ill.mum et Rev.mum D. Florianum Hrebnicki, Archiepiscopum Metropolitanum Chiovien. et Halicien., ab annis triginta circiter, et a dicto tempore saepe saepius sum cum ipso conversatus.

Ad 2-um: R.t.: Scio ipsum a longo tempore habere infirmitatem in pedibus, eaque propter ipsum fulcimentis ligneis sub brachiis uti ad incedendum, quod saepius vidi, dictamque infirmitatem non esse accidentalem, sed inveteratam, audivi hoc a medicis, quorum cura dictus Ill.mus Metropolitanus utebatur ad sanandam eandem infirmitatem, nec est ad praesens ab ea liberatus, et cum ipsum vidi ante annum, non poterat Missam privatam absque incommodo celebrare, et puto ipsum aetate longaeva quam agit impediri et gravari, quominus possit ea, quae sunt officii sui exequi.

Ad 3-um: R.t.: Ob supra adductas causas necessarium existimo ut illi detur Coadiutor in dicita Metropolitana Chioviensi et Haliciensi cum futura successione.

Ad 4-um: R.t.: Cognosco Rev.mum D. Felicianum Wolodkowicz, Episcopum Chelmensem, a triginta circiter annis, et saepe saepius a dicto tempore sum conversatus cum ipso. Non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, non nimium familiaris, inimicus, aemulus, nec odiosus.

Ad 5-um: R.t.: Credo ipsum munus consecrationis suscepisse, tum quia hoc ab aliis audivi, tum ex fama mihi constat, tum ex eo quod ipsum viderim ea quae sunt muneris episcopalis exercentem.

Ad 6-um: R.t.: A viginti circiter annis scio ipsum esse Episcopum Chelmensem et Belzensem, cum octodecim ab hinc annis dum Chelmae praedicabam iam ipsum Episcopum novi, et ipsi Pontificalia exercenti assistebam.

Ad 7-um: R.t.: Vidi ipsum saepe saepius in sua Chelmensi Ecclesia et Dioecesi, dum Chelmae biennio manebam, residentem, nisi vel Abbatiae, quam possidet, extra Dioecesim sitate, vel Dioecesum ecclesiarum suarum

negotia, ad Tribunalia Regni sive alio extra Dioecesim ipsum avvocaverunt.

Ad 8-um: R.t.: Scio ipsum per suos Visitatores dictas suas Chelmen. et Belzensem Ecclesias et Dioeceses visitasse, et si quid medela vel remedio opus habuerint, puto quod non omiserit iis occurrisse, eisque Decreta et mandata debitae executioni demandari curasse credo, cum et ex auditu, et propria scientia nosco ipsum diligentem et exactum.

Ad 9-um: R.t.: Vidi ipsum saepe solemniter celebrantem, et scio ipsum ordinationes iuxta necessitatis exigentiam habuisse, ex quo multos ab ipso ordinatos noverim. Confirmationis Sacramentum in Ritu nostro, dum baptisma confertur, a sacerdote baptizante administratur, caeteraque Pontificalia ipsum exercuisse vidi.

Ad 10-um: R.t.: Scio ipsum charitatis, pietatis et prudentiae in gubernando specimen dedisse; quoad pietatem enim vidi ipsum saepius confitentem, orantem, celebrantem, praecipuum autem pietatis specimen illud est, quod Cathedralem ecclesiam a fundamentis ex muro satis amplam et pulchram reaedificaverit, partim suo sumptu, partim collectis ipsius cura eleemosynis; quoad charitatem vidi ipsum elecmosynas pauperibus distribuentem; quoad prudentiam scio ipsum in regimine prudenter se gerere, et nihil in contrarium audivi, verbo et exemplo profecisse scio, cum quotannis congressus Parochorum, quibus una vice interfui, habeantur coram ipso, ad effectum instruendi Parochos de iis, quae ad salutem animarum et bonum regimen ecclesiarum et populi spectant.

Ad 11-um: R.t.: Scio ipsum prudenter et diligenter ubilibet se gessisse in defendendis, protegendis, conservandis jurisdictionibus, spirituali et temporali, juribus ac bonis suarum Ecclesiarum, ex quo mihi constat de evictione aliquarum causarum.

Ad 12-um: R.t.: Ex sermonibus cum ipso habitis et ex fama affirmo, ipsum ad praesens pollere ea doctrina sufficienter, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut alios docere posset.

Ad 13-um: R.t.: De contentis in hoc interrogatorio nihil mihi constat.

Ad 14-um: R.t.: Nescio quid ipsi in sua provisione fuerit iniunctum, sed puto quod si aliquid ipsi iniunctum fuerit, explere non neglexerit, ex quo scio ipsum esse virum iustum, sedulum et diligentem in adimplemento suarum obligationum. Sacrarium Cath. ecclesiae Chelmen. sufficienter sacra suppellectili ad divinum cultum necessaria instructum et provisum vidi. De Belzensi Sacrario mihi non constat. De ecclesia Cath. Chelmensi iam dixi superius, de Belzensi nescio. Domum Episcopalem Chelmae aedificasse audivi. Praebenda Theologalis et Poenitentiaria non adest, sed clericos quos capaces invenerit et ad statum spiritualem aspirantes curat ipse alere, quantum vires reddituum suorum ipsi permittunt, ex quibus duos nosco.

Ad 15-um: R.t.: Existimo dignum, qui deputetur in Coadiutorem Ill.mo et Rev.mo D. Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien., et censeo, si casus contigerit, eius successionem futuram utilem eidem Ecclesiae et Dioecesi fore, tum ex supradictis, tum ex eo quia ipsum diligentem et exactum noscam et habentem existimationem ac coniunctionem sanguinis

cum Magnatibus et primariis familiis Regni, quorum auxilium et opem facilius obtinere potest ad tuendam S. Religionem ac promovenda et tuenda negotia ecclesiastica.

Deinde ventum fuit ad interrogationes super statu Ecclesiae Metropolitanae Kiovien. et Halicien.

Super 1-o: R.t.: Civitas Chiovien sita est in Ukraina, in Palatinatu Chioviensi, in qua tamen non fui; audivi esse magnam civitatem, inhabitatur a Schismaticis, et est sub Dominio Imperii Moschovitici.

Super 2-o: R.t.: Audivi ibi esse ecclesiam Cathedralem, sub qua invocatione nescio. Modo autem ecclesia Metropolitana Vilnae adest ex muro constructa, magna, antiquae structurae, ad praesens, post incendium quod Vilnae contigit, et eaedem ecclesiae magnum detrimentum intulit, reparatur, ut vidi.

Super 3-o: R.t.: Suffraganeos habet Archiepiscopos duos, videlicet Polocensem et Smolenscensem, qui modo vacat, Episcopos Vladimirien., Luceorien., Pinscen., Chelmen., Premyslien. et Leopolien., ad Metropolitanum devolvuntur.

Super 4-o: R.t.: Dignitates et Canonicatus in dicta Cathedrali ecclesia Vilnae sita non reperiuntur; utrum adsint alia beneficia ecclesiastica ibi, et quis numerus sit Praesbyterorum et Clericorum ibi in divinis inservientium, tum de Praebenda Theologali et Poenitentiaria ignoro.

Super 5-o: R.t.: An ibi exerceatur cura animarum et per quem et an ibi adsit fons baptismalis non recordor.

Super 6-o: R.t.: Utrum Sacrarium sacra suppellectili caeterisque rebus ad divinum cultum ac etiam Pontificalia exercenda necessariis sit instructum ignoro; solent tamen Metropolitani secum adferre necessaria ad exercenda Pontificalia, dum ad eandem ecclesiam accedunt. Chorus, campanile cum campanis et caemiterium adest, quae vidi. Organa non sunt.

Super 7-o: R.t.: An corpora vel reliquiae Sanctorum aliquae insignes ibi reperiantur, nihil mihi constat.

Super 8-o: R.t.: Habet Domum pro Metropolitani habitatione ex muro, amplam, commodam, non procul ab Ecclesia distantem, quae post incendium reparata est, quam vidi.

Super 9-o: R.t.: Valor reddituum mensae Archiepiscopalis seu Metropolitanae ad praesens ascendit summam sex millium scutorum Romanorum circiter, prout audivi; ii autem redditus utrum ex solis bonis proveniant, an etiam comprehendatur in eadem summa Cathedraticum, quod annuatim solvitur, ignoro; nec credo quod sint aliqua pensione onerati.

Super 10-o: R.t.: De Kijoviensi civitate iam superius dixi, quod a Schismaticis occupatur. Vilnae autem sub Cathedrali ecclesia reperiuntur duae ecclesiae Parochiales, quas vidi; altera sub titulo S. Nicolai, altera sub titulo Resurectionis Dominicae, et reguntur per Praesbyteros saeculares, in quibus an sit fons baptismalis non adverti. Collegiatae nullae existunt. Adest ibi monasterium virorum Ordinis S. Basilii sub titulo SS. Trinitatis,

aliud monialium eiusdem Ordinis et sub eodem titulo. Confraternitates duae adsunt, altera S. Onuphrii, altera Beatissismae Immaculatae Conceptae. Ospitale pro pueris pauperibus adest circa nostrum monasterium, quae mihi de visu constant. Mons pietatis mon adest.

Super 11-o: R.t.: Dioecesis Metropolitana Kiovien extenditur in suo circuitu ad centum et ultra milliaria germanica; complectitur Palatinatum Kiovien., Vilnen., Minscen., Novogrodecen., districtum Oszmianen. et alia loca, civitates et oppida in iisdem consistentia, et haec scio quia in multis locis fui.

Super 12-o: R.t.: Seminarium Dioecesanum non adest, sed in Palatinatu Novogrodencesi adest Seminarium ex fundatione Principis Radzivill, quod vidi, ubi aluntur pueri, qui deinde inserviunt in ecclesiis Collationis dicti Principis. De civitate et ecclesia Haliciensi ignoro.

Et tunc, finito examine, Ill.mus et Rev.mus Dominus Nuntius Apostolicus supradictus testem licentiavit ac dimisit, iniuncto ipsi ut se prius suae depositioni subscriberet, quod fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego Justinus Czaczkowski, Ordinis E. Basilii Magni, Superior Minscensis. (m. p.).

Die trigesima Septembris.

Examinatus fuit per Ill.mum et Rev.mum D. Nuntium Apostolicum, quem supra et ubi supra, Adm. Rev.dus ac Religiosus in Christo Pater Paulus Stryjenski, Societatis Jesu, Praepositus Domus Professae et Rector Collegii Varsaviensis, aetatis suae annorum 53, prout asseruit et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus et per Dominationem suam Ill.mam ac Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi juramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis suae Ill.mae et Rev.mae tactis etc. juravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisistis Rev.mi D. Feliciani Wolodkowicz, Eppi Chelmen. et Belzen. Ritus Graeci Unitorum deputando (si SS.mo placuerit) in coadiutorem Ill.mo et Rev.mo D. Floriano Hrebnicki, Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicen., dixit et deposuit, prout infra, videlicet:

Ad 1-um: R.t: Cognosco Ill.mum et Rev.mum D. Florianum Hrebnicki, Archiepiscopum Metropolitanum Chiovien., sex abhinc annis, ex quo a dicto tempore saepius sum cum ipso conversatus.

Ad 2-um: R.t.: Scio ipsum adversa valetudine impediri, quominus exequi posset ea, quae sui officii sunt; etenim a pluribus annis infirmitatem et vulnera in pedibus patitur ita, ut itinera nulla aggredi possit, et cogatur saepe in lecto decumbere, prout ipsum saepe decumbentem vidi, et ad incedendum necesse habet uti fulcimentis ligneis sub brachiis, eaque infirmitas, prout a fimiliaribus domesticis ipsius audivi incurabilis a medicis reputatur, quorum consiliis et peritia se concrediderat, ad se ab eadem infirmitate liberandum; cum enim vulnera sunt aperta, et inde vitiosi hu-

mores deffluant, nullus medicorum suadet curam adhibendi eam, ut occludentur; etenim impediretur defluxus humorum vitiosorum, cum graviori periculo vitae ipsius.

Ad 3-um: R.t.: Ob supradictam causam necessarium existimo, ut illi detur Coadiutor in praedicta Metropolitana Ecclesia Chioviensi et Halicensi cum futura successione.

Super reliquis interrogatoriis omissum fuit examen, ex quo dictus testis Rev.mi Transferendi non habeat cognitionem.

Et tunc, finito examine, Ill.mus et Rev.mus D. Nuncius Apostolicus testem licentiavit et dimisit iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscriberet, quod fecit ut sequitur:

Ita deposui pr overitate ego Paulus Stryjenski, Soc. Jesu, Praepositus Domus Professae et Rector Collegii Varsaviensis (mp).

Supradictis Testibus plena fides adhibenda esse censeo, et de Coadiutore deputando bene iudico. In quorum fidem, etc.

A. Archiepiscopus Nicaenus, Nuntius Apostolicus.

Quibus omnibus et singulis, ut supra, gestis, idem Rev.mus D. Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Chelmen. et Belzen. Ritus Graeci Uniti petiit supradictum processum seu illius copiam in forma authentica extradi et sigillo munitam consignari, ed effectum ad Alman Urbem transmittendi, omnis etc.

Quocirca nos Albericus Archinto, Archiepiscopus Nicaenus et Nuntius Apostolicus antedictus, Processum clausum et sigillantum seu verius copiam illius in pubblica et authentica forma concedendum et extradendum esse duximus. Decernentes praedictis omnibus et singulis, tanquam rite et legitime gestis, ubique locorum plenariam et indubitatam fidem ab omnibus et singulis in judicio et extra adhibendam esse. In quorum praemissorum fidem et testimonium praesentes manu nostra subscriptas sigilli nostri impressione communiri fecimus. Datum Varsaviae, die tertia mensis Octobris, anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo.

A. Archiepiscopus Nicaenus, Nuntius Apostolicus.

Et quia ego Petrus Jastrzemski, publicus S.a Authoritate Apostolica Notarius et Ill.mi et Rev.mi D. Alberici Archinto Archiepiscopi Nicaeni, Nuntii Apostolici in Regno Poloniae Vicecancellarius, memoratae inquisitioni et testium examini per eundem Ill.mum et Rev.mum D. Nuntium Apostolicum habitae et receptae personaliter requisitus interfui, nec non Juramenta testium praenominatorum solemniter fieri vidi et audivi, eorumque dicta in his scriptis fideliter redegi, idcirco hoc examen et totum hoc Inquisitionis Processum propria manu scriptum subscripsi. Datum Varsaviae in Cancellaria Nuntiaturae Apostolicae Regni Poloniae, hac die tertia mensis octobris, anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo.

Petrus Jastrzemski, Notarius et Vicecancellarius, qui supra. (L. S.).

Ex contentis in praesenti Processu constat R.P.D. Felicianum Wolodkowicz, Episcopum Chelmen. dignum esse, qui ad supplicationem Ser.mi Regis Poloniae in Coadiutorem Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. deputetur.

..... Protector.

R. Cardialis de ..... Epus Portuen et S. Ruffinae

.....

.....

3.

Varsavia, 19.IX.1752.

Professio fidei electi Coadiutoris.

EGO FELICIANUS WOLODKOWICZ Episcopus Chelmensis:

Firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem Factorem Caeli et terrae... ...Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones, firmissime admitto, et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi iuxta unanimen consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali, et de iustificatione in Sacro-Sancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum anima, et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae Vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis iuvari. Similiter, et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reli-

quias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestantem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco; Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacro-Sancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et praedicari quantum in me erit curaturum.

EGO idem Felicianus Wolodkowicz Episcopus Chelmensis etc. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Ego infrascriptus supra positam fidei professionem a Rev.mo D. Feliciano Wolodkowicz, Episcopo Chelmensi Ritus Graeci Uniti, de verbo ad verbum in manibus meis emissam recepi, et ita testor m.p.

A. Archiepiscopus Nicaenus, Nuntius Apostolicus.

In nomine Domini. Amen. Ominibus et singulis quorum interest fidem facio et attestor ego infrascriptus, quod anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, Indictione Romana decimaquinta, die vero decima nona mensis Septembris, constitutus personaliter Rev.mus D. Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Chelmensis et Belzensis Ritus Graeci Uniti, coram Ill.mo et Rev.mo D. Alberico Archinto Archiepiscopo Nicaeno et Nuntio Apostolico in Regno Polaniae etc. et flexis genibus et sacrosanctis Evangeliis, quae prae manibus habebat, tactis, medio juramento retroscriptam Fidei Professionem de verbo ad verbum, prout jacet, in manibus eiusdem Ill.mi ac Rev.mi D. Nuntii Apostolici emisit; et in locis, ubi nomen dicti Rev.mi D. Feliciani Wolodkowicz scriptum est, propria manu scripsit. Praesentibus Perillustri D. Nicolao de Georgiis, Praefecto Domus Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Suae Nuntii Apostolici, domestico et familiari ac Generoso D. Stephano Skwarczynski, Cancellario Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae, Testibus ad praemissa vocatis, habitis, atque rogatis. Datum Varsaviae anno, mense, die quibus supra, et in fidem me subscripsi signoque mei Notariatus publici communivi.

Petrus Jastrzemski, Publicus S-a Authoritate Apostolica Notarius et Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae Vicecancellarius (mp).

4.

Roma, 12.I.1756.

Propositio consistorialis Felicani in Coadiutorem Metropoliae Kioviensis, anno adhunc 1752 obtenta nominatione.

ASV, *Arch. Congr. Consist.*: *Acta Camerarii,* vol. 35, fol. 7rv.

An. MDCCLVI. Coadiutoria Kiovien. et Halicien.

ROMAE. In Palatio Apostolico Quirinali, feria II-a, die XII januarii MDCCLVI, fuit Consistorium secretum, in quo SS.mus Dominus Noster...

Referente Rev.mo D. Joanne Francisco Cardinali Albano Sti Caesarei nuncupato, attentis ingravescente aetate aliisque corporis affectionibus, ob quas R.P. Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. Ritus Graeci invicem perpetuo canonice unitarum ad Episcopalia aliaque Pastoralia munia obeunda prorsus impar redditus est, de eiusdem, ac Ser.mi Regis Poloniae consensu, deputavit ipsi Floriano Archiepiscopo Coadiutorem cum futura successione in regimine et administratione earundem Ecclesiarum Kiovien. et Halicen. unitarum R.P. Felicianum Wolodkowicz, Episcopum Chelmen., praefati Ritus, fidemque professum, omniaque habentem, cum retentione pro eodem Feliciano Episcopo Coadiutore Ecclesiae Chelmen., cui praeest, ac Abbatiarum Dermanen. et Dubnen, nuncupaturum, quas obtinet, ad Sanctitatis Suae et Sedis Apostolicae beneplacitum, juxta decretum ab eadem Sanctitate Sua approbatum, nec non cum Decreto, quod facto successioni huiusmodi loco, idem Felicianus Episcopus Ecclesiae Metropolitanae et Domus Archiepiscopalis reparationibus pro viribus incumbat, eius conscientiam super his onerando. Absolvens etc. cum clausulis etc.

Coadiutoria Kiovien. et Halicen. Ritus Graeci Uniti. Non tax. fructus 6000 et ultra monetae Romanae.

5.

Roma, 22.XI.1758.

Propositio consistorialis translationis Feliciani Wolodkovycz de Sede Chelmensi ad Eparchiam Volodimiriensem.

ASV, *Arch. Congr. Consist.*: *Acta Camerarii,* v. 35, f. 167rv-168.

An. MDCCLVIII. Vladimirien.

ROMAE. In Palatio Apostolico Quirinali, feria IV-a, die XXII novembris MDCCLVIII, fuit Consistorium secretum, in quo SS.mus Dominus Noster...

Referente Rev.mo D. Joanne Francisco Cardinali Albano Sti Caesarei nuncupato, absolvit R.P. Felicianum Philippum Wolodkowicz a vinculo, quo tenebatur Ecclesiae Chelmen. Ritus Graeci Rutheni S.R.E. uniti, et transtu-

lit ad Ecclesiam Vladimirien. eiusdem Ritus, vacantem per obitum bo.me.- Theophili Godebski, ultimi illius Episcopi, extra Romanam Curiam defuncti, ipsumque Felicianum Philippum Episcopum, omnia habentem, praefatae Ecclesiae praefecit, etc. Pastorem, curamque committendo, ea tamen conditione, ut omnia bona, res, et pecunias ad spolium dicti defuncti Episcopi Vladimiriensis spectantia recuperare sedulo curet, eaque omnia sive percepta, sive percipienda penes aedem sacram deponat, et integrum computum transmittat Congregationi de Propaganda Fide, ad efectum erogandi de eiusdem consensu pecunias inde retractas in beneficium et commodum dictae Ecclesiae et dioecesis Vladimirien., iuxta decretum memoratae Congregationis de Prop. Fide, nec non cum retentione officii Coadiutoris cum futura successione Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. invicem unitarum praefati Ritus, quod exercet, ac Abbatiarum Dubnensis et Dermanensis, ac Sanctae Crucis nuncupatarum, Ordinis S.ti Basilii Magni, Chelmen. seu alterius civitatis, vel Dioecesis, quas ex concessione et dispensatione apostolicis in commendam obtinet, ad Sanctitatis Suae, et Sedis Apostolicae beneplacitum, servatis tamen constitutionibus Benedicti Papae XIV, Praedecessoris eiusdem Sanctitatis Suae, ac Decretis praedictae Congregationis de Prop. Fide, die 24 maji anni 1757 editis, et insuper cum Decreto, quod cessante per successionem ad praefatas Kiovien. et Halicien. Ecclesias dicto Coadiutoris officio, idem Felicianus Philippus Episcopus pro retentione antedicta Vladimirien. Ecclesiae eidem Sanctitati Suae dictaeque Apostolicae Sedi supplicare teneatur, iuxta Decreta Congregationis Rerum Consistorialium, nec non cum alio Decreto, quod praefatus Felicianus Philippus Episcopus fidei professionem emittere, et juramentum fidelitatis praestare, illamque sic emissam ad Urbem intra praefixum tempus transmittere omnino teneatur, quodque Domus Episcopalis Vladimirien. reparationi pro viribus incumbat, Sacrariumque Ecclesiae suppellectili sacra ad Divina peragenda, et ad Pontificalia exercenda sufficienter instruat, eiusque conscientiam super his onerando. Absolvens etc. cum clausulis etc. Vladimirien. Non tax. fructus 5000 circ. scuta monetae Romanae.

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVYCZ METROPOLITAE KIOVIENSIS

1762 - 1778

Pars Prima

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVYCZ METROPOLITAE KIOVIENSIS (1762 - 1778)

1.

(*Leopoli*), *30. VI. 1730.*

Iuramentum fidelitatis ab Electo Chelmensi praestitum.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 781, f. 440.

Anno Domini Millesimo septingentesimo trigesimo, die vero veneris trigesima mensis Iunij, Leopoli.

Ego Philippus Wolodkowicz, Ordinis Divi Basilij Magni, Vice-Rector Vladimirensis Collegij, Archimandrita Dermanensis, et Dubnensis, et Hegumenus Sanctae Crucis,[1] ab hac hora in antea fidelis, et obediens ero Beato Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac Domino nostro, Domino Benedicto, Papae decimo tertio, Sanctae Memoriae olim defuncto, suisque successoribus, canonice intrantibus, promitto, ac iuro debitam obedientiam Domino meo, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopo totius Russiae Metropolitano et Primati, Domino Athanasio in Szeptyce Szeptycki,[2] et Successoribus ejus Sanctae Sedi Apostolicae et Pontifici Romano obedientibus. Vocatus ad Synodum a Domino meo Metropolitano, sine omni renitentia, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione, obedienter veniam, sine consensu vero illius Bona Ecclesiarum mearum, etiam cum consensu Protho-Archimandritae Ordinis Basiliani et Religiosorum, sub meo regimine pro tempore existentium, nec non Possessionem ad Mensam meam pertinentem non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquomodo alienabo, inconsulto Domino Metropolitano, quinimo deperdita, et ab Ecclesijs Archimandriae meae avulsa, quocunque modo, sive praetextu, etiam ad tempus dimissa recuperare tenebor, et si ad aliquam alienationem devenero, paenas in quadam

[1] Monasteria Basilianorum in Volhinia, in eparchia Luceoriensi.

[2] Metropolita Kioviensis et Episcopus Leopoliensis; in Metropolitam electus anno 1729; obiit anno 1746.

super hoc edita constitutione eo ipso incurrere volo, sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Ex Prothocollo Actorum Consistorialium Metropolitano extractum et sigillo Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D.ni Metropolitae Kiovien. et totius Russiae communitum.

PAULUS SAMBORECKI, C. Metr. Notarius.

2.

Chelma, 10. XI. 1752.

Instat apud S. Congr. de Prop. Fide ut confirmetur in Coadiutoriam Kioviensem cum futura successione.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 572rv.

Emin.mi et Reverendissimi Domini, Domini Patroni Singularissimi.

Quemadmodum ab aera redditae sub fel. rec. Clemente VIII Sanctae Sedi Apostolicae ab universa Russia obedientiae,[3] stabilitaeque pro tunc Sanctae Unionis, Eminentiae Vestrae, quos Deus rebus propagandae Fidei Catholicae providissime praeposuit, eandem Russiam Sacrae Romanae Ecclesiae arctissimo et indissolubili fidei et obedientiae vinculo aeternum unitam continuis favoribus augent, beneficijs fovent et gratijs suis satis superque cumulant, adeo ut totum praesentem statum Eminentijs Vestris in acceptis referre teneatur, ita ego, de benignissimo Beatissimi Patris Domini nostri Clementissimi, nunc feliciter Orbi imperantis Pontificis Optimi Maximi consensu, a Domino Metropolita totius Russiae senio, e assiduis circa vastas Dioeceses laboribus fracto in Coadjutorem electus,[4] nec non Regia in hunc finem Nominatione provisus, ad protectricem totius Russiae Eminentiarum Vestrarum gratiam supplex accedo, humillimis enixissimisque rogando precibus, quatenus Eminentiae Vestrae gravissima sua officia interponere faveant, ut Sanctissimus Dominus pro suprema sua Apostolica in Orbe terrarum Authoritate hujusmodi mei in Coadjutorem electionem, nec non Regiam ad hunc effectum emanatam Nominationem ratam habere approbareque clementissime dignetur. Haec gratia mihi praestita non solum obstringet me ut cum Universa Russia pro felicissimis in Ecclesia Dei Eminentiarum Vestrarum successibus (f. 572v) Divinam Majestatem continuo exorem, verum etiam animum meum eriget,.... flagrantibus zelo propagandae Fidei Eminentiarum Vestrarum cordibus .... et strenua e Partibus

---

[3] A s. d. Unione Berestensi, an. 1595-6; fidei professionem sollemnem praestiterunt Episcopi die 23 decembris 1595. Cfr. *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae, in nostra Collectione Documentorum.

[4] A Floriano Hrebnyckyj, Metropolita Kioviensi, qui sibi iam ab anno 1744 Coadiutorem in Archiepiscopatu quaerebat, et Metropolita factus (an. 1748) pro Coadiutore etiam in Metropolia instabat. Cfr. *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. IV, Romae 1959, pag. 231-415, ubi inveniuntur eius epistolae et brevis biographia.

Russiae execrandi Schismatis extirpatione placere satagam, nunc vero acclinis Pedibus Sacram Purpuram deosculor.

Eminentiarum Vestrarum humillimus, obedientissimus et oblig.mus servus

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Episcopus, mpr.

Chelmae, die 10. 9bris, 1752 anno.

3.

Chelma, 10. XI. 1752.

Instat apud Nuntium Apostolicum ut ei Bullae Coadiutoriae Kioviensis expediantur.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 573rv.

Ill.me, Excell.me et Rev.dme Domine, Domine Patrone Colendissime.

Reddidi iam anterius certiorem Excellentiam Vestram Rev.mam,[5] quod Metropolitanus Russiae axantlatis circa Vineam Christi suae curae concreditam laboribus attritus, in animum sibi induxerit adlegere me in sui Coadjutorem cum successione, cum vero inpraesentiarum de benignissimo Suae Sanctitatis assensu me iam ad id munus adsciverit et in hunc finem a Serenissimo Poloniarum Rege Privilegium impetraverit, rursus recurro ad peculiarem Excellentiae Vestrae gratiam humillime rogando, quatenus praestantissima Officia interponere dignetur, ut suffragio gratiae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Bullas electionem hujusmodi meam confirmantes a suprema in Orbe terrarum Sede Apostolica obtinere valeam. Hic ab Excellentia (f. 735v) Vestra Rev.ma favor mihi praestandus profecto obstringet me ad quaevis sua obsequia, nunc vero cum eo quo par est cultu maneo

Ill.mae, Excellentissimae, et Rev.mae Dominationis Vestrae devotissimus, obsequentissimus et oblig.mus servus

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Episcopus Chelmae, mpr.

Chelmae, die 10. 9bris, 1752 anno.

4.

Chelma, 29. III. 1756.

Gratias agit pro confirmatione in Coadiutoria Kioviensi.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. Add. 12, fol. n. n. (copia).
ASV, *Vescovi*, v. III, p. 81.

---

[5] Forsan littera haec directa fuit Secretario S.C. de Prop. Fide, Nicolao Lercari (1744-1757), quia invenitur in Archivo Sacrae Congregationis.

Sanctissimo, Beatissimo in Christo Patri, Benedicto Divina providentia Papae huius nominis XIV, Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domini Clementissimo. Romae.

Chelmae, 29 Martii 1756.

Beatissime Pater, Domine Clementissime.

Cum ad tot amplissima, quibus integram Orthodoxam Russiam Sanctitas Vestra, Dominus Clementissimus, abunde cumulare pergit beneficia, illud etiam mihi Episcoporum minimo adjicere statuerit, ut me in adiutorium Metropolitanae dignitatis efferre atque in eo gradu suprema auctoritate confirmare dignata sit,[6] inter primas muneris mei partes reputo, humillimas easque, uti debeo, maximas Beatitudini Vestrae Domino Clementissimo gratias refferre: cum vero id condigne, etsi quam maxime vellem, praestare nequeam, quod satis verbis exprimere minime valeo, debita vigilantia, ardentissimo orthodoxae religionis propagandae studio, exacta Apostolicorum mandatorum observantia et omni erga supremam Christi vicariam sedem felicitatem palam testari satagam.

Faxint superi, ut quem benignum Clementem suique amantissimum Pontificem orthodoxa Russia experta est, eiusdem ad plurimos annos incolumis, praesidio et beatae sortis suae fructu constanter perfruatur. Quod ego a Deo Optimo Maximo una cum grege meo ardentissimis votis flagitare non desinam, circa religiosissimum pedum Beatitudinis Vestrae osculum iugiter perseveraturus.

Sanctitatis Vestrae Domini Clementissimi scabellum pedum et apud Deum perfectus orator Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Chelmensis,

Coadiutor Metropolitanus et totius Russiae.

Datum Chelmae, die 29 Martii, anno 1756.

5.

Varsavia, 3. XI. 1756.

Documentum quo Bona quaedam metropolitana in possessionem saecularium data revindicantur.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 341rv.

Inter Illustrem Magnificum Georgium Vandalinum in Magna Koriczyce Mniszech, Mareschalcum Curiae Regni Capitaneum Bialocerkieviensem ex una et Illustrissimum, ac Reverendissimum Dominum Philippum Felicianum Wolodkowicz, Episcopum Chelmensem et Coadiutorem Metropolis Russiae, non solum suo nomine tanquam praesumptivi successoris ad Metropolim, sed etiam ex vi specialis Plenipotentiae ad quosvis actus Nomine Illustrissimi ac Reverendissimi Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocen. et Metropolitae

---

[6] Agitur, ut videtur, de Coadiutoria Metropoliae, quae inde ab anno 1752 in actu erat; cfr. litteras praecedentes.

Kjovien. totius Russiae agentis ex altera parte,[7] illud in terminis juridicis de Bonis Barachty, Kodak, Mytnice, Pohreby intercedit Compactatum et Statutum: Quod Illustris Magnificus Dominibus Mareschalcus Curiae Regni, justissimis semper et non interessatis se regens sentimentis noscit optime et hanc obligationem, ut redolantur, quae sunt Caesaris, Caesari, quae sunt Dei, Deo, et ita ex gratia Serenissimi Domini factus existens Capitaneus Bialocerkieviensis, sicut in alijs circumstantijs, ita et in hac praetensione Ill.mi ac Reverendissimi Metropolitae non abfugit gradus juris et justitiae. Imo paratus contribuere ut Jus suum unicuique tribuatur. Quamvis non existens hucusque convictus realibus et legalibus documentis, licetsi ob hunc finem locati fuerant ab utrinque rogati digni amici, non potuit permittere in avulsionem praetensorum a Capitaneatu Bonorum, ne sibi ipsi per commissum abusum inferat detrimentum, nihilominus studendo Justitiae et aequanimitati praesenti Transactione spondet, quod in Praeexcelso Tribunali Lublinen, sub tempus agitandae de praefatis Bonis Causae, quam et postea sub tempus Commissionis, scil. condescensionis, prout videbitur, ad dislimitandum, nullam ex parte sui difficultatem contraventionis et protellationis faciet. Imo, post prolatum Decretum et expeditam per Commissionem sive condescensionem dislimitationem ex nunc Intromissionem ad praedicta Bona admittet. Et viceversa, Ill.mus ac Reverendissimus Episcopus et Coadjutor Wolodkowicz, suo et Ill.mi ac Reverendissimi Domini Metropolitae nomine quam solennissime et sacratissime promittit, quod pro hac aequanimitate Ill.is et Magnifici Domini Mareschalci Curiae Regni persistens, solummodo in corroboratione Juris sui et ut quandocunque sive ipse sive successores ejus ad posessionem eorumdem Bonorum devenirent, post acceptam Intromissionem, exnunc statim eaque die eidem Ill.ri Magnifico Mareschalco Curiae Regni haec omnia Bona, acsi in arendatariam possessionem dimittet. In qua possessione sine exceptione ullius Villae atque agri Ill.ris et Magnificus Mareschalcus Curiae Regni per totum tractum vitae suae (f. 341v), utinam quam longissimum, pacifice sine quavis impetitione ad extrema vitae tempora tam Ill.mi ac Revd.mi Metropolitae moderni, quam Ill.mi ac Rev.dissimi Coadiutoris, qua praesumpti Successoris permanebit, et ex suprafatis Bonis ullam intratam reddere Ill.mis et Rv.dissimis Metropolitae, Coadjutori, et Successoribus eorum non tenebitur, et ab omnibus quocunque titulo praetensionibus ex Calculo liber est et erit, una cum Successoribus suis. Quod omne Partes ambae non tantum in omnibus Punctis et Clausulis manutenere obligantur sub fide et honore, sed etiam propter majorem securitatem praesentem transactionem manibus Illustrissimorum Amicorum subscriptam in spatio septimanarum duarum, ad summum, coram Actis Castren. sive Metrices Regni roborare spopondent. Hoc autem cavet sibi Ill.ris Magnificus D. Mareschalcus Curiae Regni, quod in casu non manutentionis ejusdem Complanationis per Ill.mos

---

[7] Quaestio de his bonis sat spinosa evasit et multas divergentias etiam inter Coadiutorem et Coadiutum procreavit. Cfr. *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. IV, Romae 1959, secundum *Indicem nominum et rerum:* Barachty, Grodek.

et Rev.dissimos Metropolitam, Coadjutorem, nullitati debebunt subijci omnia Decreta, condescensiones, commissiones, intromissiones et haec ipsa complanatio. Quam quidem transactionem circa impressionem solitorum sigillorum Partes manibus proprijs subscribunt.

Datum Varsaviae, die 3tia Novembris, Anno D.ni 1756.

GEORGIUS MNISZECH, Mareschalcus Curiae R.ni Capp. Bialocerkiae. (L.S.)

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Episcopus Chelmen.

Coadjutor Metropolis totius Russiae, nomine suo et Ill.mi Metropolitae. (L.S.)

Oretemus et personaliter rogatus amicus subscribor:

CAJETANUS SOLTYK, Ep.us Kiovien. et Czerniechovien. (L.S.)

Oretemus et personaliter rogatus amicus subscribor:

MICHAEL DE OSSOUKA ZBOINSKI

Capell. Lipicen. Generalis Major Exercit. R. (L.S.)

6.

Varsavia, 12. XI. 1756.

Adpromittit Archimandriam Dermanensem pro futuro Episcopo Chelmensi cessurum, accepta administratione Volodimiriensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 107, f. 174

Interpretatio Documenti ab. Ill.mo Metropolitano.

Notum facio hoc scripto meo, quod habens, ex benevolentia Serenissimi Regis, Domini Mei Clementissimi, Augusti tertii, Nobis feliciter regnantis vacantem post fata Ill.mi Theophili Godebski, Episcopi Vlodomiriensis,[8] collatum mihi Episcopatum Vlodomiriensem, *siquidem post ascensum mei vacans Episcopatus Chelmensis non potest sufficienter propter exiguos proventus supportare indigentias* episcopales, idcirco amore status episcopalis futuro Episcopo Chelmensi Abbatiam Dubnensem, Dermanensem et Sanctae Crucis cum omni jure, dominio cedo, obtenta tamen in Episcopum Vlodomiriensem mei confirmatione. Pro meliore fide, penes consuetum sigillum manu propria me subscribo. Datum Varsaviae, die 12 Novembris 1756 anno.

Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Chelmensis, Coadjutor Metropoliae totius Russiae, manu propria (L. S.)

In casu alicujus difficultatis appromitto, prout de jure obtenta confirmatione, praedictae Abbatiae resignationem etiam officiose recognoscere. Datum ut supra. Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Chelmensis, Coad. Metr. totius Russiae, Nominatus Vlodomiriensis, manu propria. Originale, ecc. ecc.

---

[8] Theophilus Godebskyj, Episcopus Pinscensis (1720-1730), dein Volodimiriensis (1730-1756). Ad spolium Volodimiriense variis quidem titulis praetendebant: Wołodkowycz, ut Coadiutor Metropolitanus, et Georgius Bulhak, Ep. Pinscensis, ratione vicinitatis; exinde lis magna exorta est, quae per plures perduravit annos. De hac ex nostro volumine sat multa prostant documenta; cfr. praeterea *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. III, et *Audientiae SS.mi*, vol. II, secundum *Indicem nominum et rerum*.

7.

Volodimiria, 14. III. 1757.

Reclamat ius metropoliticum transferendi Episcopos in sua Metropolia, et probat.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 776, f. 170rv.

Illustrissime, Excellentissime ac Rev.dme Domine
Domine Patrone Colendissime.

Desideratissimum communi voto Illustrissimae Excell.mae ac Rev.dissimae Dominationis Vestrae adventum ad Regnum[9] ego in particulari dum reviverim, deficiunt verba ad exprimendum satis quanta exinde animi mei concepi solatia, hanc non postremam ob causam quod ea faciliori occasione concurrente ad vacantem Vladimiriensem Episcopatum Serenissimi Regnantis nostri gratia, ut in adversis non corruam, possum me singulari ejus commendare protectioni.

Infinitas deinde Illustrissimae, Excellentissimae ac Rev.me Dominationi Vestrae persolvo gratiarum actiones, quod obstante quadam reservatione translationum Episcoporum, ad praesens in Ritu nostro Sanctae Sedi acsi in confirmatione moderni Illustrissimi D.mei Coadjuti expressa (:de qua hucusque absolutissime fuit apud nos inauditum:), ne me absque ejusdem Apostolicae Sedis Judicio de Chelmen. ad Vladimirien. Cathedram transferre[10] satagam praemonendum censuit. Sed postquam inspectis Decreto Sacrae Congregationis Consistorialis hac in re prolato, quam expeditione Bullarum earundem ad tenorem talis Decreti juxta formam solitam confirmationum Metropolitanorum Russiae emanata minime comprehenderim talem reservationem, quae toties concessis Ritui nostro Summorum Pontificum Privilegijs vetustissimus usus et consuetudines super antiquissima Orientalis Ecclesiae praxi fundatas in integro approbantibus, ut quorum tot non deesse videntur exempla et recentiora in personis Rev.morum olim Krasicki, Pinscen. et Godebski immediatissimi Vladimirien. Episcoporum, nemime contradicente et interturbante practicata, quorum primus de Smolenscen. ad Pinscen. alter vero de Pinscen. ad Vladimirien. Cathedras pure authoritate Metropolitana (:cui nec potuit nec debuit modernus Collegium Episcoporum respicientem etsi ipsemet solus voluisset inconsultis Suffraganeis suis renuntiare:) sunt (f. 170v) translati, aliquomodo derogare et praejudicare possit, compertum esse. Timeo maxime ne in tali casu per subitaneum meum recursum pro Translatione ad Urbem

---

[9] Agitur de epistola data nov. Nuntio Varsaviensi — Nicolao Serra (1754-1760).

[10] Translatio haec locum habuit anno 1756, et quidem iam tum iure dubio. Quaestio nempe de translationibus Episcoporum iam antea agitata fuit, et anno 1785 sat violenter decisa. Cfr. de hac quaestione opus P. Isidori I. Patryl, *Archiepiscopi-Metropolitani Kievo-Halicienses*, Romae 1962, pag. 92-99; nec non documenta Jasonis Smogorzevskyj, in *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. VIII, Romae 1965, modo speciali eius defensionem iurium sub dat. 17. V. 1785, pag. 365, nr. 203.

omnium Coepiscoporum, et Confratrum, de quorum non minus praejudicio agitur, aliquam certe sperandum contraham indignationem. Et ideo de tali Sanctae Sedis reservatione, si revera reperiatur, quo facto ulteriori opus erit, prius Ill.mum D.meum Coadjutum, ad quem moderna Posta hac in re scribo et alios Ill.mos Dominos Coepiscopos consulendos esse censui. Jam vero Illustrissimam, Excellentissimam ac Rev.dissimam Dominationem Vestram humillime rogandam esse duxi, ut pensatis rationibus talem recursum merito impedientibus minime sibi suadere velit. Me a mandatis ejus, quae pronissime veneror, rigide exequendis longe abesse alienum, quinimo si quae nociva huic negotio et personae meae contraria, quae in similibus persaepe contingunt, adverterit, dignetur clementissime amovere, ut cumulatus beneficijs ejus profiteri possim incessanter quod sim interminabili et quam profundissimo cultu

Illustrissimae, Excell.mae ac Rev.dissimae D.nis V.rae humillimus et dev.mus servus

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Episcopus

Vladimiriae, die 14. Martij, 1757 Anno.

8.

Volodimiria, 16. IX. 1757.

Instat pro conservatione penes ius transferendi Episcopos in Metropolia Kioviensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 443rv.

Illustrissime ac Rev.dme Domine, Domine Patrone Colendissime.[11]

Ad ea, quae ex grata recordatione tam in negotio Coadjutoriae quam modernae motu Rev.mi D. Episcopi Pinscen. de Administratione et Translatione Vladimirien. exortae controversiae testatae in me Ill.mae ac Rev.dmae Dominationis Vestrae Benevolentiae gratissimo animi sensu semper profiteri debeam, plura mihi adhuc attulit recognoscenda praesens observandissima et summopere desideratissima Illustrissimae ac Rev.dmae Dominationis Vestrae de die 9 praecedentis exarata litera, ut non modo eam velut aliquod pretiosissimum obaerati amoris et dilectionis pignus peculiarissimo, quo semper feror, colam respectu, verum etiam pro expressis in illa incessantis Illustrissimae ac Rev.dmae Dominationis Vestrae Benevolentiae in me signis continuo recogitem, quid me ulterius opportet facere ad danda usua testimonia perennaturae in me obligationis; debitas itaque pro his collatis in me Beneficijs referens praesentibus Illustrissimae ac Rev.dmae Dominationi Vestrae gratiarum actiones, cogor obnixe rogare ut me in negotijs praemissis, jam alias ad Sacrarium Congregationis Propagandae Fidei Catholicae introductis seu proxime introducendis non permittat recedere tristem. Plura adducentur Documenta Authoritate

[11] Nuntio Varsaviensi, Nicolao Serra (1754-1760).

etiam Apostolica formata, quibus ex vi introductae ab ipso initio receptae Fidei Christianae in Russia legitimae consuetudinis, Translationes Episcoporum semper Jurisdictioni Metropolitanae affectae (f. 443v) erant.[12] Sed de hoc post quid sentiendum sit tractandum veniet, modo vero cum maxime interest obviare ne derelicta defuncti Episcopi Vladimirien. in manibus Rev.dmi D. Episcopi Pinscensis tam in parato aere quam insignioribus mobilibus et sese moventibus ad centum circiter millia Florenorum Polonicalium, prout ex fide dignis relatis habeam, consistentia ad ultimum veniat interritum, sed omnia pro Fundationibus Vladimirien. et Bresten. Cathedralium necessarijs, et opportunis convertantur, pro munere meo administratoriali Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram humillime rogandam esse existimavi, ut Causa ab adversa parte non tam ratione administrationis quam et restitutionis hujusmodi derelictorum, magna jam ex parte, de quo plene scio, per ipsum dissipatorum subterfugeret ad Curiam Romanam provocata, approbata sententia Nunciaturae pro executione ad judicium, a quo remitti possit.[13] Quo quidem in puncto exposui etiam Eminentissimo ac Rev.mo Domino Cardinali Praefecto necessitatem hujusmodi decisionis, qua Judex a quo citius procedere ad executionem suae sententiae et ego promovendo ulterius munus meum, ea semper testarer, quibus me agnosco esse inexplebili voto et cultu

Illustrissimae ac Revd.mae Dominationis Vestrae obsequentissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Episcopus Chelmen.

Vladimiriae, die 16. 7bris, 1757 Anno.

9.

Volodimiria, 21. X. 1757.

Iterata instantia de iure Metropolitarum Kioviensium transferendi Episcopos conservando.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 776, f. 172-173.

Emin.mi ac Reverendissimi Domini, Domini Patroni Colendissimi.

Ex una parte veneranda semper apostolica mandata Translationem meam authoritate Metropolitana absque ejusdem Apostolicae Sedis Iudicio de Chelmen. ad Vladimirien. vacantem Ecclesiam impedientia lambens recipiens, eaque pro jurata obedientia reverenter amplectens, ex altera vero Jura in his, consuetudine Ruthenae Ecclesiae circa et post amplexum Fidei Christianae nullam traditionem Conciliorum etiam Orientalium a veteribus SS. Patribus praeter quae Fidem Christianam, et Cultum Divinum promovendum atque Ritum Graecum colendum solummodo respiciebat habentis ac ut ex

---

[12] Cfr. supra, nota 10.

[13] Causa adhuc per plures annos perdurabat. Cfr. infra, et *Indicem nominum et rerum.*

eorundem Conciliorum Translationes in Ritu nostro Episcoporum, prout ad praesens eruitur, affectas fuisse Summo Pontifici penitus ignorantis, per Translationes aliquot jam etiam stante unione et unius post Synodum Zamoscianam Episcoporum, scientibus quis plus Excellentissimis D. D. in Regno Poloniae Nuncijs Apostolicis pro tempore existentibus, et consequenter eadem ipsa Sancta Sede, nemineque hucusque impediente Authoritate Metropolitana libere practicatas, legitime introducta, eidem sedi Metropolitanae suffragantia, ac in reliquo post eandam Sydonum Provincialem[14] mediante ejusdem Sanctae Sedis dispositione a Patribus hujusmodi Concilij per sua vota decisiva cum suffragio etiam Illustrissimi pro tunc Nuncij Apostolici exposita, manifeste clarescentia debite respiciens, quid me ulterius hac in re facere opporteat? pro vera mea et sincera erga hanc Sanctam Sedem, uti continuae aequitatis et religionis Matrem et Magistram, quam semper reverentissime veneror, devinctione submitto me altissimo Eminentiarum Vestrarum (f. 172v) iudicio. Non latet Eminentissimos Patres quam flagrantissimum et promovendae Unionis S. summopere utilissimum fuisse illud felicis apud reliquos, apud nostram autem integram Russiam, quae vel maxime suprema ejus Pastorali sollicitudine de tenebris detestabilis schismatis ad videndum et cognoscendum verum Fidei Catholicae lumen, in quo salus est, edicta felicissimae semper recordationis Clementis VIII, incentivum, quo pius ille et Ss.mus Pontifex approbatis prorsus sub 10 Kalend. Januarij omnibus veritati Fidei Catholicae non adversantibus, et communionem cum Sancta Romana Ecclesia non excluden. nostris Ritibus, usibus et Ceremonijs, ac concesso proxime 7ª Kalend. Martij 1595,[15] Metropolitanis Russiae Confirmationis et Consecrationis Episcoporum pro semper Privilegio alijsque facultatibus, ad numero 29, quorum ad praesens apud nos vix memoria extat, sese extendentibus permissis, eo ipso majores nostros Antistites Russiae succesive sub die VII Februarij[16] 1596 ad profitendam hanc Santae Romanae Catholicae Ecclesiae fidem, et debitam sibi obedientiam exhibendam urgentius animavit. Quis enim, Eminentissimi Patres, sponsor erit? quod haec translatio Episcoporum in Ritu nostro per Metropolitanos Russiae, non impediente hucusque etiam S. Sede, practicata, ejusdem Apostolicae Sedis iudicio adhinc subijciatur, id ipsum vicinorum inimicorum nostrorum et Ecclesiae Sanctae aliquomodo non offendat aures et majorem insordescentiae cordibus ipsorum non imprimat duritiem. Quare haec sunt quae consumatiori Eminentiarum Vestrarum considerationi innuenda existimavi, humillime rogans, (f. 173) ut secuta retentione cum dicto Episcopatu vacanti concessae et confirmatae anterius Coadjutoriae meae, quam procul dubio affectam esse scio Sanctae Sedi, quaestionem modernae Translationis, visis praedictis pro Metropolitanis documentis,

---

[14] Synodus Zamostiana anno 1720 celebrata. Cfr. de hac Synodo opus J. Bilanycz, *Synodus Zamostiana an.* 1720, Romae 1960.

[15] In bulla « Decet Romanum Pontificem », de dat 23 februarii 1596; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, Romae 1953, pag. 266, nr. 152.

[16] Cfr. *ibidem*, pag. 256, nr. 145: « Benedictus sit Pastor ».

dignentur habere benignam eorum rationem ac supremam proferre declarationem, qua nondum cum reliquis Reverendissimis D.D. Episcopi Fratribus meis sciam quid iuris anterior hac in re Metropolitanorum praxis, et vota praedicta Episcoporum decisiva mediante Apostolicae Sedis authoritate facta habere valent.[17] Verum ipse, posthabitis ulterioribus obstaculis, petendae hujusmodi translationis iter aggrediar. Quam gratiam Eminentiarum Vestrarum iteratis explorans vicibus, in osculo Sacrae Purpurae quam profundissimo cultu maneo

Eminentiarum Vestrarum Benefactor. singularissimorum humillimus et.... servus

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Episcopus Chelm.,
Coadjutor Metropolitanus (mpr).

Vladimirirae, die 21. 8bris, 1757 anno.

10.

Volodimiria, 27. X. 1757.

Pro retentione Archimandriae Kiovo-Peczarensis et Episcopatus Volodimiriensis simul cum Metropolia Kioviensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 776, f. 174rv.

Eminentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone et Benefactor Singularissime.

Nondum elapsum est biennium quo Sanctissimus noster Dominus meus Clementissimus, pro suprema sua per totum Christianum Orbem benignitate, etiam mihi ad nominationem Regiam et humillimas Ill.mi ac Rev.mi D.moderni mei Coadjuti supplicationes, una cum retentione Episcopatus Chelmen. et Abbatiarum Dermanensis, Dubnensiumque, invicem sibi conjunctarum, dignatus est conferre cum futura successione Coadjutoriam Metropolis Russiae. Sed cum paulo post idem Serenissimus Princeps Rex Poloniae, obveniente vacatione Episcopatus Vladimirien. et Bresten., post fata Rev.mi olim Teophili Godebski (: cujus anima sit in benedictionibus aeternis :) respexit clementissime, quamvis immeritam Personam meam nominatione sua Regia, cupiens eo ipso ut post assecutionem per me, si Altissimo adhuc placuerit, futurae plenae Sedis ejusdem Metropolis, non modo major utilitas Ruthenae nostrae Ecclesiae, ast etiam uberius Unionis Sanctae accrescat incrementum, proinde debite recognoscens quod idem Episcopatus et Abbatiae primo Kijovopieczaren. quamvis ad praesens in partibus, tamen quoad vin-

---

[17] Revera Wolodkowycz hac sua ratione agendi creavit praecedens, de quo postea fecit mentionem etiam S.C. de Prop. Fide, dum quaestio agebatur de translatione Maximiliani Rylło a Sede Chelmensi ad Peremysliensem. Cfr. defensionem Jasonis Smogorzewskyj in *Epistolae Metropolitarum*, vol. VIII, pag. 365, nr. 203.

dicanda a quibusvis Laicis nonnula ejus bona adhuc in Regno reperibilia per Serenissimum dictae memoriae Sigismundum Angustum,[18] Regem Poloniarum, cum Sede Metropolitana perpetuo unitae aliarumque anterius concessarum cum praedicta Coadjutoria mea ad eventum futurae plenae Sedis Metropolitanae absque nova Apostolicae Sedis gratia obtineri minime queat, (f. 147v) advolutus ad osculum Sacrae Eminentiae Vestrae Purpurae humillimis exploro precibus, ut pro experta sua erga me benevolentia, ad obtinendam in praemissis opportunae benignitatis Apostolicae clementiam, manum apponere et me favoribus Sanctitatis Suae commendare dignetur, quatenus tali modo nedum utilius necessitatibus Hierarchicis subvenire valeam, verum novis hujusmodi accessionibus singularis Eminentiae Vestrae de me protectionis integrum dierum meorum cursum condigne possim quibusvis venerandis nutibus ejus consecrare magisque profiteri quod sim vere et realiter profundissimo cultu

Eminentiae Vestrae D.ni Benefactoris singularissimi humillissimus et subpeditaneus servus

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Episcopus Chelmensis, Coadjutor Metropolitanus (mpr).

Emin.mo ac Rev.mo D. Card. Spinelli, Sac. Congr.s de Prop. Fide Praefecto.

Vladimiriae, die 27ª. 8bris, 1757 Anno.

11.

Radomyslia, 27. V 1758.

Constitutiones quaedam pro Archieparchia Kioviensi a Coadiutore Metropoliae datae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, t. 89, ff. 2-3.

Constitutiones[19] pro Archidioecesi Kijoviensi per Ill.mum, Excell.mum et Rev.mum D. Felicianum Philippum Wolodkovicz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopum pro tunc Chelmensem, Coadjutorem Metropolitanum totius Russiae, sub tempus Congregationis Generalis Decanalis in anno 1758, die 27 Maij, Radomisliae conditae, tenoris sequentis:

1mo: Imprimis reassumendo anteriores Constitutiones tam Synodi Zamosciae quam etiam per praeteritum Ill.mum, Excell.mum et Rev.dmum Metropolitanum Nosque ipsos conditas, ut ad unguem observentur, atque admodum R.di Decani sub poena depositionis ab Officio Protopresbyterali ad effectum deducere curent.

2do: Siquidem functio Decanalis, eorumque Visitationes non in vanum

---

[18] Sigismundus Augustus II, Rex Poloniae (158-1572).

[19] Exemplar harum constitutionum pastoralium multum iuvat ad melius cognoscendam rem pastoralem et curam animarum hisce temporibus in Ecclesia Unita, proinde has libenter studiosis rerum ecclesiasticarum tradimus.

sunt constitutae, quas Visitationes suas Admodum R.di Decani debent sufficienter conscribere, igitur ijdem Admodum R.di Decani si visitationum suarum sufficienter conscriptarum exemplar unum ad Cancellariam pro die 1 Februarii in anno Deo dante futuro 1759 non comportaverint, sciant, quod lapso eodem die, ad Officijs suis deponentur.

3tio: Qualemcunque iidem admodum R.di Decani sub tempus Visitationum suarum disordinem animadverterent et intelligerent, debent illum Decretis reformare, et eadem in scripto penes Ecclesiam relinquere, necnon taliamet ipsa Decreta Visitationibus suis ingrossare.

4to: Quilibet Admodum R.dus Decanus Prothocollum sufficienter confectum pro conscribendis causis minoribus, quae judicio eorum sunt praecommissae et Decretis per ipsos ferendis habere debet, eundemque ipsum quotannis tempore Congregationum Generalium, sub poena solutionis ad Fiscum Marcarum triginta, coram Officio Generali Consistorij Kijoviensis producere.

5to: Convocato per quemlibet Admodum R.dum Decanum pro Congregatione Clero sui Decanatus, intra octo hebdomadas ab actu hodierno computandas in eadem juxta Processus ad se directos debet secundum Formam in Synodo Zamosciana praescriptam Professionem Fidei Catholicae exaudire, eiusque exemplar diligenter conscriptum manibusque Presbyterorum subscriptum, sub poena Marcarum 50, ad Cancellariam porrigere.

6to: Tempore visitationum suarum Admodum R.di Decani debent numerum Parochianorum ad Acta visitationis, de nominibus et cognominibus, cum filijs ac filiabus conscribere deligenter, et cum Visitationibus quotannis in Officio producere.

7mo: Siquidem ex experimento patet quod R.di Parochi in nonnullis locis, et praecipue in Civitatibus, acquisitis civili jure fundis, in ijsdem aedificia extruunt, et circa Plebanalia aedificia minus curant, per quod Residentiae Praesbyterorum devastantur, igitur debent Admodum R.di Decani diligenter hoc praecustodire, ut qui in civili a se acquisito fundo aedificia extrueret, imprimis Residentiam plebanalem quam optime repararet. Et si aliquis eorum huic Constitutioni adversaretur et Domum suam Plebanalem per incuriam devastaret, debet praeter reparationem succumbere poenae pro re Ecclesiae propriae marcarum centum.

8vo: Vix non ex quotidiana experientia ipsi hoc non semel advertimus quod nonnulli RR. Parochi nolentes soli fundis suis ecclesiasticis uti, saecularibus ad usum tradunt et concedunt, alij autem non utentes continuo, jura per antecessores suos Presbyteros juxta antiquum morem Praesentationum possessa in dubium tradunt, et eo ipso Ecclesiae, per avulsionem in multis locis ecclesiasticorum fundorum ab Aula, non parvam tolerarunt injuriam. Ideo statuitur quatenus abhinc nullus audeat fundos ecclesiasticos laicis Personis dimittere, nec alio modo concedere, neque ipsi in possessione mutationem facere, et anterioribus fundis desertis novos aquirere, sin secus suasit se a Beneficijs amovendos esse, et paenis pecunarijs arbitrio Nostro irrogandis mulctandos.

9no: Siquidem in tot Constitutiones anteriores minime respicientes Presbyteri ad nundinas cum uxoribus et adhuc diebus Dominicis et Festivis non absoluta Domi propter Populum devotione frequentare solent, et in Domibus Judaeorum, absque ullo respectu characteris et dignitatis sacerdotalis cum simplicibus hominibus bibere, ac guerras cum scandalo publico excitare, ideo abhinc sub poena suspensionis per totum annum, sessionis carceris per hebdomadas duodecem, et solutionis pro pijs usibus marcarum 50, ne in nundinis ullus et praecipue die festivo, non absoluta Domi devotione, audeat non tantum cum uxore, sed etiam solus reperiri, et in Domibus Judaeorum bibere, et rixas tam inter se quam etiam homines laicales et eo magis percussiones excitare.

10mo: Ubicunque Presbiter post obitum suum uxorem viduam relinqueret, nemini licebit eidem derelictae viduae cum alio absque expresso consensu nostro seu Officij subalterni, et eo magis si simplici homini nubere velleret, matrimonium benedicere sub poena sessionis carceris per quartuale et solutionis ad pios usus marcarum 50. Illustres vero et Admodum R.di Officiales non debent praebere consensus etiam libero homini, nisi prius facerent per Inquisitiones purgationem, quod priorem maritum veneno non oppresserit, et post defunctum Presbyterum injuria Ecclesiae per illum vel eandem derelictam viduam facta non fuit compensata, ac deinde tutella liberorum delictorum cum substantia cuipiam alteri certo ac tuto non committeretur.

11mo: Accidit aliquando quod Presbyteri steriliter, absque debita dispositione substantiae suae, moriuntur, per quod eadem substantia cum injuria animae et Ecclesiae dislapidatur; quare satisfaciendo juri canonico et ipsi aequitati, statuimus, quatenus in tali puncto habita notitia statim Admodum R.dus Decanus Domum defuncti condescendat et imprimis et praesentia duorum ad minimim Presbyterorum vel hominum saecularium fidedignorum, qui suo tempore possent ad omnia jurare, omnia mobilia obsigillet, et deinde statim eorumque mobilium Inventarium sufficiens conficiat cum subscriptione testium, factaque dispositione funerali defuncti omnia mobilia ad sequestrum suum recipiat, propter faciendam cum illis prout de jure dispositionem, cum remissione Inventarij ad Officium Generale Kijoviense (f. 3) sese referat, quod exequi debent sub compensatione omnium damnorum, si quae per eorum incuriam orirentur.

12mo: Admodum R.di Decani et Parochi obligantur ex mente Synodi Zamosciane, quatenus filios suos qui sunt capaces ad studia, statim post quatuor hebdomadas ad Polonismum, deinde ad scholas latinas, saltim ad Rhetoricam, absque ulla alia declaratione applicent, quod debent maxime Admodum R.di Decani advertere, et negligentes Presbyteros, lapsis quatuor hebdomadis, si obedire recusarent, ab altari suspendere, ac ad Officium pro sumendis ulterioribus poenis Synodalibus remittere. Si autem pateret, ut aliquis Admodum R.dus Decanus in hoc Presbyteris dissimularet, talis non solum prout inutilis servus debet ab Officio Decanali deponi, sed etiam ad marcas centum ad pios usus condemnari.

13tio: Multum illaudabiles nonnullorum Admodum R.dorum Decanorum, et praecipue ad limites Regni existentium, irrepserunt abusus, quod sub praetextu praecustoditionis, ne illegitima fiant matrimonia, penes pristinum laudabilem morem, qui et moderna Constitutione firmatur, nulli Parocho permittunt, vel maxime in tali ora ubi est congressus varij undique populi, nemini absque suo imprimis, si vir priorem uxorem aut faemina maritum legitimum non habeat, judicio et consensu, benedicere matrimonium, audent contra omnem aequitatem cum laesione jurium Parochialium, circa revisionem et subscriptionem tempore visitationum suarum, sive alijs temporibus, Metricarum, numerando matrimonia, quae potuerant esse in quali Parochia, pro quolibet a R.dis Parochis per tynphonem et plus exigere, per quod Parochi, volentes vitare hanc injustam depactationem, consulto ad Metricas non omnia inscribunt matrimonia, quo ipso si aliquis tales Metricas suo tempore praetenderet, pericula praebent; quare serio et sub compensatione toties decies injuriatis eo modo exactae seu benevole datae sibi ab illis solutionis, ac praeterea ad Fiscum Marcarum centum, idemmet abusus admodum R.dis Decanis, qui in hoc habitu versantur, prohibetur.

14to: Absque omni rationis dictamine solet saepe saepius practicari, quod aspirantes ad Ordines et Beneficia, antequam adhuc Fundatio ab Haeredibus et a Nobis consensus pro aedificatione ecclesiae praecesserit, et eademmet ipsa ecclesia totaliter extructa fuerit, tum etiam intus apparamentis, libris, imaginibus et alijs ad usum ecclesiasticum necessarijs requisitis provisa extiterit, aut aliquod aliud Beneficium vacaverit, audent ad tales ecclesias Praesentationes obtinere; quare, si inposterum talis concurrens cum simili Praesentatione pro non erecto adhuc, vel non vacanti Beneficio demonstraretur, talis Praesentatio non solum nullum valorem secundum jus habere debeat, sed etiam idemmet ipse concurrens, nisi saltem praeter bonos mores esset Rhetor, (f. 3v) pro inhabili ad assequendum idemmet ipsum Beneficium declaratur, si autem circa pertinaciam suam voluisset persistere, ad paenas corporales debet per Illustres et Admodum R.dos Officiales condemnari.

15to: In multis locis et praecipue ad limites Dominij Moschorum patuit, quod nonnulli Admodum R.di Decani et R.di Parochi, immemores Synodi Provincialis Zamoscianae, non tantum soli titulo religionis colendae Kioviam freguentare, sed etiam filias Suas Connubio civibus Kijoviensibus alijsque Personis Rossianis post limites Regni hujus existentibus tradere praesumunt, ideo reassumendo in hoc puncto Constitutionem Synodi Zamoscianae non tantum filias connubio post limites Regni sub poena privationis Beneficio tradere, sed etiam solis absque justis causis per nos seu per Illustres et Admodum R.dos Officiales Nostros imprimis intellectis et expresso ad id Officij Nostri consensu, qualicunque praetextu et eo magis pro devotionibus et confessionibus Kijoviam discedere, praeter paenas in Synodo Zamosciana praescriptas, sub vadio Marcarum 50, in pios usus solvendarum, prohibemus.

16to: Occurrendo ne ulla impia et Fidei Catholicae obnoxia irrepat in archidioecesi Kijoviensi doctrina, tam Admodum R.dis Decanis, quam etiam

R.dis Parochis serio et sub incursu in Excommunicationem Bullae Caenae Domini Gregorij XII, prohibemus ne ullus audeat libros non tantum apud nos sed etiam in Dominio Rossiae prohibitos et combustos,[20] apud se retinere et eo magis absque expresso ad id Sedis Apostolicae consensu legere, et cui alteri, carenti ad id facultate, ad legendum permittere.

17mo: In reliquo, volendo occurrere quibusvis inconvenientijs, quae per extra-Dioecesanos et vagos Presbyteros, absque expressa admissione nostra, in varijs locis Archidioecesis Kijoviensis degentes, non absque convulsione iurium Parochorum et detrimento magno animarum Fidelium oriri solent, igitur, renovando anteriores constitutiones et jus canonicum in hac materia praescriptum, statuimus, ne ullus Parochus ex aliena Diocesi Presbyterum audeat absque expressa, prout de jure, admissione nostra, quam nobismet ipsis tantum reservamus, ad vicariatum suscipere et ad celebrandum admittere, sub contrahenda in propriam Personam suspensione per totum annum et solutione ad pios usus marcarum centum. Quare si ubicunque absque dimissione et attestatione proprij Pastoris per Archidioecesim alienus Presbyter vagaretur, debet statim captivari et ad Officium nostrum remitti.

* * *

12.

Iuramentum super fideliter et diligenter obeundo munere per Decanos praestitum. Anno Domini 1759, die Lunae, 17 mensis Maij, Radomysliae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 5rv.

Coram Officio et Actis praesentibus Coadiutorialibus Metropolitanis Archidioecesis Kijoviensis. In mei meorumque Actorum Notarii infrascripti praesentia, constituti personaliter Adm. Reverendi Decani infrascripti, satisfaciendo ordinationi Ill.mi, Excell.mi et Rev.mi Prothotronii, moderni Coadiutoris Metropolitani loci, praesentes, sub die Lunae 16 mensis Martii anno superiore 1758, in litteris processus Cancellariae suae Ill.mae Excell.mae emanatis et per Archidioecesim praesentem transmissis, intimatae, qua mediante singulis sibi super debite et fideliter adimplendo munere decanali iuramentum praestandum est demandatum, idem iuramentum super eorum munere (f. 5v) obeundo palam, publice libereque, Sancta Dei Evangelia prae oculis habentes, tacto pectore praestiterunt in eam quae sequitur formam:

Juro Deo omnipotenti Creatori caeli et terrae visibilium omnium et invisibilium Trino in Personis uni in Deitate, quod ex officio meo decanali Ill.mo D. loci Ordinario eiusque cum futura successione Coadiutori Archiepiscopo Metropolitano loci paenes Officium ipsorum Generale in iis omnibus quae ad officium meum decanale de iure et laudabili consuetudine pertinent fidelis et obediens ero, iura episcopalia usu introducta manutenebo et conser-

[20] Agitur, ut videtur, de libris editis a non Unitis in ditionibus moscoviticis degentibus, praesertim in typographia Kioviensi.

vabo, seditiones et scissiones quasdam inter clerum Decanatus mei, si quae contra iurisdictionem et auctoritatem ipsorum ordinariam archidioecesis praesen., quae bonum ordinem et reginem internum archidioecesis contra constitutiones Apostolicas et dispositionem iuris atque statuta Provincialia et Archidioecesana legitime edita et approbata vel usu recepta impedirent adverterem, omni possibili modo sedabo et advertam, vagos, ignotos, peregrinos et absque testimonialibus suorum Superiorum per Archidioecesim transeuntes quosvis clericos et in sacris constitutos pro posse captivabo et captivari faciam eosque ad Officium Generale Ill.mi Domini loci Ordinarii remittam, alios vero Confrates Parochos aut quosvis Beneficiatos vel eorum Vicarios sive quovis alio titulo vocitatos saeculares locales Clericos ex charitate et necessitate correctionis non autem ex odio, aliquo alio illicito praetextu ad ipsum eiusque Officium deferam, nec ex nexu sanguinis aut amicitiae excessus eorum retinebo, Censores morum qui vitam eorum omnium et quorundam fidelium inspectioni nostrae commissorum observant, duos in Decanatu meo constituam eosque propter maiorem mei ipsius informationem conservabo. Ex vi officii decanalis quotannis ecclesias in decanatu meo consistentes visitabo, et Acta visitationum pro exigentia ecclesiarum et locorum quatenus opus fuerit diligenter connotabo, Decreta et ordinationes synodales et alias quascumque pro restauranda ecclesiastica disciplina ac reformando Clero et populo nec non statu meliori ecclesiarum ab Ill.mo D. loci Ordinario praeterito et moderno eiusque Coadiutore ac Successoribus eorum facientes fideliter pro posse meo exequar et exequi curabo, de vita et moribus praedictarum personarum et de aliis eorum excessibus inquiram, et ut gravitas materiae postulaverit punienda Officio eius Generali deferam, convocationes decanales quatuor vicibus in anno Parochorum aliorumque curam animarum habentium instituam, et in eisdem examen rigorosissimum de iis quae ad curatos spectant peragam et insufficientes prout necessitas postulaverit sive a Divinis sive ab exercitio Ordinum vel Ordinis alicuius executione suspendam, ac postea bene instructum et idoneum ad Officium ordinarium pro absolutione remittam. Parochis ut parochianos suos in articulis fidei qualibet Dominica et festo Synodali et cum illis preces processu anni elapsi descriptas recitent, verbumque Dei ad populum iisdem diebus praedicent, tam in visitationibus quam in convocationibus inculcabo, et de observantia eiusdem puncti inquiram, ac negligentes pro poenis toties quoties opus fuerit deferam, viduis sacerdotum, etiamsi ad alia vota convolare voluerint, benedictionem matrimonii, nisi prius se coram Officio ordinario, quod in vitam prioris mariti non machinaverint, expurgaverint et dispositionem respectu substantiae (f. 6v) sacerdotalis et prolis cum sacerdote marito suo procreatae educandae factam, ab eodem Officio habuerint, et respective cum servis glebae et in eadem villa impediam. Post steriles autem presbiteros substantiam totam et integram morte eorum derelictam et per defunctos indispositam, ad mentem constitutionis archidioecesanae fideliter et conscientiose conscribam, et eam sequestrabo, ac inventarium omnium derelictorum statim Officio transmittam, dispositionemque eiusdem Officii ordinarii requiram. In concurrentia

ad beneficia ecclesiastica semper magis idoneos et eruditos praeferam, et eum qui dignior et habilior videbitur, omisso minus digniori, quantum ex me erit promovebo. Beneficiatos ad erudiendos et educandos filios pro posse in studiis latinis cogam et compellam. Meliori statui et immunitati ecclesiarum et personarum spiritualium et ecclesiasticarum invigilabo aliaque quae ad munus decanale, praeter hic expressa sunt, pertinent, peragam et adimplebo. Et haec omnia quantum potero faciam. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia, et se propter firmius robur et juris effectum manibus propriis his in actis subscripserunt: -

Theodorus Bielawski, Decanus Pavoloczen. - Andreas Bielawski, Decanus Tetijovien. - Simon Koltunowski, Decanus Bialocerkwien. - Joannes Girycz, Decanus Zytomirien. - Basilius Zablocki, Decanus Lubaren. - Laurentius Szakalowski, Decanus Czehrynen. - Joannes Stopczanski, Decanus Pohrebyscen. - Basilius Kremerowicz, Decanus Zywotovien. - Ambrosius Ustowski, Decanus Niemierovien, - Cornelius Szpanowski, Decanus Kalnicen. - Basilius Gajewski, Decanus Komargroden. - Joannes Lasecki, Decanus Braclaviensis. - Stephanus Prusinski, Decanus Humanen. - Athanasius Gdyszycki, Decanus Smilanen. - Joannes Strocki, Decanus Granovien. - Mattheus Krzynicki, Decanus Radomyslien. - Joannes Hanicki, Decanus Dymyrien. - Romanus Wyhowski, Decanus Winnicen. - Georgius Mokrzycki, Decanus Korsunen. - Basilius Zaiaczewski, Decanus Czeczelnicen. - Petrus Kolhonowski, Decanus Raszkovien. - Gregorius Starozynski, Decanus Brailovien. - Basilius Pisarko, Decanus Jampolen. - Petrus Radziejowski, Decanus Krasnianen. - Joannes Wizenski, Decanus Bohuslavien. - Romanus Klinicki, Decanus Mosznen. - Basilius Andzejewski, Decanus Kaniovien. - Artemius Strutynski, Decanus Czudnovien. - Josephus Skulski, Decanus Berdyczovien. - Stephanus Witwicki, Decanus Owrucen. - Petrus Blonski, Decanus Barassovien. - Basilius Konaszewicz, Decanus Fastovien. - Joannes Maxymowicz, Decanus Brahynen. -

13.

Radomislia, 24. VI. 1758.

In negotio cuiusdam compositionis de bonis Metropoliae Kioviensis exponit statum iuris et facti.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Rutenia*, vol. 8, f. 501, 503.

Illustrissime, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine Patrone Colendissime.[21]

Certum quidem est me quondam in vindicatione Bonorum Barachty ab Illustrissimo olim Duce Jablonowski, Palatino Ravensi, uti capitaneo Bialocerkiewiensi, et post obitum eius omnem operam adhibuisse, sed cum paulo post, intervenientibus fatis ipsius, idem Capitaneatus cum Bonis praedictis ad

---

[21] Nuntio Apostolico Varsaviensi, Nicolao Serra (1754-1760).

eum appropriatis ex dispositione Regia Illustri et Magnifico D. Mniszech, Mareschalco Curiae Regni, collatus esset, ipseque Excell.mus ac Rev.mus D. meus Coadiutus epistola sua ad Ill.mum scripta, ne hac vindicatione mea ipsum offensum sibi et negotiis aliis relinqueret, huic negotio totaliter renunciasset, ita ut nolens volens omnino de incepta eorundem Bonorum possessione pulsus cedere debueram, meliorem non potui invenire modum, quam ut postea reconciliato eodem Illustri D. Mareschalco, quem hac occasione offensum mihi habui, nec aliter uti cum potentiori eandem recuperationem in Tribunali Regni promovere volui, cum eo ipso circa mediationem amicorum motu proprio compositionem certam conscriberem, qua nedum dictus Illustris D. Mareschalcus Decreta quaevis necessaria pro re Ecclesiae Metropolitanae secundum Iura pro eadem militantia respectu eorundem Bonorum in Tribunali Regni et dislimitationem ipsorum a Capitaneatu Bialocerkieviensi admittere, ast etiam ego post assecutionem, si Altissimo adhuc placuerit, plenae Sedis eiusdem Metropolis ipsum circa possessionem praetensam dictorum Bonorum ad vitae tempora tolerare ab invicem obligaremur; Cuius quidem Transationis originale exemplar cum in Residentia Vladimiriensi ante aliquot menses casualiter conflagrata igne consumptum sit, de quo iam et Excell.mum D. Meum Coadiutum certiorem reddidi, ad eius requisitionem meliorem hic et nunc etiam Ill.mae ac Rev.mae Excell.mae Vestrae hujus (f. 501v) rei non possum facere explicationem, quam quae in annexo folio responsi ad me dati Ill.mi ac Rev.mi D. Episcopi latini Kijovien. Quem uti pro utraque Parte compositionis eiusdem Amicum pro communicatione alterius similis Transactionis in manibus Illustri et Magnifici D. Mareschalci relicti allocutus apparebit, si enim nec primus sufficeret meaque praeinserta informatio nihil concluderet, tunc idem Ill.mus ac Rev.mus D. Episcopus pro sua conscientia maiorem de praemissis omnibus poterit perhibere attestationem.

Non video itaque talem necessitatem ut haec compositio, tanquam non in praejudicium aliquod Ecclesiae facta, Apostolica indigeat confirmatione, quinimo arbitrarer, ut quantocius ad mentem eius Decreta reintegrationem eorundem Bonorum ad Mensam Metropolitanam importantia in Tribunali Regni et Iudicio Succamerariali obtineantur. Sed quia vocandae Causae eiusmodi, quae ex condicto (: prout apud nos vocant :) ex Regestris Ordinariis, ut eo ipso omnis cuiusvis condictaminis apud Iudicem et inpost effugiatur suspicio, promovenda est ex ordine suo, nondum ad iudicandum veniunt, ideo ex sensu Iurisperitorum Regni istius prudenter debeo expectare commodiora tempora, ne praemissis aliqua inpost relinquatur occasio litis maioris et Decreta ipsa dum ad seriem pervenissent, suis frustrarentur effectibus.

Quamvis enim haec Transactio nullis Actis publicis inserta esse videatur, per quod supponitur ex sensu nonnullorum, quos optime novi, aliquam occultam in se continere fraudem, hoc ipsius consulto studio factum esse existimatur, quia non decet tales actus publicos esse, qui in se licet non realiter, attamen interpretative possunt includere quaevis praetensa praejudicia (f. 503) Bonorum Reipublicae, qualia omnium Capitaneatuum recensetur, imo expedit

ut obtentis quibusvis Decretis eo necessariis, Contractus novus arendatarius ad dilaniandam talem compositionem, ut nec vestigium eius, quod condictitia Acta de Iure Regni reponibilia indicaret, amplius superesset, cum Illustri et Magnifico D. Mareschalco conficiatur.

Scio ego peroptime, Excell.me ac Rev.me Domine, quia ad videndum huius Transactionis originale (: quod si non conflagratum haberem procul dubio ad mandatum Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae statissime transmitterem :) non tam ratio necessitatis proprii muneris legationis, quam perversitas aliorum, a quibus praetextu vacationis Vladimirien. continuo molestor, permovit eam. Si vero idem originale omnino necessarium esse videretur, tum omnem movebo lapidem ut mihi ex altera Parte communicetur; sed effectus ipsi huius Transactionis probabunt, quale in hoc studium habere cogitabam. Modo vero in debitae devotionis et recognitionis meae argumentum profiteor quod sim profundissimo cultu.

Ill.mae Excell.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae et Patronis Colmi
devotissimus et humill.mus Servus
F. Wołodkowicz, Ep. et Coad. Metrop. (mpr.)

Die 24 Iunii, 1758. Radomiszlia.

14.

Radomyslia, 5. VIII. 1758.

Iterum de transactione de bonis Metropoliae Kioviensis cum quibusdam Nobilibus contracta, ut confirmetur a Sede Apostolica.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 515-516.

Illustrissime, Excellentissime ac Rev.me Domine, Patrone Colendissime.

Ex iteratis in uno eodemque negotio die 13ª modo elapsi mensis Iulij Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae ad me datis literis, plene subintellexi eam esse ejusdem voluntatem, ut Transactionem cum Illustri et Magnifico D.no Mniszech, Mareschalco Curiae Regni, uti Capitaneo Bialocerkiewiensi, conceptam ad obtinendam Apostolicae Sedis oraculo Confirmationem Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae transmitterem; inspecto eo, quod quosvis Bonorum ecclesiasticorum Possessores, et tanto magis Episcopos, qui non Domini sed solummodo Curatores a SS. Patribus recensentur, absque ajusdem S. Sedis beneplacito de illis pro arbitrio suo nullatenus disponere posse. Cum vero anterioribus meis jam significaverim Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae praetactam Transactionem pro mea parte conscriptam Vladimiriae igne consumptam esse, et non remansisse aliam nisi in manibus Illustris et Magnifici D. Mareschalci relictam, ideo scribo ad Illustrissimum ac Rev.mum D. Episcopum Kijoviensem latinum,[22] rogando ipsum

[22] Caietanus Sołtyk, Episcopus Kioviensis latinus (1756-1758), antea Coadiutor Cracoviensis (1748), et dein et ipse Episcopus Cracoviensis (ab anno 1758).

ut si non originalem saltem si foret facile copiatim descriptam ab eodem Illustri et Magnifico Mareschalco pro se expetere, ac Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae, ad tollendas quasvis dubietates communicare non gravetur. Non diffido itaque quod idem Ill.mus ac Rev.mus D. Episcopus, uti eius Illustris et Magnifici Mareschalci intimus amicus, facilius hoc pro se ipso apud eum efficiet, et quod promitto adimplebit.

Quod vero spectat Sancita SS. Patrum de non subsistendis ratione Bonorum ecclesiasticorum per Episcopos et quosvis alios nomine spiritualium Possessores peractis absque apostolico consensu, ut supponitur in contrarium, dispositionibus, notum mihi (f. 515v) est hoc peroptime quod et ipse solus amplector. Sed prius Illustrissima ac Reverendiss'ma Excellentia Vestra benigne intelligere vellet de qualibus hic... res agitur, et revera colliget non de possessis sed adhuc de man... solito Iuris ordine in subselliis Regni uti Iudicijs Posessorijs pro re Ecclesiae vindicandis. Unde non sequitur ut haec Transactio, veluti per modum cujusdam simplicis praeambuli tantum ad peragenda futura, quae sunt de Jure, etiam ex parte Illustris et Magnifici D. Mareschalci facienda confecta, non possit ad aliquod tempus, quo elapso extingui debet, absque apostolica subsistere firmitate. Deinde quod haec Transactio nullam in se includit alienationis speciem nihilque adhuc in re ponit, nisi solam admissionem decretorum et dislimitationum pro re Ecclesiae facientium, quibus obtentis, modo primum quaeritur ut dictus Illustris et Magnificus D. Mareschalcus Bonorum tanquam arendatarius tenutarius conservetur.

Quibus ita positis, pro meo sensu quem iudicio Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae submitto, non video exigentiam de praesenti impetrandae opportunae Sanctae Sedis confirmationis, aut ad vindicanda praedicta Bona consensus, ex quo quemlibet Ecclesiasticum recuperationi avulsorum pro iurata obligatione quantum fieri potest incumbere debere; satis pro me erit (:nisi aliter Excell.mus ac Rev.mus D. meus Coadjutus vel pro se ipso fortiori studio et cura via Juris eadem Bona rehabendo vel aere eximendo disposuisset:) quod expositus ad expensas non quaero propriam commoditatem, sed solummodo ea, per quae Jus firmum ad Bona et emolumentum ex illis relinquam successori. Hoc tamen semper est cavendum, ne praedicta Transactio, uti Statibus Reipublicae praesertim hoc saeculo odiosa, dum manifesta erit multis, circa incidentiam in Tribunali Causae ejusmodi (:si ab aliquo Iudicibus subiceretur Remissionem ejusdem prout factum fuit respectu Bonorum (f. 516) Grudek et Obarow cum Reverendissimo olim Metropolitano Leone Kyszka ad Comitia Regni ubi periret:) efficiat. Quae omnia consumatae Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae relinquens prudentiae, solito obsequiosissimo cultu indesinenter permaneo.

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae devotissimus et humillimus servus

F. Wolodkiewicz, Episcopus, Coadjutor Metrop. (mpria).

Die 5 Augusti 1758. Radomisliae

15.

Volodimiria, 28. VIII. 1758.

Inculcat observantiam rituum, cerimoniarum etc. nec non disponit de instruendo populo in rebus fidei et de aliis rebus disciplinam cleri spectantibus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 4-5.

Processus typo impressus et ad quamlibet ecclesiam Archidioecesis Kioviensis, tum quoque Chelmensis et Belsensis nec non Vladimiriensis et Brestensis in anno 1758 transmissus.

Felicianus Philippus Wolodkowicz etc. admodum Reverendis, etc. salutem in Domino.

Sequitur denuntiatio electi moderni Ill.mi Domini Nostri Clementis XIII ad Summum Pontificatum, ipsiusque commendatio commemorationis in Sacris Dipticis aliisque Divinis Officiis et Horis Canonicis, quatenus illum Supremus Pastor ad utilitatem Ecclesiae Sanctae quam diutissime incolumem conservet, et post haec ordinatio subiungitur tenoris ejusmodi.[23]

Commendamus praeterea et in conscientia omnes obstringimus, quatenus per ecclesias omnes saecularium et regularium devotio Ritu proprio Graeco, lingua sclavonica, secundum Rubricas a Sanctis Patribus Ecclesiae Orientalis nobis traditas et a Sede Apostolica, ubi non intercedit diversitas fidei sanctae, catholicae doctrinae sanae et Unionis cum Ecclesia Universali Romana factae, non modo multis Decretis et Constitutionibus confirmatas aut etiam ad exequendam demandatas, prout in quibusdam diebus festis est in libris correctis et hic modo in Regno post ampliationem eiusdem Unionis Sanctae impressis et typicis traditis descriptum cum Nocturnis, Seminocturnis, Matutinis et aliis sanctis orationibus, deprecationibus, Horis canonicis et sacrificiis tremendis absolvantur et Ritus suos diligenter custodiant, alias sub tempus Visitationum generalium contra secus procedentes et facientes iustissima succedere deberet animadversio. Quoniam vero in nonnullis locis magna obligationibus parochialibus per illos quibus salus animarum hominum pretioso Sanguine Christi redemptarum est praecommissa eruitur incuria, per quam oves Christi errare coguntur, non habentes ad felicem aeternitatem verbo Dei, doctrina salutifera et exemplo vitae, virtutum et morum bonorum Praecursores, proinde inhaerendo Statutis Synodi Zamoscianae et sancitis Archidioecesis et Dioecesum iurisdictioni nostrae concreditarum, serio et sub duplicata poenalitate tam in eadem Synodo quam aliis Constitutionibus descriptis, ac denique si hoc totaliter neglexerint sub privatione Beneficiis ad primam delationem et deductionem mandamus, quatenus in qualibet ecclesia ad quam Parochia spectat, saltem Diebus Dominicis et Festivis verbum Dei et Doctrina Christiana, quid rudior populus evitare debeat et quas virtutes sequi,

---

[23] Excerptum ex epistola Coadiutoris; primam partem invenire non potuimus.

saltem ex libris, fidei tamen nostrae catholicae et doctrinae Ecclesiae Universalis Romanae non repugnantibus ad capiendum populo rudi cum omni affabilitate praedicetur, tum etiam sub iisdemmet ipsis poenis praecipimus, quatenus quilibet Parochus, si non post Evangelium, prout Sancta Synodus (f. 4v) Zamoscensis obloquitur, saltem finita Liturgia Sancta qualibet Dominica et aliis diebus, quando plures homines ad ecclesiam congregarentur, doceat illos, quid scire debent, ut salutem adipiscantur, ex catechismo et articulis fidei, iuxta editam in hunc finem Doctrinam in Theologia morali, prout illam apud nos Casus appellant, et modernis temporibus lingua sclavonica distributa in se continentem. Ante inchoationem cuius catechismi debet imprimis dicere clara voce cum illis paulatim ad capiendum preces, nempe: In nomine Patris etc., Gloria Tibi, Domine noster, etc. Rex caelestis etc. Sanctus Deus, etc., Gloria Patri etc., Sanctissima Trinitas, etc., Domine miserere, etc. Gloria Patri, etc., Pater noster, etc., Domine miserere, etc., Venite adoremus, etc., Credo in unum Deum, etc., Annihila, dimitte, etc., Ave Maria, etc., Sub tuum praesidium, etc., Gloriosissima semper virgo, etc., Dignum est, etc., — deinde confessionem quotidianam sclavonica lingua: Ego peccator homo, etc., Actum contritionis: Domine Deus meus, etc., In reliquo articulos fidei principaliores, septem Sacramenta, decem Dei et Ecclesiae praecepta, et ulterius. — In puerili autem aetate existentes debet divisim ad vesperas, cantus Ecclesiae, ad preces et exercitium articulorum fidei principalium, tum etiam Dei et Ecclesiae praecepta, et ulterius, qualibet die Dominica applicare et inclinare. Non bonum autem est, imo turpe et periculosum, ut qui praecursores aliis esse debent ad salutem et viam eiusdem monstrare, eam ipsi nesciant, et vix aliquis prodesse cui potest, dum ipse Domui suae praeesse nescit. Proinde inhaerendo eisdem statutis et sub poenis in ipsis descriptis aliisque gravioribus serio iniungimus, ut quilibet Presbyter propter aedificationem et fortiorem illustrationem concreditarum ovium sibi, abiectis inconvenientibus statu suo curis, negotiationum prohibitarum et divagationum minus necessariarum, vitam exemplariter ducat et in morali Theologia sclavonice tradita legendo illam saepissime versetur, atque filios suos ad hoc aptos, post doctrinam et studia Ruthenica, ad scholas latinas saltim ad Philosophiam omnino applicare procuret. Praecavemus insuper sub poenis ad id in archidioecesi Kijoviensi praescriptis, quas et ad alias extendendas haberi volumus et serio iniungimus, quatenus nullus presbyter praeter discendentes cum testimonio sui proprii loci Ordinarii, prout nullis censuris innodatus existit, audeat ex aliis alienis Dioecesibus aufugis, vagis, tum etiam Literas Dimissoriales habentibus, et praecipue post limites Regni a schismaticis ordinatis, etiamsi secundum ius absolutis et dispensatis, in ecclesia sua celebrandi devotionem, absque expressa a nobismet ipsis in scripto admissione, permittere, et eo magis ad vicariatum assumere, imo tales, si intra spacium duarum hebdomadarum a publicatione praesentis processus ex archidioecesi et dioecesibus non migrarent et non cederent, commendamus captivare, ligare, et ad Officia nostra remittere. Denique in sanctum et salutiferum insti-

tutum quotidiana versari devotione eo magis tunc temporis, dum in electis ad id orationibus et Domino Deo placabilioribus per pias illarum recitationes, insimul duplicem fructum possimus sortiri, nempe Indulgentiam plenariam a poena et culpa, quas quilibet homo per peccata commissa post Baptismum Sacrum contrahere potest. Multi igitur vulgati id affirmant scriptores, quod Adrianus VI Papa ex inhaustis thesauris maximi pretii Passionis Christi, meritorum Beatissimae Mariae Virginis et Sanctorum Domini in Ecclesia Dei depositis omnibus Christi fidelibus in peccato mortali non existentibus, qui audita ad id voce campanae de mane, meridie et vespere tribus vicibus Angelicam salutationem recitarent, pro quolibet tempore huius recitationis, tam propter illos ipsos, quam etiam eliberationem animarum in purgatorio detentarum, si pro ipsis vel aliqua una ex ipsis velleret quis has tres salutationes devote corde offerre et recitare, concessit perpetuis temporibus plenariam indulgentiam a culpa et poena, qua quemlibet hominum facit aptum placandi in necessitatibus congruis Maiestatem Divinam, et tollet poenam, quae post mortem in purgatorio pro nostris delictis contingi posset. Quare ut Christi fideles possint fieri participes huius indulgentiae, omnibus Parochis districte et sub poenis gravibus iudicio nostro reservatis mandamus, quatenus quilibet eorum de mane, meridie et vespere unam campanam, diebus Dominicis et festis magnam, caeteris autem diebus minorem cum triplici cessatione quotidie pulsare iubeant, et populum suum parochianum, ut audita eadem voce salutationem Angelicam nempe «Ave Maria etc.» tribus vicibus devote recitet, data illi superius expressa doctrina quolibet mense prima hebdomada, invitet. Pro notitia vero omnium vestri de hac ordinatione nostra, praesentem processum typo impressum, ut ad quamlibet ecclesiam per unum exemplar Admodum Reverendi Decani more solito transmittant, ac Reverendi Parochi in ecclesiis publicent, et valvis ecclesiae per duas hebdomadas affictum detinentes, postea in ecclesia parieti affigentes, cum aliis ad visitationes et commemorationem sibi conservent, mandamus. Datum Vlodimiriae, die 28 Augusti, 1758 anno. —

FELICIANUS, Episcopus, Coadiutor Metropolitanus totius Russiae, Vlodimiriensis et Brestensis Administrator. — Locus sigilli —

16.

Berestj, 2. I. 1759.

De conferendis Ordinibus cuidam bigamo.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 69.

Transumptum ex litteris missivis Ill.mi et Rev.mi Domini Feliciani Wolodkowicz, Episcopi Chelmensis eo tempore, in praesentiarum Vladimiriensis et Brestensis ad Admodum Rev.dum Joannem Pomorzkant, Officialem et Decanum Chelmensem, datis die 2 Ianuarii anno 1759.

Perillustri ac Rev.mo in Christo Patri Pomorzkant, Officiali Chelmensi, Fratri observando. Chelmae.

Quoniam adhuc dispensatio remanet pro Bigamis, igitur ad petita Andreae Turkiewicz, volentis nubere cum vidua Czerniczynensi, ideo nubant in Festis futuris, et properet ad me Brestam infallibiliter pro conferendis Ordinibus, cum pecuniis, sine quibus nec gressum moveat domo. Ego morabor Brestae usque ad Epiphaniam.

His expressis, maneo intimus Pastor

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Episcopus

17.

(*Volodimiria*), *29. I. 1759.*

Professio fidei catholicae novi Coadiutoris Metropoliae Kioviensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia, e Ruteni*, vol. 8, f. 557-560.

Ego Felicianus Phylippus Wolodkowski, Episcopus nuper Chelmensis in Episcopum Vlodimirien. Electus, firma fide credo, et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo Fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: — Credo in unum Deum Patrem omnipotentem... et in spiritum Sanctum Dominum et vivificantem qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur... Amen. — Veneror etiam et suscipio Universales Synodos, prout sequitur, videlicet: — Nicaenam primam et profiteor quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est Dominum Jesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum unigenitum id est ex substantia Patris natum non factum consubstantialem Patri atque impias illas voces recte in eadem Synodo damnatas esse quod aliquando non fuerit, aut quod factus sit ex ijs quae non sunt aut ex alia substantia vel essentia aut quod sit mutabilis vel convertibilis Filius Dei. - Constantinopolitanam primam, secundam in ordine, et profiteor quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum Spiritum Sanctum non esse servum sed Dominum, non creaturam sed Deum, ac unam habentem cum Patre et Filio Deitatem. - Ephesinam primam, tertiam in ordine, et profiteor quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est Divinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili Unione in una Persona Filij Dei unum nobis (f. 557v) Jesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem Mariam vere esse Dei Genitricem. - Chalcedonensem, quartam in ordine, et profiteor quod in ea contra Eutichen ex Dioscorum ambos damnatae memoriae definitum est, unum eundemque Filium Dei Dominum Nostrum Jesum Christum perfectum esse in Deitate et perfectum in humanitate Deum verum et hominem verum ex anima rationali et corpore consubstantialem Patri secundum Deitatem et eundem consubstantialem nobis secundum humanitatem per omnia nobis similem absque peccato ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem in novissimis autem diebus eundem

propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem unum eundemque Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconsfuse, immutabiliter indivise, inseprabiliter agnoscendum nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate unius cuiusque naturae et in unam Personam atque substantiam concurrente non in duas Personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et unigenitum Deum verum Dominum Jesum Christum. Item ejusdem Domini nostri Jesu Christi Divinitatem secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritui Sancto impassibilem esse et immortalem, eundem autem crucifixum, et mortuum tantummodo secundum carnem et pariter definitum est in dicta Synodo et in Epistola S. Leonis Romani Pontificis cujus ore Beatum Petrum Apostolum locutum esse Patres in eadem Synodo acclamaverunt. Qua definitione damnatur impia haeresis illorum qui Trisagio ab angelis tradito et in praefata Chalcedonen Synodo decantato Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis addebant: Qui crucifixus est pro nobis atque adeo Divinam naturam trium Personarum passibilem asserebant et mortalem. - Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua praefatae Chalcedonensis Synodi definitio renovata est. - Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, et profiteor quod in ea contra Monothelitas definitum est, in uno eodemque Domino Jesu Christo duas esse naturales voluntates et duas naturales operationes indivise inconvertibiliter inseparabiliter inconfuse, et humanam ejus voluntatem non contrariam sed subjectam Divinae ejus atque omnipotenti ejus voluntati. - Nicaenam secundam, septimam in ordine, et profiteor quod in ea contra Iconoclastas definitum est Imagines Christi ac Deiparae Virginis (f. 558) nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem ac reverentiam impertiendam. - Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, et profiteor in ea Photium merito fuisse damnatum et Sanctum Ignatium Patriarcham restitutum. - Veneror etiam et suscipio omnes alias Universales Synodos authoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas et praesertinam Florentinam Synodum et profiteor quae in ea definita sunt videlicet: quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno Principio et unica spiratione procedit. - Item dictionem illam (: Filioque :) veritatis declarandae gratia et imminente necessitate licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. - Item in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. - Item si vere praenitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis eorum animas poenis purgatorijs post mortem purgari et ut a poenis hujusmodi releventur prodesse eis Fidelium vivorum suffragia Missarum scilicet Sacrificia orationes et elemosinas et alia pietatis officia quae a Fidelibus pro alijs Fidelibus fieri con-

sueverunt, secundum Ecclesiae Instituta illorumque animas qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt illas etiam quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae sunt purgatae in Caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum Trinum et unum sicuti est, pro maeritorum tamen diversitate alium alio perfectius, illorum autem animas qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere poenis tamen disparibus puniendas. - Item Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere Primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam ut eadem Florentina Synodus asserit in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris Canonibus continetur. - Item legalia veteris testamenti seu mosaicae legis cerimonias sacra sacrificia et Sacramenta Domino Nostro Jesu Christo adveniente cessasse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse, ejusdem etiam legis veteris ciborum mundorum et immundorum diffirentia ad cerimonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. - Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato illi tempori congruisse, ut inter Iudaeos et Gentiles dissensionis materia tolleretur, cujus apostolicae prohibitionis causa cessante (f. 558v) etiam cessavit effectus. - Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum et profiteor quae in ea deffinita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in Missa verum proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in SS.mo Eucharistiae Sacramanto (: juxta fidem quae semper in Ecclesia Dei fuit :) contineri vere realiter et substantialiter corpus et sanguis una cum anima et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi ac proinde totum Christum fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, et sub una quaque specie et singulis cujusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri. - Item septem esse novae legis Sacramenta a Christo Domino Nostro instituta ad salutem humani generis quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet Baptismum Confirmationem et Ordinem iterari non posse. - Item Baptismum esse necessarium ad salutem ac proinde si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocunque et quandocunque sub debita materia forma et intentione collatum esse validum. Item Sacramenti matrimonij vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium haeresim et alias causas possit inter conjuges thori et cohabitationis separatio fieri non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. Item Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse, et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiae relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse. Pariter quae de peccato ori-

ginali de justificatione de Sacrorum librorum tam veteris quam novi Testamenti indice et interpretatione in praedicta Tridentina Synodo definita sunt suscipio et profiteor. Caetera item omnia suscipio et profiteor quae recipit et profitetur sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas rejectas et anathematizatus, ego pariter damno reijcio et anathematizo. Insuper Romano Pontifici Beati Petri Principis apostolorum successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adjuvante retinere et confiteri, atque a meis susubditis vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri et praedicari quantum in me erit curaturum. - Ego idem FELICIANUS PHILIPPUS, Episcopus, spondeo voveo et iuro, sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

18.

(*Volodimiria*), *29. I. 1759.*

Iuramentum obedientiae Summo Pontifici praestitum a Coadiutore Metropoliae Kioviensis cum futura successione.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 559-560

Ego Felicianus Philippus Wolodkowski, Episcopus nuper Chelmensis in Episcopum Vladimiriensem Electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino Nostro Domino Clementi Papae XIII, suisque successoribus canonice intrantibus non ero in concilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum seu capiantur, vel injuriae aliquae inferantur, quovis quaesito colore, consilium vero quod mihi crediturі sunt per se aut Nuncios seu literas ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et deffendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura honores Privilegia et authoritatem Romanae Ecclesiae Domini Nostri Papae et Successorum praefatorum conservare deffendere augere et promovere curabo, nec ero in consilio facto vel tractatu in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinista vel praejudicialia Personae juris honoris status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscunque procurari novero vel tractari hoc pro posse impediam et quantocitius potero commode significabo eidem Domino Nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta ordinationes sententias dispositiones reservationes provisiones et mandata Apostolica totis viribus observabo et faciam ab alijs observari. Haereticos schismaticos et rebelles Domino nostro et successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam nisi prepeditus fuero canonica praepeditione, apostolorum limina singulis quadriennijs personaliter ac per me ipsum visitabo, et Domino nostro et suc-

cessoribus praefatis rationem reddam de toto meo Pastorali officio deque rebus omnibus ad meae Ecclesiae statum ad cleri et populi disciplinam animarum denique quae meae fidei creditae sunt salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissimi exequar, quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de graemio Capituli mei aut alium in Dignitate Ecclesiastica constitutum seu alias Personatum habentem aut his mihi deficientibus per dioecesanum sacerdotem, et Clero deficiente omnino per aliquem alium Presbyterum saecularem vel (f. 559v) regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum de hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Proponentem in Congregatione S. Concilij Triden: per supradictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infuedabo vel aliquo modo alienabo etiam cum concensu Capituli Ecclesiae meae inconsulto Romano Pontifice, et Constitutionem super prohibitione Investiturarum Bonorum jurisdictionalium de anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, paenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia. * * *

Ego infrascriptus Episcopus Luceoriensis et Brestensis, uti et tanquam ad mentem Bullarum Translationis Ill.mi ac Rev.mi Domini Feliciani Philippi Wolodkowicz de Chelmensi ad Vladimiriensem Cathedralem Ecclesiam factae, sub datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus SS.mi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papae eius Nominis XIII, anno ejus primo, emanatarum, ab eodem electo Episcopo electus Commissarius suprainsertam Fidei Catholicae Professionem per eundem Ill.mum ac Rev.mum Dominum Electum Episcopum Vladimirien. Ritus Graeci Uniti de verbo ad verbum in manibus meis emissam, tum quoque fidelitatis debitae solitum juramentum juxta formam superius expressam et memoratis Bullis Translationis praescriptum recepi Janoviae, in solita Residentia mea Episcopali, die Veneris, 29 mensis Januarij, hoc anno 1759.

Antonius Wollowicz, Episcopus Luceoriensis (mpr). (L.S.)[24]

In Nomine Domini Amen. Omnibus et singulis quorum interest fidem facio (f. 560) et attestor ego infrascriptus quod anno a nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, Indictione Romana septima, die vero, mense et Pontificatu prout supra, constitutus personaliter Ill.mus ac Rev.mus Dominus Felicianus Philippus Wolodkowicz,

---

[24] Antonius Wollowicz, Episcopus Luceoriensis latinus, n. 1755-1769.

nuper Episcopus Chelmensis, modo in Episcopum Vladimiriensem Electus, Ritus Graeci Uniti, coram Ill.mo ac Rev.mo Domino Antonio Erasmo Wollowicz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Luceoriensi et Brestensi latino, vigore Bullarum Translationis superius quoad praemissa et actum praesentem de data et tenore suo recensitarum ab eodem Ill.mo modo translato Episcopo Vladimirien. electo Commissario, flexis genibus et Sacrosanctis Dei Evangelijs, quae prae manibus habebat, tactis, suprainsertam Fidei Catholicae Professionem ac debitae fidelitatis Sanctae Sedi et aliorum adimplere solitum juramentum in Bullis praedictis descriptum de verbo ad verbum prout decretum et superius jacent, in manibus ejusdem Ill.mi ac Rev.mi Domini Commissarij electi emisit, et in locis ubi nomina tam dicti Ill.mi ac Rev.mi Domini Electi Episcopi Vladimiriensis quam etiam Ill.mi ac Rev.mi Domini Commissarij scripta habentur, manibus proprijs se subscripserunt et sigillis solitis et consuetis communiri fecerunt. Praesentibus Rev.mo ac Religiosissimo in Christo Patre Alexandro Jodko, Ordinis Divi Basilij Magni Nominato Abbate Czerejensi, et Illustribus ac Admodum R.dis Antonio Koronczewski, Sacrae Theologiae Doctore, Officiali Bresten, R.G. Uniti et Andrea Nieviadomski, Praeposito Ostrozanen. ac supralibati Ill.mi Excell.mi et Rev.mi Domini Episcopi Luceoriensis... Capellano, testibus ad suprascripta vocatis rogatis et requisitis.

Et Ego Antonius Josephus olim Lucae Podkowski, Presbyter Archidioecesis Gnesnen., Publicus Sacra Authoritate Apostolica et in Curia Romana scriptus Notarius, quia praeinsertis Professioni et juramento dum ab Ill.mo Rev.mo Domino Episcopo Vlodimirien. R.G. Uniti in manibus Ill.mi et Reverendissimi ac Excellentissimi Domini praelibati Episcopi Luceoriensis latini emitterentur, praesens personaliterque una cum suprascriptis testibus interfui ideo praesens Instrumentum manu quidem aliena, mihi tamen nota scriptum signo, quo in conficiendis Instrumentis utor tum et nomine ac cognomine consignavi, rogatus et requisitus. Idem qui supra Notarius (mpr).

19.

Volodimiria, 8. III. 1759.

De retentione Eparchiae Volodimiriensis et de Archimandriis possessis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 561-562.

Sanctissime ac Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

Inter praecipua Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, ipso initio Pontificatus per totum Christianum Orbem diffusa Beneficia, illud etiam non postremum esse arbitror, dum promotioni meae ad Vladimiriensem Ecclesiam adhuc sub felicis recordationis SS.mo Benedicto XIV, Antecessore suo, benedicente Domino feliciter inchoatae, felicissime autem sub auspicijs Sanctitatis Vestrae consumatae, clementissime annuere, ac me quamvis immeritum majoris Universae Ruthenae Ecclesiae, quam ipse status rerum

exigebat, utilitatis gratia, circa retentiones Coadjutoriae Metropolitanae et Abbatiarum, quas prius retinebam, de Chelmensi ad eandem Vlodimiriensem Ecclesiam canonice transferre non est dedignata. Non prius itaque manum admoveo ad capessenda Sacrarum Sanctitatis Vestrae Domini mei Clementissimi Bullarum oracula, quam ut palam evidentibus debitae gratitudinis et verae devotionis testimonijs indicarem, me ita esse hujusmodi beneficijs involutum, ut absolute concipere nequeam, quibus (f. 561v) medijs et quanta intentione hanc insuperabilem Sanctitatis Vestrae erga me benignitatem valeam praedicare. Et cum ea magnitudine animus captus nihil quidquam reperiat congruum et aequivalens ad correspondendum eisdem beneficijs, exoro imprimis mirabilem incomprehensibilis Divinae Benitatis mecum Providentiam, ac in ea singularem Sanctitatis Vestrae sollicitudinem etiam circa Ruthenam Unitam Ecclesiam reverenter recolens, procumbo cum omni qua par est adoratione ad osculum Beatorum Pedum Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, ac sub illis cor meum, ut ita asseram, vere contritum et humiliatum in victimam gratiarum actionis pro omnibus testatis beneficijs prorsus prosterno. In majus autem devotionis meae argumentum Deum ter Optimum Maximum promitto me continuo exorare, ut Sanctitatem Vestram pro felicissimo totius Christiani Orbis Gubernio et Ruthenae Ecclesiae nostrae prosperitate semper incolumem et cunctis Benedictionibus suis repletam quam diutissime conservet, mihique pariter quoad vixero (f. 562) eas suggerere dignetur facultates, quibus re ipsa id totum quod vera eaque jurata obligatio debite a me resposcit, valeam adimplere, ac circa eam continuo profiteri quod sim cum profundissima adoratione

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini Clementissimi

Scabellum Pedum et subpeditaneus Servus

Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Vladimirien. Coad.

Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Vladimiriae, die 8 Martij, 1759 anno.

20.

(*Volodimiria*), *8. III. 1759.*

De spolio Volodimiriensi post obitum Episcopi Theophili Godebskyj.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 563.

Excerptum litterarum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Ill.mo D. Wolodkowicz, Episcopo Vladimirien. circa transmissionem eidem Juramenti fidelitatis, de die 8 Martij 1759, directarum.[25]

Insuper autem Eminentias Vestras humillime exoro, ut cum per Decre-

[25] Excerptum confectum, ut videtur, in ipsa Sacra Congregatione ad solvendam quaestionem de spolio Volodimiriensi.

tum Translationis injunctum mihi sit, quatenus omnia, res et pecunias, ad spolium Antecessoris mei spectan. recuperare sedulo curem, dignentur in Causa ejusdem spolij contra Ill.mum ac Rev.mum D. Georgium Bulhak [26] ad Sac. Congregationem introducta, in locum pie defuncti Eminentissimi D. Cardinalis Mattei alium deputare Ponentem, aut eandem ulterius prosequendam Excell.mo ac Rev.mo D. Nuncio Apostolico hujus Regni, praecisa quavis amplius apellatione, committere, coram quo non tantum cum dicto Rev.mo D.Episcopo, verum etiam alijs laicis spoliatoribus et tenutariis a defuncto Episcopo Bonorum Mensae (: cum quibus in subsellijs laicalibus Regni hujus prout experientia jam probatum incertus iustitiae aditus :) valeam procedere ac successive omnia quae mihi injuncta sunt fideliter exequi, etc. etc.

Excerptum literarum Responsorialium D. Rovatassi, Agentis, ad hujusmodi materiam de 21 Aprilis 1759 ad eundem Illustr.mum D. Wolodkowicz.

De causa cum D. Episcopo Pinscen adverti D. Smogorzewski multum locutum esse cum Ill.mo et Rev.mo D. Secretario Propagandae Fidei, quem persuasit mille politicis ac indirectis artibus et adinventionibus coram Ill.mo et Rev.mo D. Nuncio Apostolico debere Causam istam amicabiliter tractari et componi, omnino enim vellet non reddere rationem debitam rerum fructuumque omnium, quos percepit. Propterea non solum curavi ut D. praefatus Secretarius aliter de hac sentiat, sed etiam conveni Eminentissimum D. Cardinalem Propagandae Praefectum, et eum officijs prosequi feci, ita ut persuasus jam restat et post vacationes novum procul ullo dubio subrogabit Ponentem, qui Causam hanc nostram post obitum Eminentissimi Mattei proponet ac tuebitur, imo spero Ponentem hunc futurum Eminentissimum D. Cardinalem de York, cui satis notus ego sum cujusque Auditor est Ill.mus D. Patricius, quo ego valde familiariter utor ideoque rem feliciter ac brevi eventuram fore non dubito, etc. etc...

21.

Volodimiria, 8. III. 1759.

De transmissione professionis fidei et iuramenti, et de causa spolii Volodimiriensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 564-565.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, Domini, Patroni et Benefactores Singularissimi.

Ea est Eminentiarum Vestrarum circa negotia totius Christiani Orbis diffusa sollicitudo, ut non modo propagandae fidei catholicae continuo augeantur ubique incrementa, ast etiam omnibus Pastoribus, quibus cura ejus-

---

[26] Georgius Bulhak, Episcopus Pinscensis (1730-1769); hic ius vicinitatis ad spolium Volodimiriense exhibebat, iuxta decreta Synodi Zamostianae an. 1720.

dem et vel maxime in medio inimicorum promovendae commissa est cordique semper esse debet de Ecclesijs melius auctis et dotatis ad profligendos et propulsandos quosvis eorundem hostium Ecclesiae Sanctae insultus opportune provideatur. Hujus equidem supremae Eminentiarum Vestiarum benevolentiae et ego ipse expertus sum benignitatem, dum non ita pridem, non tam ob merita, quibus me semper orbatum esse sentio, quam concurrente ad id publica Ruthenae Unitae Ecclesiae, cui me ex vi Coadjutoriae Metropolitanae in primum Pastorem successu temporis praeficiendum esse existimo, necessitate, mediantibus Eminentiarum Vestrarum oraculis, earumque unanimibus votis et suffragijs circa retentiones ejusdem Coadjutoriae ac Abbatiarum, quas prius retinebam, de Chelmensi ad Vladimiriensem Ecclesiam praefectus sum translatione, pro qua sicut (f. 564v) cum omni quo par est respectu et cultu debitas in osculo Sacrae Eminentiarum Vestrarum Fimbriae et Purpurae persolvo gratiarum actiones, ita Divinam Bonitatem humillime deprecor, ut Eminentias Vestras pro majori Fidei Catholicae per universum Orbem propagatione et nostrae undique oppressae et persecutae Ruthenae Ecclesiae firmissima protectione semper incolumes circa omnem prosperitatem quam diutissime conservet. In majus autem debitae SS.mo Domino meo, Domino Clementissimo, Sanctaeque Sedi ejus devotionis et fidelitatis meae testimonium Juramentum ejusdem et professionem Fidei Catholicae per me emissam in authentica forma transmitto. Insuper autem Eminentias Vestras humillime exoro, ut cum per Decretum Translationis injunctum mihi sit, quatenus omnia bona res et pecunias ad spolium Antecessoris mei spectantia recuperare sedulo curem, dignentur in causa ejusdem spolij contra Ill.mum ac Rev.mum D. Georgium Bulhak, Episcopum Pinscen., ad S. Congregationem introducta, in locum pie defuncti (f. 565) Emin.mi D. Cardinalis Mattei, alium deputare Ponentem, aut eandem ulterius prosequendam Excellentissimo ac Rev.mo D. Nuncio Apostolico hujus Regni, praecisa quavis amplius appellatione, committere.[27] Coram quo non tantum cum dicto Rev.mo D. Episcopo, verum etiam alijs laicis Spoliatoribus et Tenutarijs a defuncto Episcopo Bonorum mensae, cum quibus, ut jam in dicta causa expertus sum, in subsellijs laicalibus Regni incertus, imo nullus iustitiae aditus, valeam procedere, ac successive omnia, quae mihi injucta sunt fideliter exequi, in comprobationem quod sim distinctissimo cultu.

Eminentiarum Vestrarum Dominorum Benefactorum meorum singularium humillimus et subpeditaneus servus

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Episcopus Vlad. Coad.
Metrop. totius Russiae (mpr).

Vladimiriae, die 8 Martij, 1759 anno.

---

[27] Causa prosecuta est ulterius, et quidem in Polonia, iusu S. Congr. de Prop. Fide; cfr. *Supplicationes Ecclesiae Unite Ucrainae et Bielarusjae*, vol. III, Romae 1965, pag. 174-176, nr 1051.

22.

Radomyslia, 29. VI. 1759.

In causa spolii Volodimiriensis cum Episcopo Chelmensi vertente.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi, Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8: f. 603-604.

Ill.me, Excellentissime ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Venerandas Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae de 14 labentis super exequendis in proposito haereditatis Ill.mi ac Rev.mi D. Godebski, Antecessoris mei, mandatis Apostolicis ad me datas literas, cum ea qua par est observantia recepi, ad quas aequali respectu reponendo probabiliter supponebam, non modo Sacram Congregationem de Propaganda Fide, ad quam haec Causa ultimatim delata fuit pendetque hucusque in ea indecisa, verum etiam alios quos scire conveniebat non latere, quantam in promovendo hoc negotio curavi adhibere diligentiam. Imprimis itaque cum adverterim litis adversariam minime cogitare paritionem pra... contra se sententiae in Sacra Nunciatura prolatae, statim exportavi contra ipsum executionis mandatum, sed cum hoc interstitio temporis procuraverit sibi remedia Juris cum inhibitione a Reverenda Camera Apostolica, qua obstante nullatenus haec executio effectum suum potuit obtinere, illico, ne quid praeiudiciarium opponatur priori decreto, omnem impendi operam quatenus Causa eadem ad Sacram Congregationem (: ubi fuit per Recursum nomine ejusdem litis adversarij pro reportanda tota contra Decretum Sacrae Nuntiaturae ad Metropolitanum rerum omnium dispositione factum praeventa :) cum toto effectu remitteretur; quo tandem obtento, statim supplicavi pro designatione Ponentis, et cum successive eo fine electus Eminentissimus olim Cardinalis Mattei (: cujus anima sit in benedictionibus aeternis :), antequam quid in Causa ponere potuit, prius posuerit vitam, et interea hoc ipso interstitio temporis intercesserit in eadem Sac. Congregatione pro me Decretum Translationis cum injuncta recuperatione a quibusvis detentoribus rerum omnium ad spolium defuncti Episcopi pertinentium, quam juxta nonnullos supponebam vim habuisse definitivam in Causa, propterea factus fuit recursus ad Sacram Nunciaturam pro citatione ad exequendam contra praefatum Ill.mum D. Episcopum Pinscen. hanc sententiam. (f. 603v) Ast quia postea ex consilio meliori inutile erat quaerere hanc executionem, ex quo per hoc potius mandatum contra me, non decisio finalis Causae intelligenda venit, ideo, non intermisi ulteriorem in eadem Sacra Congregatione de illa habere curam, quam prosequendo reportavi in exordio hujus anni Ill.mi ac Rev.mi Secretarij ejusdem Sacrae Congregationis per meum Agentem non aliam resolutionem, quam quod praefata Causa coram Illustrissima ac Rev.ma Excellentia Vestra amicabili modo tractari debuerat. Ast cum hoc absque expressa ad id ejusdem Ill.mi D. Secretarij dispositione pro incredibili reputaverim, scribere eidem non intermisi, ut hoc in... quid me ulterius facere opporteat Memoriale porrigeret, et statim ipse ad Sacram Congrega-

tionem... in annexo folio recursum feci,[28] postea vero aliam similiter in annexo eodem videndam quomodo se res habeat ab eodem D. Agente resolutionem percepi, et interea quamvis sine bono exitu causarum contra nonnullos Laicos Bonorum Mensae sub defuncto Episcopo Tenutarios eique defuncto Debitores Processum in Iudicijs Castren. Capitanealibus Vladimirien. et Luceorien. instituere non detractavi, ex quo progressu meo facile quisque probabit quomodo me in obsequendo mandatis apostolicis hucusque exhibui, minime diffidens quod Sacra Congregatio certior per me jam pridem de re facta pro sua iustitia et aequitate non imputabit mihi pro iniuria, alterum dignabitur opportunum providere remedium, quo liti ultima manus imponatur mihique iter pandatur procedendi prout de jure in obsequentiam mandatis Apostolicis.

Fateor me scripsisse aliquoties etiam ad ipsum Ill.mum D. Episcopum Pinscen. praesenti jam anno exponendo eidem me nunquam obstantibus Decretis meoque juramento, et jus justitia suadente acquiescere posse, quo res et peculium Defuncti aliter convertantur; sed haec persuasio minus alii fuit cum praeter nonnulla literatoria documenta quae ad (f. 604) quietationem percepsi, reliqua politicis rationibus refutavit. Et de me ita sentio, eundem absque ulteriori strepitu Juris vix aliquid facturum. Haec sunt quae pro teneritudine mea in observantiam mandatis apostolicis a tempore administrationis per totum tractum, absque omni labe adusque per me peracta exprimere existimavi, et modo nihil amplius mihi restat quam solummodo probare me esse circa distinctum cultum

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae, Domini Patronis Colend.mi devotissimus et humilissimus servus

F. Wolodkowicz, Episcopus Vladimiriensis (mpria).

Radomisliae, die 29 Junij, 1759 anno.

23.

Kupieczovia, 8. VIII. 1759.

De causa spolii Volodimiriensis cum Episcopo Chelmensi vertente.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 617rv.

Ill.me Excell.me et Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.[29]

Supponebam ad praecedentem Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae adhuc de 17 Iunii epistolam sufficientem per me datam fuisse resolutionem, facta descriptione status controversiae, in quibus terminis pendet hucusque indecisa, sed quia modo compellor ad consignandam notulam juratam eorum, si quae mihi ipsi ex spolio pie defuncti Ill.mi Domini Antecessoris mei vel va-

---

[28] Cfr. *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. III, pag. 174-176, n. 1051.

[29] Nuntio Varsaviensi, Nicolao Serra (1754-1760).

cante Episcopatu adhuc existentia aut postea recuperata, tum denique si supersunt recipienda obtigerunt, quo facilius hoc negotium concludatur, ideo omnino debeo rem ulterius differre, ex quo epistola Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae non praevenit me in tali loco et tempore, in quo omnia eo necessaria commode et in promptu habere possim, rationabiliter affirmans, quod circa traditionem talis notulae ante omnia necessaria est verificatio debitorum apud Defunctum per diversas Personas contractorum, de quibus antea non fuit de tempore investigare, siquidem modo Regestra et Cerographa eorum ab Ill.mo ac Rev.mo D. Episcopo Pinscensi percepi, deinde quia non habeo mecum Regestra ad id opportuna et interea hic et nunc alijs gravioribus negotijs in Tribunali Regni praemor, ac (f. 617 v) pro futuro Capitulo Ordinis proxime futurum ex obligatione Excell·mi ac Rev.mi D.mei Coadjuti quaeque praeliminaria perficere sum adstrictus.[30] Quare dignetur mihi Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra indulgere aliquid temporis quo circa alia negotia et huic dispositioni quantum potero satisfacere valeam, modo vero una me semper professione recognosco me esse circa indesinentem cultum

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae, Patroni Calend.mi

devotissimus Servus

F. Wołodkowicz, Episcopus Vladim. (mpr).

Die 8 Augusti 1759. Kupieczoviae.

24.

Volodimiria, 18. XI. 1760.

Amplissima relatio de abusibus, inconvenientiis, illegalitatibus etc. Capituli Generalis Basilianorum an. 1759 celebrati, nec non Superiorum maiorum Ordinis Basiliani, in ordine ad approbanda Acta Capituli.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 800, vol. 193-196.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini, Domini, Patroni et Benefactores Singularissimi.

Expositas nuper sub praesidentia mea in Capitulo Generali Ordinis Basiliani, anno praterito 1759 celebrato,[31] a compluribus utriusque Provinciae Vocalibus de inconvenientijs nonnullorum Ordinis eiusdem Praelatorum improperias et querelas mihique ad praesens postquam innotuerit approbationem Actorum ejusdem Capituli absque debitis, et sufficientibus informationibus suspensam esse, ad deferendum consignatas praesentibus in authentica forma inclusas, cum omni quae par semper esse debeat observantia supremo Eminentiarum Vestrarum submitto arbitrio, ex quibus facile erit cognoscendum, quae me premebant, ad subscribendum conditionate Acta Capituli. Non de-

---

[30] Agitur de Capitulo Generali Basilianorum anni 1759, diebus 5 septembris usque 2 octobris in civitate Berestensi celebrato, in quo revera F. Wołodkowycz praesidentiam habuit.

[31] Capitulum Berestense, diebus 5. IX - 2. X. 1759.

fuerunt praeterea aliae ad id rationes quas pro munere commissi mihi officii... ...considerare debui, ex quibus *1mo* censenda erat ea: Quod Religiosi PP. Bilinski et Lisanski[32] donec concluderetur Capitulum continua conventicula associatorum sibi non absque fraude canonicae electionis Vocalium congregabant, cum ipsisque clausis januis de se ipsis et alijs probatis et assecuratis amicis suis ad Praelaturas et Officia Ordinis, quae anterius possidebant, eligendis continuo tractabant, et modum talis electionis proponebant. *2da:* Quod memorati PP. toto tractu celebrati ejusdem Capituli quamvis omnes apud me, ne minus honesta cum dedecore status religiosi hospitalitate ab aliquibus notarentur, singulis diebus de meridie et vespere apertam mensam habuerunt, et ad illam invitarentur, conciliando erga se praemisso fine animum praedictorum Vocalium ad convivia sua invitabant, suisque tractamentis quae quisque sensatiorum potuit abservare in sua vota inclinabant. *3tia:* Quod cum approximaret dies electionis Ordinis Generalis et Provincialium, pridie memorati PP. non modo de die visitando personaliter quemlibet in proprio hospitio sibi assecuratum vocalem se singulorum propensioni, affectui et benignitati impense commendabant, verum etiam, non parcendo nocti, eosdem cum promovendis secum circuibant. *4ta:* Quod tempore electionis ipsius optime adverti eosdem PP. cum addictioribus sibi maxime qua nutibus qua gestibus electioni Religiosi Bilinski ad Generalatum allaborasse, et pro ipso Vocales sibi affectos maxime eo quod Provinciales interesse proprium habentes suffragia uniuscujusque colligebant quasi per vim sollicitasse. *5ta:* Quia absoluto scrutinio et publicatis suffragijs adverti in electione Generalis nullam rationem sanioris Partis habuisse. *6ta:* Quod haec electio tam Rev.mi Bilinski ex Provincialatu ad Generalatum, quam Religiosi Lisanski ex Generalatu ad Provincialatum et caeterorum ad alia officia videbatur repugnare aperte expositis immediate a compluribus sanioribus Vocalibus querelis et protestatione, censebaturque cum exclusione aliorum ad virtutum et meritorum praemia importare cum notoria injustitia perpetuam aliquot Personarum sibi solis consentientium in Religione dictaturam, ut hac ratione quamvis a Religiosis abesse debeat omnis honorum appetitus et ambitio, vix aliquis curaret profectum in virtutibus quibus in Religione praecluderentur praemia. *7ma:* Quod per de-

---

[32] In hoc Capitulo Heraclius Lisanskyj officium suum per octennium habitum deposuit et electus fuit Hypatius Bilynskyj (1747-1751, 1759-1771); obiit in munere die 8. IV. 1771, ob protractum tempus celebrandi proximum Capitulum. Tempora haec sat difficilia erant, ob longam litem de iurisdictione super Archimandritas, inter Metropolitanos et Protoarchimandritas; praesertim post editam Decretalem Benedicti PP. XV « Super familiam » (1756), qua Archimandritae iurisdictioni Protoarchimandritae subiecti erant, contentiones hae ex novo exarserunt, quorum culmen sare celebratio huius Capituli Berestensis erat; exinde explicantur plurimae exceptiones et criminationes, praesertim personarum, ex parte Wolodkowycz, qui ut Coadiutor cum iure successionis seipsum considerabat diminutum in suis iuribus in monachos. Post hanc luctam ipse postea unam ex personis a se graviter accusatis, nempe Heraclium Lisanskyj ad Sedem proposuit Smolenscensem (1763-1771).

putationem (f. 193v) quatuor in electione Protoarchimandritae scrutatorum, quos sibi praedicti Ordinis Superiores duabus Constitutionibus in fraudem canonicae electionis ad nutum eligi procurarunt, expresse adversabatur praescriptae in Concilio Generali Lateranensi, sub Innocentio III celebrato. *8va:* Quod cum sublata ad preces Religiosi Lisanski, qua immediati Ordinis Generalis, per Decretum Sacrae Congregationis electione aliquorum Vocalium complures sanioris Partis Jus suffragij habentes a me affectarent ut ad effectum debite inquirendi, an Congregati ad Capitulum omnes sint tales, qui activa et passiva voce gaudere possint, an vero ita, prout in praeterito Capitulo Generali adhuc in anno 1751 celebrato, ubi prout asserebatur plurimi reperiebantur Vocales, qui solummodo eligere et nullatenus eligi potuerunt, proponerem immediate ante electionem juramentum per Rev.mum Protoarchimandritam et Religiosissimos Provinciales super sequentibus punctis praestandum: *1mo:* Quod non in fraudem liberae et canonicae electionis ad monasteria Vocalia disposuerunt Personas; *2do:* quod cum ipsis tempestivum non confecerint compactum de eligendis Officialibus his et non alijs; *3tio:* quod disponendo Personas ad Monasteria Vocalia et eligendo in Officium vocale nec in mente habuerunt interesse proprium aut suorum amicorum; *4to:* quod nulli dederint literas obedientiales ante Capitulum propter solam vocalitatem; statim Religiosissimus Karpinski, praeteritus Provincialis Lithuanus, audita tali propositione publice in Capitulo respondit se non esse paratum tale juramentum adimplere, alij vero pro novitate quadam hanc propositionem reputando se a praestando eodem juramento subtraxerunt et assistentibus sibi nonnullis in fraudem electionis canonicae cooptatis vocalibus, de tali propositione nec amplius audire voluerunt, ex quo manifeste apparebat Vocales non juxta formam juris debitam in dicto Capitulo repertos et consequenter omnes electiones nulliter et inaniter peractas fuisse. *9no:* Quia Vocales in Cathalogum pro eodem Capitulo descripti et ad approbandum Sac. Congregationi per suprafatum Religiosum Lisanski porrecti fuerunt tales, quorum monasteria non sunt proprie Monasteria, sed solum Residentiae penes Cathedrales locatae, quae ad nutum locorum Ordinariorum transferri et amoveri possunt, alia vero sunt talia, quae juxta Decretalem « *Inter plures* » etc.[33] uti octo Monachis alendis non sufficientia tolli debent, deinde unum est Biesiaden, quod mediante Beneplacito Patronorum et expresso consensu Ordinis Superiorum atque approbatione D. Ordinarij Leopolien. fundatae non ita pridem Archimandriae penes Parochialem Zulkievien. est perpetuo unitum et affiliatum. *10* ma: Quia ex parte Celsissimi Principis Janussij Sangusko, Mareschalci Curiae Magni Ducatus Lithuaniae, Abbatiarum Dermanen. Dubnen. et Sanctae Crucis Patroni per (f. 194) Plenipotentiarium cum epistola, ad me missa, deputatum publice in facie totius Capituli objecta erat Religiosissimo Lisan-

---

[33] Decretalis Benedicti PP. XIV « Iner plures », anno 1744, die 11 maii edita, qua Ordo Basilianorum duabus constans Provinciis contitutus fuit; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 88, nr. 704.

ski sub nomine ejusdem Principis fabricatio quorundam Diplomatum suppressionem in praedictis Monasterijs pro Abbatibus fundatis tituli Abbatialis et conversionem in simplicia Monasteria denotantium exhibitisque in Capitulo hujusmodi Instrumentis et objectis originalibus istius Religiosissimi Lisanski literis probati, expetebatur contra ipsum debita a Capitulo paenalitas, quae non alia tanquam contra Personam in Jurisdictione Ordinis constitutam et sub nomine judicis falsarii veritatem censebatur, nisi de jure gravissima non tantum praecludens viam ad honores, sed etiam et obtentorum retentionis inhabilem et incapacem declarans. *IIma:* Quod habito respectu manifestae eiusdem probationis Criminis falsi per eundem P. Lisanski cum alijs Religiosis nutu suo consentientibus commissi, de quo mittuntur ad manus D. Roccatani, Agentis mei, authentica Documenta ac deinde ex una parte in memoriam reducta illa maxima perversitate et inconstantia, quae etiam Sanctae Apostolicae Sedi postea optime fuit nota, damnatae memoriae unius Wietrzynski,[34] alterius vero Prokopovicz,[35] quorum primus non ita pridem plurimum confidens sorti suae, spoliatis Ecclesijs Regularium praetiosioribus ornamentis et monasterijs Provinciae Lithuaniae summis notabilibus pecuniarijs alijsque damnis per se Religioni illatis, postea ex Protoarchimandrita factus est a Religione et Fide Catholica Apostata, et inter Acatholicos extra Patriam propugnans sanam doctrinam Romanae Ecclesiae mortuus; alter vero similis farinae exhaustis Thesauris Religionis alijsque notorijs delictis commissis pariter ex Protoarchimandrita migravit in Moschoviam, ibidemque factus est Schismaticus, postea vero in eodem Schismate obtento Archiepiscopatu Kijovien. non modo Schismatis errores, verum graviores haereses Lutheri et Calvini publicis ac etiam typo impressis scriptis suis disseminavit,[36] ut ea postea, quamvis ejusdem quondam Professionis, Petrus Alexiewicz Russiae Imperator[37] edicto suo condemnaret et ubique comburi juberet; Jam vero ex altera debite praeter adductam fraudem consideratis alijs qualitatibus ejusdem P. Lisanski, quod sit extra Patriam in Moschovia, Oppido

---

[34] Maximilianus Vitrynskyj, Protoarchimandita Ordinis ann. 1717-1719, 1723-1724, primu a Metropolita Leone processatus et depositus,et dein a Sede Apostolica reintegratus, tandem prfugus ad exteros; de hac causa plurima Sabentur documenta contemporanea in variis voluminibus nostrae Collectionis Documentorum Romanorum.

[35] Theophanes Prokopovycz, religiosus basilianus, alumnus Collegii Graecorum de Urbepostea transiit ad orthodoxos et post curriculum sat motum fuit creatus Archiepiscopus Nov Œorodensis; vir notissimus in historia Moscoviaehuius temporis, praesertim tempore regim nis czari Petri I (usque ad an. 1725), qui maximum influxum exercuit in sortem Ecclesiae moscoviticae. De hoc invenies notitias in omnibus manualibus libris historiae. Obiit anno 1736

[36] Cfr. ex gr. opus Vol. Kovalyk, OSBM, *Theophanes Prokopovycz-Influxus Pritestantismi*, Romae 1947. Hic habentur principaliora eius scripta, influxum protestantismi redolentia.

[37] Agitur de Petro II, Czar oscoviae (1727-1730). Eius temporibus praevaluit doctrina Stephani Javorskyj, omnino antiprotestantica, et scripta Theophanis ignibus tradita sunt. Cfr. A. M Ammann, *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, pag. 337.

Pryluka, ex patre Schismatico nempe Presbitero Prylucensi Lisaniewicz nuncupato natus, ibique in Schismate educatus et moribus Schismaticorum imbutus, modo vero in Religione orthodoxa simili evacuatione communis massae Religionis, quae non modica esse potest, ut ex illa neque Calculationem in Capitulo subire voluit notatus, atque alijs gravissimis oneribus perceptarum notabilium post defunctos Religiosos summarum pecuniarum et aliarum rerum insolutus, necnon seorsive summa trium millium Florerum Polon, a qua jam provisio pro annis retroactis vigore inscriptionis debita et retenta, vix non (f. 194v) aequiparatus, capitulo Ecclesiae meae Vladimirien. per Ill.mum ac Rev.mum olim Hipatium Pociey, Praedecessorem meum, Episcopum Vladimirien., pro cantore Ecclesiae, quatenus in choro caneret et juventutem in Gymnasio Cathedrali instrueret, super Bonis Rozanka inscripta, jam vero per Procuratorem meum de manibus Ill.mi Domini Fleming, Supremi Thesaurarij M. Ducatus Litthuaniae, ex Bonis praedictis levata et in Bona Monasterij Torokanen., quae de jure nullis oneribus gravari debent acsi translata, re autem ipsa ad manus suas nullo jure recepta et inutiliter erogata oneratus, caeterisque quam pluribus Monasteriorum dispendijs, et Personarum injuris, signanter vero dilapidatione summarum pecuniariarum a novitijs circa renuntiationem ante Professionem Bonorum ad liberam dispositionem Ordinis Superiorum, quam ab ipsis minus rerum peritis exigebant inscriptarum, ad notabilem plus quam centum millium et ultra quantitatem ascendentium, quae per visitationem apostolicam facile probarentur innodatus, arduum nimis erat et molestum recta constientia electione talis Personae ad aliquod in Religione Officium contribuere, penes quae post Episcopos ipsorumque Officiales maxima negotia Religionis Catholicae et Unionis Sanctae versantur, ipsique Personae ejus talibus ac alijs innumeris fraudibus imbutae confidere, quae obveniente quacunque contra se adversitate facile ad vomitum redire, ac facto regressu in Moschoviam arcana quaevis Unionis Sanctae, ex quibus nos Disuniti uti Fidei Catholicae et S. Romanae Ecclesiae semper contrarij maxime arguerent, ipsique similem Unionem abhorrerent, ibidem disseminare posset. *12ma:* Quia studio Religiosissimi Lisanski electi ad officia Provinciae Lithuanae proxime sibi conjuncti PP. Ambrosius Oryszkievicz et Maximilianus Narolski, primus videlicet in Consultorem, alter vero in Secretarium provincialem vix non similis considerationis et impedimenti prout ipse Religiosissimus Lisanski veniebant, ex quo licetsi uterque eorum hic in Polonia sit natus et catholice educatus, tamen plurimos proximiores sanguinis apostatantes numerant in Monasterijs Schismaticorum Kijoviae. *13tia:* Cum interveniret nutu praedicti Dictatoris similis ad officia Ordinis duorum fratrum inter se germanorum, posthabitis tot alijs claritudine nominis, dotibus, alijsque virtutum meritis in Religione subjectis dignissimis, electio, utpote Patrum Karpinskich unius Nycodemi, ex Provincialatu in Protoconsultorem Provincialem, jam vero alterius Hilarionis in Secretarium Generalem Provinciae Litt., quaedam ex eadem confraternitate consurgebat incompatibilitas talium Personarum, simul in ijsdem Ordinis Officijs, et hac vel

maxime ratione, quod sicut in Republicis nonnullis Christianis et respective hic in Polonia et M. Ducatu Lithuaniae stricte observatur, ne Ministeria Status inter proximiores sanguinis distribuerentur, ita magis in Ecclesiastico Ordine, qua semper excellere debet laicalium recte facta, hoc praecavendum videbatur. *14ta:* Quia de quamplurimis Constitutionibus praesen. Capituli, exceptis ijs de quibus ex annexo supplici libello aliquomodo eruitur, nec mentio fuit in communi Congressu Vocalium, aliterque de illis etiam exceptis fuit in conclavi, ut patet ex eodem Memoriali, disceptatum et legaliter non decisum et postea aliter extra conclave Capituli, privata inter aliquot ex illis Personas Seniores, quod nec in publico legebatur, authoritate conclusum. *15ta:* Quod Constitutio de Scrutatoribus eligendis tam Capituli anterioris anni 1751 (f. 195) celebrati, sub n_0. 23, quam praesentis sub num. 27 posita, non modo per designationem ultra tres scrutatores videtur adversari allegatae superius formae in Concilio Lateranen. praescriptae, sed etiam ex quo sint PP. Provinciales pro scrutatoribus in electione Generalis deputati, qui nondum, ut praetenditur, ab ipsis resignatis proprijs Officijs possent, non obstante emisso per se juramento, eo ipso tempore quo suffragia colligent, vel metum aliquem ipso aspectu ut is et non alius eligeretur nonnullis Vocalibus incutere, alios vero qua nutu qua gestu aut aliquo alio signo sensibili ac repraesentanpo adhuc durantem in ipsis authoritatem ad prohibitae inclinare rationabiliter censebatur libertati canonicae electionis repugnare. *16ta:* Quia asserta praecustoditio faciendae praetensae resignationis officiorum immediate ante electionem novorum Officialium pariter videbatur non modo repugnare aperte juris dispositioni, qua statuitur Privilegia ad tempus concessa cum tempore absque ulla renuntiatione extingui debere, ast etiam importare jam post inscriptum Actum Capituli usque ad novam electionem quandam adhuc praeter Vocalitatem et praecedentiam in Sessionibus supermanentiam in ipsis praeteritorum suorum Officiorum, quorum usurpativa executione etiam tempore ipsius Capituli Vocales ad parendum nutibus suis cogere, quaerelis quibusvis injuriatorum et aliorum interesse aliquod habentium contra se obviare ac etiam ne quidquid in publicum de inconvenientijs ipsorum ac dispendijs Monasteriorum, si quae officij eorundem occasione commissa contigerint, prodeat se fortiori animo opponere possint. *17ma:* Quia sublato fundamento non legitime pro hoc Capitulo electorum Vocalium ac ex hoc capite alijsque rationibus superius expressis atque contrario eorundem Actorum Capituli subscriptioni meae praeambulo et assertione, ante ipsam subscriptionem novorum Officialium inventione aliquot Personarum sibi consentientium adnotata, contra quam et contra subscriptionem nominum suorum, uti inadvertenter factam, postea major pars eorumdem Officialium, ne aliquomodo viderentur errores commissos ratos habuisse, coram me est protestata, illegaliter celebrati totius Capituli evidenter videbatur tolli tota superficies ejus ac cum ea non modo electiones, verum omnia Acta istius Capituli simpliciter sunt nulliusque roboris et efficaciae, quod soli sanioris Partis Officiales possunt praetendere censeri, ultima denique ad praesens addi potest. Quod cum

electiones, quamvis optimae et legales, non attribuant absque approbatione Superiorum jus in re, vi cujus Electi valide et licite possint munus sibi commissum exequi, sed solum ad rem, praedicti Officiales quidquid in virtute ejusdem electionis necdum confirmatae, quinimo per ipsos solos modo memoratae assertionis in dubium vocatae ac ad ulteriorem Declarationem Sanctae Sedis per Eminentias Vestras ad tempus rejectae tetigerint, censetur irritum esse et inane. Ex quibus quidem rationibus quas mecum altissimo Eminentiarum Vestrarum judicio cum profundissimo cultu subijcio, sine ullo proprio interesse, cui semper ad tramites debitae justitiae tam Ecclesiacticae quam Monasticae Disciplinae utilitatem publicam volo praeferre, humillimis precibus meis concluderem, ut Eminentiae Vestrae quas supremus rerum Arbiter Divin.. sua miseratione continuos aequitatis et religionis assertores universo Orbi praeposuit, an praemissa recte fieri debeant, et quae avaro animo et inquieto aliquot Personarum Capite in hac Sancta Religione, quae totius Orientalis Ecclesiae unica et sola velunt pupilla oculi servanda est, cum dispendio boni communis et vix non ultimo supplicio aliorum Patriarchae adoptivorum filiorum meritis et virtutibus continuo crescentium perpetuum, ac vera asserendo despoticum Dominium, nationales quamvis optime meritos ac insigni in Patria genere fulgentes deprimendo, jam vero advenas ex Moschovia ac ex Schismate conversos, quod in Patribus Panowski (f. 195v), Berezvecen., Koskovicz, Buczacen, et Procewicz, rudissimo subjecto Torokanen, Superioribus, patet, nescitur quo studio ad primos superioratus promovendi praetendentium sibique solis usurpantium commissa sunt, et continuo attentantur ulterius possint tolerari? non graventur pro Beneplacito suo, quod in Domino visum fuerit, definire, et ne sacer ordo importuna talium Personarum directione aliquam jacturam in cooptandis ulterius ad Religionem subjectis utilibus et proficuis patiatur, et merita aliorum ad praesens reperibilium debitis praemijs destituantur, ipsaque Monasteria, si usurpata haec alta Potestas eorundem Directorum breviori via non excuterent, majoribus dispendijs pro sumptuosis quibusvis expensis graventur, et Partes in assequenda Justitia Bonique Religionis restauratione aliqua incommoda ferre cogantur, atque delicta quaevis commissa impunita remaneant, dignentur, ante omnia visis suprafatis probationibus criminis falsi, P. Heraclium Lisanski praetensum Provincialem aliosque ejusdem facti complices quatenus de jure inhabiles et incapaces omnium Dignitatum, Officiorum, obtentorum et impost obtinendorum declarare, eundemque ad dandam strictam rationem de omnibus Officiorum Generalatus et Provincialatus actis suis obligare. Reliquis vero omnibus modernis Officialibus donec de legalitate omnium Actorum praesentis Capituli anno superiore celebrati ad rationes superius expressas debite cognosceret, ab executione respectivorum suorum Officiorum suspensis, cognitionem ejusdem prout de jure et rationem a P. Lisanski exigendam Ill.mo D. Metropolitano Russiae, uti non modo intra tramites juris causarum quarumvis ejusdem Ordinis, verum etiam directionis ipsius Generalium Capitulorum specialiter designato pro semper Delegato Apostolico, ut sive per se

ipsum sive alium ad id ejusdem Ritus Episcopum, curis Dioecesis minus impeditum, substitutum procederet, committere ipsique ut statim accepta notitia talis suspensionis ad finem litis ejusdem Vicarios Generalem et Provinciales cum facultatibus conformiter ad Constitutiones Ordinis necessarijs et opportunis atque Secretarios et Procuratorem Ordinis ex Personis in Religione probatis ac benemeritis pro aequitate sua deputaret, et juramentam ab ipsis super rite et fideliter muneribus suis ad tenorem earundem Constitutionum obeundis reciperet, ac de illis Sanctam Sedem certiorem redderet, postea vero cognita totaliter legalitate vel illegalitate Actorum Capituli, quatenus opus ferit, novum Generale Capitulum de more solito indiceret, insinuare, et si hucusque juxta anteriorem dispositionem Sanctae Sedis duo studia Generalia Philosophica totidemque Theologica, in quibus eruditi diligenter juvenes monachi Sanctae Unionis promovendae capaciores redderentur, per incuriam Ordinis Superiorum non sint instituta, quatenus pro ipsis duo Monasteria sufficientia in utraque Provincia designaret, vel quovis alio meliori modo designatis pro illis ex alijs Monasterijs certis proventibus provideret demandare, attentisque multis abusibus et erroribus rituum circa Sacrificium Missae, administrationem Sacramentorum, aliaque Divina Officia contra non modo Constitutiones Synodi Zamoscianae, tit. 1, §. Cum homines, etc. in fine: - Placuit tamen, et tit. III, de Sacram. eorumque administr. §. Laudabilis ac Sancta, etc, et. §. IV. de Celebratione Missarum, puncto: - Uniformitas Ceremoniarum, etc., positas, verum Rituale Graecorum jussu Sanctae Sedis modo Romae editum irrepsis, qui vel maxime ulteriorem progressum Unionis Sanctae impediunt, et convertendis Schismaticis scandalum praebent et obstant, quatenus reformationi debitae ad tenorem earundem Constitutionum, quarum sensum ex quo eidem Synodo praesens interfuit optime novit, incumberet, ac ad tollendos et eliminandos eosdem disciplinamque Monasticam restaurandam, visitationem Apostolicam omnium utriusque Provinciae Monasteriorum summopere necessariam, saltem per substitutum a se aliquem Episcopum vel Abbatem huic muneri proficuum institueret, decernere, et inculcare. Quia vero certo compertum esse potest simili fraude et astutia, quae modo in Abbatijs meis ostenditur, alias quamplurimas, quod statim patet ex Archimandria (f. 196) Czerejen., in simplicia Monasteria, nonnullas vero quo monstratur in Minscen. ad ultimam ruinam ut successu temporis nec vestigium supersit conversas esse, quae extinctio hujusmodi Praelaturarum unice motivo illo, ne quid ambitiosae promotioni ad Officia Ordinis advenarum et ignobilium Personarum ac etiam licentioso ipsorum Regimini et generis inaequalitati aliquo modo obstare videantur, est attentata, proinde cum vix sensatiorum aliquis sit qui contrarium affirmaret, Praelatos hujus modi non modo Religionis, verum ipsiusmet Sponsae Christi Ecclesiae post alios eminentioris et sublimioris gradus esse vere columnas, quarum subsidio maxime hic unita Ruthena Ecclesia, uti subjectis proprij Ritus distinctioris gradus destituta, adoptione eorundem crescit et fulcitur, bonique Religionis incrementa habet similibusque Personis Illustrium Familiarum ac cum ipsis opibus

cumulatur, et negotia cuncta majoris semper ubique considerationis efficit, humillime Eminentijs Vestris supplicarem cum majori utilitate ejusdem Ecclesiae ipsiusque Religionis... est totum omne commodo et momento dignentur suppressas Archimandrias restaurare, ac Patronis jus nominationis... restituere, quo non modo merita dignissimarum Personarum coronentur, verum alij ex distinctioribus ad ingressum Religionis incitarentur. Insuper, ad vota complurium praeteriti Capituli Vocalium meamque particularem obligationem, audeo supplicibus precibus meis implorare, ut Eminentiae Vestrae ad exercendas per Monachos ejusdem Ordinis ad affectationem DD. Ordinariorum sive Parochorum locorum Missiones pro facultatibus favore eorundem, sine tamen praejudicio Ordinariorum obtinendis, quibus aliarum Religionum Missionarij gaudere possunt dignentur apud Sanctam Sedem Officia sua interponere. Haec hactenus fuerunt, quae munus suscepti Officij concernebant, modo vero devenio ad illam recognitionem quae semper Eminentijs Vestris nota in me et manifesta esse debet, scilicet circa osculum S. Purpurae continuo profitendi, quod sim cum profundissima adoratione

Eminentiarum Vestrarum Dominorum et Benefactorum singularium
humillimus et subpeditaneus servus ac exorator
F. Wolodkowicz, Episcopus Vladimir., Coadjutor Metropolitanus (m pr).
Die 19. 9bris 1760, Uladimiriae.

25.

Kupieczovia, 5. XII. 1760.

Attestatio quaedam iurata de rebus mobilibus ex spolio Volodimiriensi perceptis cum specificatione summarum etc.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 791, fol. 111-113.

Ego Felicianus Phylippus, Episcopus Vladimirien. et Brest. Juro Deo Omnipotenti Factori Caeli et Terrae visibilium et invisibilium quod ad hanc diem ultra ea quae usum Pontificalium Ecclesiae meae Vladimirien. ac Praedia fundumque Bonorum mensae ejusdem Episcopatus de jure respicere possunt, vel munus important, solum illa post pie defunctum Theophilum Episcopum, antecessorem meum,[38] quae hic sequuntur percepi.

Et quidem *1mo:* Circa inchoatam adhuc administrationem ejusdem Ecclesiae in praesentia V. Capituli ex deposito Cathedrali percepi in parata pecunia per idem Capitulum eodem ipso actu numeratos Taleros cusos argenteos, praeter unum aureum, centum sexdecem et Tynfonum novemdecem millia, qui Taleri cum Tynfonibus simul juncti, juxta computum Regni hujus efficiunt Florenos Polonicales Viginti quator millia nongentos nonaginta quatuor, et grossos viginti.

---

[38] Annis 1730-1756.

2do: Post aliquot dies inchoatae ejusdem administrationis percepi a Religioso Thadaeo Zaruski, monacho Ordinis D. Basilij M., Theologo defuncti antecessoris mei, et moderni Ill.mi ac Rev.mi D. Episcopi Pinscensis Tynfones mille, qui similis computi efficiunt Florenos Polonicales mille ducentos sexaginta sex et grossos viginti.

3tio: Post obtentum in Tribunali Nuntiaturae Decretum administrationis contra memoratum Rev.mum D. Episcopum Pinscen., redux Varsavia percepi prout modo ad summum devenire potui ex nonnullis reditibus Bonorum mensae ejusdem Episcopatus nondum per antecessorem meum conductoribus laicis locatorum, quos nondum adhuc mododictus Rev.mus D. Episcopus Pinscen. percipere potuit, Florenos Polonicales mille nongentos triginti sex.

4to: Post conflagrationem casualem Domus ligneae Episcopalis Vladimirien. in Zarzyce, quae contigit in januario anno 1758, ubi ex ratione controversiae de administratione cum Excell.mo ac Rev.mo D. Metropolitano et Commissionis pro rehabenda eadem aministratione ab ipso emanatae, reliqua fere omnia defuncti Antecessoris mei, extra spolium per memoratum Rev.mum D. Episcopum Pinscen. ejusque aulicos et familiares in res et peculium ejusdem defuncti commissum, relicta adhuc mobilia ad effectum conficiendi per DD. Commisarios Metropolitanos novum Inventarium fuerant congregata et locata, percepi praevia indagatione, de qua juxta morem Patriae extat manifestatio coram Actis Castrensibus Capitanealibus Vladimirien. cum praestito de conflagratione juramento per me et Capitulum Ecclesiae meae facta, ex argentis mensalibus ex eodem igne extractis et nondum conflatis: *1mo:* Crucem cum corpusculo deaurato Crucifixi Domini Nostri Jesu Christi mensalem absque sede unam; *2do:* Vasa majora intus et extra per se alba usui mensae accommodata cum suis operculis et manubrijs rotunda sibi paria cum effigie militarium Personarum in vertice uniuscujusque operculi elaborata duo; *3tio:* Vasa obalia minora ad mensam servientia cum suis operculis et manubrijs pendentibns intus inaurata sibi similia duo; *4to:* Vascula rotunda cum suis operculis et manubrijs pendentibus intus deaurata unius formae duo; *5to:* Patenas cavatas rotundas quas hic salatierki vocant unius formae duodecem; *6to:* Patenas suppositorias vasorum ovales cum manubrijs duas; *7mo:* Patenas suppositorias vasorum rotundas majores cum manubrijs duas absque manubrijs duas; *8vo:* Patellas planas minores unius formae sex; *9no:* Patellas adhuc minores Patellis superioribus forma sua accommodatas rotundas viginti octo; *10mo:* Cochlearia majora mensalia ad tractandum recta duo; *11mo:* Candelabra cubicularia mensalia formae unius sex; *12mo:* Discum intus deauratum prout vocant auspurgensis artificij in quo figura Samsonis leonem discerpentis excusa, unum; *13tio:* Imbriculos seu sorceolos majorem cum manubrio et minorem absque eo duos; *14to:* Capsulam usui muliebri magis inservientem absque sera obalem unam; *15 to:* Cretorem potorium quondam deauratum ovalis figurae unum; *16to:* Cuppas potorias unius formae intus deauratas cum theca sua duodecem; *17mo:* Cuppas potorias oblon-

gas intus deauratas cum sua capsula duas; *18vo:* Argenti in eodem igne ex varijs utensilibus mensalibus et apparamentis pedis equorum conflati marcas quadraginta quatuor, quas omnes adjuncto insuper proprio argento converti modo pro decore et ornamento Imaginis Passionis Domini Nostri Jesu Christi, adhuc a Baptismate Sacro Beati Josaphat Martyris Archiepiscopi Polocen. in Ecclesia Vladimirien. gratijs et miraculis clarescentis; *19mo:* Epiphium Polonorum Equitum usui accommodatum lamina argentea deaurata ab utraque parte circumdatum; *20mo.* Apparatum integrum pro ornamento more Polonorum equi, ex fragmentis argenteis partitim deauratis et corallis adoptatis compositum, in tres partes divisum unum; *21mo:* Apparatum similem argenteum deauratum in totidem partes divisum absque corallis unum; *22do:* Peristromatis ex Residentia Episcopali Kupieczovien. sub tempus altememoratae commissionis advecti, de lana agnina elaborati, prout in Regno vocant Trypa, in flaveo et rubro colore in partes divisi fructa quadraginta septem; *23tio:* Speculum vitreum duorum cubitorum seu lustrum in Ecclesia Parochiali Kupieczoviensi repositum unum. - Reliqua vero omnia quaecumque praeter hic specificata ac derelicta prophana pie defuncti antecessoris mei in materijs et rebus consumptibilibus et minus aestimabilibus spectantia in eadem Residentia Vladimiriae ex rationibus praemissis reperiebantur, una cum descripto in praesentia Capituli omnium (f. 111v) eorundem derelictorum Inventario alijsque Regestris, negotium hujusmodi respicientibus, quod vix vestigium praesens superesse potuit, igne consumpta sunt.

5to: In plena Sede Episcopatus Vlodimirien. percepi ad recursum meum ex manibus ipsiusmet altememorati Rev.mi D. Episcopi Pinscen. Brestae de argenteria mensali pie defuncti Antecessoris mei: *1mo:* Vasa cum operculis suis ovalis formae duo; *2do:* Patenas suppositorias vasorum oblongas duas; *3tio:* Patenas cavatas rotundas, quas hic Salatierki vocant, sex; *4to:* Patellam ad distribuendum in mensa pocula cum sede sua unam; *5to:* Candelabra mensalia ad usum cubiculi, superius relatis similia, quatuor; *6to:* Imbriculum pro horbathae unum; *7mo:* Cochleare curvatum majus ad usum vasorum unum; *8vo:* As unum prout vocant cultrorum mensalium, in quo continentur cochlearia argentea duodecem, rastella totidem, cultri cum manubrijs argenteis pariter; *9no:* As alterum similis apparatus mensalis in quo cultri cum manubrijs argenteis decem, fustinulae cum paribus manubrijs totidem et cochlearcula decem.

Altera vice ab eodem Rev.mo Domino Antistite per manus Rev.mi P. Mlodouski, Abbatis Polocen. Ordinis Basiliani, ad Quietationem meam eidem in rem modo memorati D. Episcopi datam, percepi Crucem pectoralem auream cum torque pariter aurea duplicata, quae potius ad usum Pontificalium pertinet.

Tertia vice per manus Religiosi P. Czaplic, Basiliani, ab eodem Rev.mo P. Episcopo ad Reversales meas eodem datas percepi assecurationes debitorias multorum pie defuncto antecessori meo debitorum, et quidem eas quae sequuntur: *1mo:* Assecurationem certi debiti quindecem millium sexcentorum

sexaginta Florenorum Polonicalium per Magnificum olim Antonium Sieklucki, Tribunum Lidensem, anno 1755 contracti, ratione cujus cum successoribus ejus modo actio in Tribunali Magni Ducatus Lithuaniae pendet instituta; *2do:* Assecurationem Collegij Vlodimirien. Ordinis D. Basilij M. summae nongentorum triginta novem Florenorum Polonicalium adhuc in anno 1745 contractae; *3tio:* Assecurationem summae centum octo florenorum per Famatos duos cives Lojacenses anno 1756 contractae; *4to:* Assecurationem summae quadragentorum Florenorum per infidelem Judaeum Jcko Zelikowicz anno 1755 contractae; *5to:* Assecurationem summae ducentorum Florenorum per Infidelem Berko Ickowicz 1756 anno contractae; *6to:* Fidejussionem infidelis Boniedwin Moschovicz ratione ejusdem summae ducentorum pro dicto infideli Jckowicz eodem anno datam; *7mo:* Assecurationem summae ducentorum quinquaginta Florenorum per infidelem Leyba Morduchowicz anno 1756 contractae. Haec modo relata debita quamvis cum difficultate, tamen possunt aliquomodo vindicari; *8vo:* Ab eodem percepi quadraginta distinctas assecurationes summarum partitorum per quadraginta Haebreos, quorum quamplurium nomina et memoria extincta sunt. Reliquorum vero summa inopia excludit omnem actionem adhuc in anno 1732 et 1736 divisim contractarum, quae simul junctae absque ullo spe vindicationis et recuperationis ascendunt ad summam viginti millium quinquentorum octuaginta septem Florenorum Polonicalium, de quibus quidem debitoribus qui adhuc superesse possunt, et hoc notandum quod secuto obitu defuncti antecessoris mei juxta morem Patrium coram Actis laicalibus de persolutis per se mandato defuncti Episcopi totaliter debitis suis fecerunt manifestationem; *9no:* Ab eodem percepi epistolam per Magnificum Raytarowski ad D. Czesperski, Praefectum navis suae frumentariae directam, qua mandat eidem, ut in rem defuncti antecessoris mei summam duorum millium Florenorum Polonicalium persolveret, cujus persolutionem difficile ad praesens investigare.

6to: Post amissionem, per superius relatam Domus Vladimiriensis conflagrationem, nonnullorum documentorum substantiam defuncti Episcopi respicientium, ex Actis Castren. Vlodimirien. modo extractas percepi assecurationes contractorum apud defunctum debitorum, quae sequuntur, et quidem: *1mo:* Assicurationem Illustris et Magnifici Milczynski Castellani Podlachiae super Bonis villae Milenticze summae quatuor millium Florenorum Polonicalium adhuc in anno 1740 contractae; *2do:* Assecurationem Magnifici olim Radziminski summae trium millium Florenorum similium in anno 1742 contractae; *3tio:* Assecurationem Magnifici olim Gostynski, Notarij Terrestris Novogroden, super Bonis villae Scluste summae trecentorum triginta trium aureorum Hungaricalium in anno 1753 contractae, qui efficiunt quinque millia nongentos nonaginta quatuor Florenos Polonicales; *4to:* Assecurationem Magnificorum olim Oranskie, Judicum Terrestrium Vlodimirien., Conjugum, pro Bonis villae Ryda summae quadringentorum viginti trium aureorum Hungaricalium in anno 1736 contractae, qui efficiunt septem millia sexcentos quatuordecem Florenos Polonicales; *5to:* Assecurationem Perillustris et Magni-

fici olim Oranski, Succamerarij Czernichovien. pro Bonis villae Semyrow summae viginti millium Florenorum Polonicalium in anno 1741 contractae; de, his debitis quinque qualia censeri debeant, concludere ad praesens non possum, ex quo omnes quos onus eorundem afficere possit, se innocuos asserunt, Quietationes autem de persolutis non producunt. Sunt adhuc et alij, prout devenire potuit, similes defuncto debitores, quorum primi recensentur Patres Societatis Jesu missionis Vladimirien. circiter sex millium Florenorum Polonicalium; alter vero Magnificus Kozlovski, Vicecapitaneus Castren. Vladimirien aliquot centenorum; tertius denique Magnificus Wydzga, Vicepalatinus Volhyniae, pariter certae summae sibi melius notae, quorum Assecurationes originales licet per ignem perierunt, tamen de conflagratis eisdem extat de more Patriae circa relatam Manifestationem praestitum per me juramentum, a quo absolvi non possunt, nisi judicialiter abjuraverint. (f. 112) Insuper ego idem Episcopus juro Domino Deo meo quod a tempore Regiminis ejusdem Episcopatus pro defuncto antecessore meo diversis ejus Creditoribus et familiae Curiali et praediali, tum quoque varijs artificibus nec non pro congruis funeribus et in suffragia animae ejus, non computando adhuc expensas diversas litis, modo sequenti vere et realiter persolvi et expendi in parata pecunia viginti octo millia sexcentos Florenos et grossos viginti octo numeri Polonicalis, et quidem: *1mo:* Pro congruis funeribus et suffragijs animae ejusdem D. Antecessoris, praeter carnes diversas et liquores vini mulsi et cerevisiae atque victualia aliaque comestibilia et cibaria hominum et equorum, quae partim ex praedijs et fornicibus Bonorum mensae ejusque derelictis partim vero sumptu meo proprio exspendebantur seorsive expendi summam octo millium quadringentorum octuaginta octo Florenorum et Grossorum decem Polonicalium; *2do:* Pro deservita et non persoluta per defunctum Episcopum famulis et curialibus suis atque artificibus varijs per eundem conductis mercede tria millia octingentos octo florenos et grossos decem Polonicales; *3tio:* Ad Assecurationes manuales atque memorialia mani pie defuncti antecessoris mei conscripta et subscripta de quo extant Originalia eorundem varijs mercatoribus pro diversis mercibus ad usum secum perceptis atque alijs Creditoribus post praestitum prius per ipsos super realitate et non persolutione sibi eorundem per defunctum Episcopum debitorum divisim persolvi sexdecem millia trecentos viginti sex Florenos et grossos octo Polonicales.

Super quibus omnibus sicut vere et realiter fidem et conscientiam meam interpono ac juro, ita me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tenens debite et reverenter exosculor. In majus autem testimonium hanc Formam juramenti per me praestiti manu propria circa appositionem sigilli soliti subscribo. Datt. Kupieczoviae, die 5 mensis Decembris, anno Domini 1760.

Ita recognosco et juro ego Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Vladimirien. et Bresten., Coadiutor Metropolitanus (mpr.)

In nomine Domini. Amen. Cunctis ubique pateat evidenter et sit notum. Quomodo anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septigen-

tesimo sexagesimo, die veneris quinta mensis Decembris, superius in actu conten., Indictione Romana Octava, Pontificatus SS.mi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papae ejus nominis XIII anno tertio. In Praesentia mei Notarij Apostolici testiumque infrascriptorum ad id specialiter rogatorum et vocatorum constitutus personaliter Ill.mus Excell.mus ac Rev.mus Dominus Felicianus Philippus Wolodkowicz, Episcopus Vlodimiriensis et Brestensis, Prototronius et Coadjutor Metropolitanus Kijoviensis Halicien. et totius Russiae atque Abbatiae Kijovopeczaren. Abbas commendatarius Dermanensis, Dubnensis et Sanctae Crucis, juramentum praesens juxta formam superius descriptam de verbo ad verbum eadem alta voce pronuntiata, flexis genibus et sacrosanctis Dei Evangelijs, quae prae manibus habebat, tactis praestitoque integro juramento osculatis, vere praestitit et in locis ubi nomen ipsius habetur manu propria se subscripsit, sigilloque solito communiri fecit. Super quibus omnibus et singulis petitum fuit a me, Notario infrascripto, quatenus hoc praesens conficerem Instrumentum, cui tam hic quam alibi etiam in Romana Curia plena et indubitata adhibeatur fides. Acta sunt haec Kupieczoviae, die, mense et anno quibus supra. Praesentibus Admodum Reverendis Alexandro Wackievicz, Theologo supralibati Ill.mi D.ni Episcopi Vladimirien., Basilio Mokrzycki, Notario Apostolico et Paulo Slonczevski, Ordinis Carmelitarum antiquae Regularis Observantiae Conventus Kiscelnicen Subpriore, tum quoque Magnificis Martino Ratonski, Tribuno Orszanen. et Antonio Koczorowski, Pincerna Czerniechovien., testibus ad praemissa rogatis et requisitis alijsque quampluribus actui praesen. adstantibus, Personis fidedignis.

Et quia Ego Micheal Slopczanski Publicus Sac. Auth. Apostolica Notarius et Sac. Regiae Majestatis ... praemissis omnibus et singulis prout narrantur una cum testibus superius expressis praesens et personaliter interfui, ideoque hoc praesens Instrumentum confeci, illudque circa subscriptionem nominis et cognominis sigillis quo in similibus utor communivi rogatus et requisitus. Idem qui supra, etc.

26.

Volodmiiria, 6. XII. 1760.

De spolio Volodimiriensi post obitum Theophili Godebskyj.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 791, f. 110rv, 113.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, D.ni, Patroni et Benefactores Singularissimi.

Quo facilius Eminentiae Vestrae pro sua aequitate et justitia in Causa derelictorum defuncti Ill.mi ac Rev.mi olim Theophili Episcopi Antecessoris mei ad ulteriora possint devenire, circa profundissimam venerationem inclusum Eminentijs Vestris, ad insinuationem praeteriti Excell.mi ac Rev.mi Domini Nuntij Apostolici, pro parte mei, quod recta conscientia dictaverat,

mitto juramentum. Huic igitur visum etiam mihi erat apponere nonnullas circumstantias, statum rerum enucleantes, quibus Eminentiae Vestrae melius instructae, supremum pro arbitrio sensum suum aperire, et plenarie determinare valeant. Non desunt inter eadem derelicta, si ad manus prius (: collectis insuper illis quae adhuc pro conductione stante vita defuncti in majore parte Bonorum Mensae Episcopalis penes conductores laicos, de quibus jam antea Eminentijs Vestris significavi, in notabili quantitate absque omni calculatione non persoluta remanent, ac ex spolio penes Ill.mum ac Rev.mum Dominum Episcopum Pinscen. retenta haerent :) facili modo pervenirent, ex quibus necessitati Cathedralium duarum per fundationem in illis perpetuorum Vicariorum oportune subveniatur. Sed quia exceptis PP. Basilianis et Soc. Jesu Vladimirien. omnes Debitores sunt de Equestri Ordine, quorum major pars cum suis propinquioribus et amicis praeest subsellijs publicis laicalibus Regni, ut hoc respectu inanis prorsus et non sine magno sumptu, prout jam in duplici Causa (f. 110v) probavi, sit contra illos in Judicijs laicalibus actio, ubi etiam obstantibus in contrarium de successione proximiorum sanguinis, etiam post spirituales Statutis Regni minime consideratur, ut Episcopus post Episcopum Monachum, a voto paupertatis obtento Episcopatu non solutum, aliquid juris habeat; Proinde humillimis precibus meis Eminentias Vestras exoro, ut dignentur benigne ratione praemissorum, ne totum pereat, quasi motu proprio decernere contra me mandatum Apostolicum conveniendi eosdem et salva semper authoritate superiorum subselliorum, coram Ill.mo D.no Ordinario latino Luceorien., in cujus Dioecesi consistunt omnes et obtenta Decreta sibi transmittendi, dicto vero Domino Ordinario, seorsive insinuare, quatenus admissis ad judicium suum causis ejusmodi, se facilem et propitium pro justitia exhiberet. Tali enim modo consuleretur recuperationi praedictorum debitorum, etiam juxta jura Regni cognitioni judicis ecclesiastici subjectorum, quae aliter absque omni dubio non evicta peribunt, et tolleretur contra nos omnis ansa litis Adversariorum, ut nec me potuissent pro paenis praetensae evocationis, juxta modernam praxim suam insolenter ad Tribunal Regni trahere. Insuper Eminentijs Vestris cum omni respectu supplicandum esse duxi, (f. 113) ut totam argenteriam pie defuncti Antecessoris mei, tanquam Mensae Episcopali comparatam dignentur usui meo quoad vixere, relicta proprietate penes Ecclesiam, permittere, meque ipsum et gregem meum consuetis gratijs suis cumulari, quibus iam pridem decoratum me existimans, continuo Deum ter Optimum Maximum precor, ut Eminentias Vestras majori Fidei Catholicae incremento et animarum saluti circa omnem incolumitatem et fortunatos successus quam diutissime conservet. In majus autem devotionis argumentum profiteor quod sim cum omnimoda observantia

Eminentiarum Vestrarum humillimus et subpeditaneus servus ac exorator
F. Wołodkowicz, Episcopus Vladimirien. Coadjutor
Metropolitanus (mpr).

Die 6-Xbris 1760. Vladimiriae.

27.

Volodimiria, 20. XII. 1760.

Nuntio Apostolico Varsaviensi transmittit relationem de Capitulo Generali Basilianorum et quaedam nova subiungit.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 109 (1), fol. 25-26.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[39]

Prima et principalis materia excurrendi praesentibus cum summa Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae veneratione est potissimum ea, quae, communis omnibus, mihi autem pro debita eidem recognitione semper singularis circa proxima immanentis anni exordia esse solet, scilicet continuo precandi ab Eo qui benedixit Coronam anni benignitatis Suae ut Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae in multas annorum decades circa omnem incolumitatem aliosque innumeros faustissimus successus benedicere peculiariter dignetur, ea omnia quaecunque erunt maximis de Ecclesia Dei meritis votisque et desideriis ejus conformia; in majus autem devotionis meae argumentum obnixe Ill.mam ac Rev.mam Excellentiam Vestram rogo, ut hoc minimum a me obsequium quod Lator praesentium praestabit benigne dignetur suscipere, illudque pure et simpliciter praeparati animi mei significatione reputare.

Sciens autem quod omnia negotia apud Sanctam Sedem absque adminiculis gratiae et benevolentiae Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, tute et secure tractari nequeant, rationabiliter visum est mihi in annexis foliis eidem communicare quaecumque cum incluso memoriali multorum praeteriti Patrum Basilianorum Capituli Generalis Brestensis taliter qualiter imo nulliter anno elapso 1759 absoluti Vocalium, mihi nuper ad deferendum transmisso, Sacrae Congregationi Propagandae Fidei Catholicae pro munere meo exposui, humillime Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae supplicans, ut data occasione dignetur benigne pro bono exitu eorundem expositorum excelsum sensum suum eidem Sacrae Congregationi aperire, et ut totum negotium cognitioni, prout de jure, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini mei Coadjuti sive ab (f. 25v.) ipso alteri ejusdem Ritus deputato Episcopo, cui internum et externum regimen Religionis suae melius cognitum est, absque dispendio monasteriorum communitati possit eidem sententiam supremi arbitrii sui communicare. Plures adhuc ad deferendum inconvententiae eorundem praetensorum Ordinis Superiorum ocurrebant, quas in praedictis literis meis silentio praeterivi. Nihilominus tamen de nonnullis ex ipsis Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae obiter mentionem facio, scilicet quod ipsum Capitulum non fuit vere Capitulum, sed potius horror sempiternus, vix aliquae sub Provincialatu Admodum Reverendi ac Religiosi P. Nicodemi Karpinski, moderni

---

[39] Nuntio Apostolico Varsaviensi Antorio Eugenio Visconti (1760-1766).

Provinciae Lithuaniae asserti Protoconsultoris, datae fuerunt Monachis obedientales, quae notabili cum ultima exvisceratione Religiosorum non apretiarentur munere vel paecunia. Novitiorum omnes importantiae per multos annos notabilium summarum aliarumque rerum pro depressione digniorum, ne quidquam contra ipsos agere valerent, aliisque inutilibus Religioni expensis inaniter conversae. Quoties contigerit aliquas causas in judiciis eorum inter Monachos agitari, paenae mulctarum paecuniarium, inaudito in aliis Religionibus more, pro judicibus contra convictos adhibentur. Religiosi in victu competenti in compluribus Monasteriis etiam sufficientibus Superiorum malitia velut simplices homines tractantur. Si vero spectare liceat mores nonnullorum, fama publica volat de incontinentia Patris Karpinski modo titulo Procuratoris Varsaviae commorantis, quem ipse Pater familias residentiae, initiis ibidem suscepti ejusdem muneris, ob ejusmodi notoriam et scandalosam cum mulieribus conversationem, apud se pati non potuit, postea vero cum se causa cujusdam (f. 26r.) curationis transferret Villanoviam, ibi magis de materia lubrica absque pudore notabatur. Quare habita praesenti informatione, dignabitur Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra in eundem immorigerum Monachum, qui a Superioribus Ordinis ob mutuam secum cum duobus adhuc aliis fratribus suis germanis conjunctionem vix possit exemplariter corrigi, dare pro sua aequitate justitialem animadversionem, et ne ulterius proximam occasionem habeat in similibus versandi, amotionem ab eodem munere Procuratoris Superioribus ipsius demandare. Quae omnia singulari Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae commendans protectioni, maneo tandem distintissimo cultu

Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae

devotissimus et humillimus Servus

F. Wołodkowicz, Ep. Vladimir., Coadiut. Metrop.

Die 20 Decembris 1760. Vladimiriae.

28.

Volodimiria, 1. VII. 1761.

Iterum in negotio approbationis Actorum Capituli Generalis Basilianorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 109 (1), fol. 39-40.

Illustrisime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[40]

Ex puro zelo manutenendae regularis observantiae in Ordine PP. Basilianorum Congregationis Ruthenorum quae erant scribenda scripsi, tum per me, tum etiam scripta et subscripta per alios Patres Capitulares transmisi ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide. Porro omnibus illis rite perspectis, satis abundeque videtur probari perniciosa Monasticae disciplinae

[40] Nuntio, ut videtur Varsaviensi, Antonio Eugenio Visconti (1760-1766).

dominandi libido, ac perpetua dictatura RR. PP. Lisanski et Bilinski, cum suis asseclis, et rursus quae mala cum in spiritualibus tum in temporalibus perniciem statui religioso minantia, ex ejusmodi toties a Summis Pontificibus Sanctisque Patribus damnato ambitu sequuntur, evidens est. Nihil ergo superest, quod pro ulteriori notitia gestorum per praedictos Patres, incipiendo a Capitulo Generali Dubnensi[41] usque ad Capitulum immediatum Brestense, transmittam, maxime cum probe suam Illustrissimam, Excellentissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram sic et non aliter processuram cum illis, qui ad examen et pleniorem delucidationem vocandi sunt, quam ut veritas omnis hocce in negotio aperiatur, falsitas vero eum non habeat. Hoc unicum vereor ne aliqua fraude et sinistra informatione factum est, quod nunc primum Vlodimiriam veniens subaudio, nimirum: eos Patres vocari ad praesentem Commissionem, quam strictam et formalem esse suppono, contra quos tum querelae Patrum utriusque (f. 39v.) Provinciae tum eadem ipsa actio et Commissio instituitur. Vereor, inquam, ne per suppressionem veritatis (uti prudenter sperandum est) iidem Patres accusati sufferant justam animadversionem contra se, qua utique sublata, erunt posteriora pejora prioribus, nam confirmati in suo despotico dominio obdurabuntur in sua malitia, obdurati pro more suo vindictam sument de iis omnibus, qui recte sentiendo eorum sensui non subscribebant nec subscribunt, quod utique malum sibi praesentientes aliqui juvenes monachi, bene tum in alumnatibus Summorum Pontificum tum etiam intra limites Patriae educati, jam jam disperabundi, ad sua officia respectiva, scilicet in procuranda salute Christi Fidelium, in propaganda Fide Catholica, necnon in exercenda juventute qua religiosa qua laicali humanioribus, amittunt animum, quinimo perculsi timore fugiendo injustas paenas suorum, ne se transferant cum ignominia honoris Divini et Religiosi ad extera, timendum. Haec igitur alia rationabiliter praevisa absurda ne subsequantur, ea qua par est veneratione supplico, quatenus Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra praevalida sua authoritate et judicio velit excipere eos, qui de jure excipiendi sunt, quales sunt supracitati Patres inculpati, et insimul finem imponendo omnibus iurgiis et litigiis practicatis (f. 40r.) et practicandis de facili inter personas dicti Ordinis, negotium totum ac integrum a me enixe insinuatum clementer manutenere dignetur. Ad effectum cujus dum iterum atque iterum meas interpono preces et officia, cum obligatione exequendi omnia et singula ejus mandata circa profundissimum cultum maneo

Ill.mae et Rev.mae Exc.ae Vestrae, Benefactoris et Patroni mei colendissimi devotissimus et humillimus servus.

F. Wolodkowicz, Ep. Vladimirien., Coadjut. Metrop. (mp).

Die 1 Iulii 1761 Vladimiriae.

---

[41] Anno 1743, in quo Ordo Basilianorum duabus Provinciis constans ortum habuit; acta huius Capituli probata fuerunt a Benedicto PP. XIV, litteris decretalibus « Inter plures », anno 1744, die 11 maii editis.

29.

Lublini, 23. VII. 1761.

De Alumno quodam Vilnensi et de modo agendi Rectorum eiusdem Collegii.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 74-75.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[42]

Ex non percepta hucusque ad venerandas suas literas, adhuc de 18 Maji ad me datas, Resolutione certe et rationabiliter Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra potuit aliquid de me cogitare. Verum quia eadem epistola in spem reditus mei ex Lithuania ad Kijovien. Archidioecesim missa fuit Vladimiria Radomysliam, unde redeunti ex itinere eodem postea recte in Volhyniam, per incuriam quamdam modo hisce diebus mihi transmissa est, ista igitur re ipsa fuit ratio non obsequendi hucusque Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae mandatis, in quo humillime deprecando quoad recalcitrationem Sacrosanctis Instituti Collegii Pontificii Vilnensis per Joannem Mokrzycki alumnum ejusdem, certe ipse postquam resciverim eundem absque debita permissione Superiorum ad Dioecesim pervenisse, non modo ipsum, verum etiam Parentem ac alios ad id concurrentes serio arguebam et quamvis nullam adhuc habuerim super hujusmodi ausu ab Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra requisitionem, statim redire ad Seminarium praecepi, plurimum semper confidens quod Illustrissima ac Reverendissima Eccellentia Vestra pro sua aequitate et justitia, si quid inconveniens et contrarium Constitutionibus praefati Alumnatus a Sancta Sede traditis per A.R. Rectorem commissum fuerit, opportunis remediis benigne dignetur obviare, et multo magis modo dum se expresse ad inquirendum de regimine eiusdem Superioris ac deinde, si vera in ipsum exposita apparuerint, quibusvis malis occurrendum promptum et benevolum obtulerit. Quod pro certo erit summopere educationi omnium alumnorum utilissimum, si ad id visitatio eiusdem Collegii authoritate Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae non per Provincialem Soc. Jesu, sed per alium Praelatum Ecclesiasticum instituteretur, nam non modo tantum, verum jam pridem ab ipsis exordiis Rectoratus et vel maxime moderni Superioris continuo conquerentur. Nescio utrum hoc ex praescripto Regularum ejusdem Collegii practicatur, quod pridem si fas credere delatum habui, scilicet quod quicumque ex vestitu laicali aliquid ad alumnatum adtulerit, totum circa regressum suum in eodem relinquere compellitur. Deinde quod ad assequendam Lauream ex respectiva Facultate Doctoralem consulto Alumni de Ritu meo, ne tali honore, quamvis ad id satis habiles et idonei essent, decorentur, ab expositione publica Conclusionum arceantur. Erant quidem et alia mihi ore-

---

[42] Antonio Eugenio Visconti, Nuntio Varsaviensi (1760-1766).

tenus exposita, quae certe debitam mereantur considerationem, verum quia omnia ad praesens memoria capere non (f. 74v) possum, putarem super praemissis Alumnos solos deputatum Commissarium, si expedire eundem videretur, melius instructuros. Modo vero nil mihi superest, quam attenta moderna infirmitate suprafati profugi Alumni, qua jam a septimanis aliquot laborat, ad evitandam Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae in ipsum indignationem, excusare eundem nullo modo hac de causa, nisi convaluerit, posse ad praesens Vilnam proficisci. Patrocinium praedictis alumnis vix aliquis praestare posset, quod quamcumque audaciam ad operandum contra Apostolica Mandata ministraret, certum quidem est me ipsum aliquoties A.R. Rectorem amice pro illis rogasse, sed magis volui haec facere, quam ut soli, prout ferebantur esse resoluti, ipsam Sanctam Congregationem quaerelis suis irritarent.

In causa nullitatis pretensi Capituli Brestensis[43] optarem ex animo comprofundissimos Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae Cultus personales conferre studia ad conprobanda ea quae merite debeant comprobari, si me onera aliorum negotiorum, pro quibus manutenendis hisce diebus Lublinum veni, non arcerent. Nihilominus tamen procul dubio sperarem solam Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram pro sua eximia aequanimitate omnes conatus ad id conversuram quibus veritas clarius sole appareret, et versutia humana profligaretur. Religiosum P. Provincialem Lithuanum cum eius Consultorio, contra quos principaliter est actio, putarem non aliam ob causam vocatum fuisse, quam ad dandas justificationes super objectis sibi. Verum quia probationes ex Personis non interessatis sunt necessariae, humillime Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae supplicarem, ut ad id non ipsorum electione tantum, si quae interfuerit, sed etiam justitiae exigentiae adhibeantur pro deponendis testimoniis ex Provincia Lithuana: PP. Lukianowicz, Consultor Vitebcsensis, Zekierth Borunensis, Lapinkiewicz Vladimiriensis, Superiores; Horbacki Lector, et Geler Concionator eidem Capitulo praesentes; ex Provincia vero Russiae: P. Malski, Protoconsultor, meritis et virtutibus in Religione clarissimus, cujus vel maximo ardore Monasteria quaeque Provinciae in Congregationem redacta sunt; demum si placuerit, quamvis aliquomodo per subscriptionem Memorialis interessati iidem pariter maximae probitatis PP. Ilaszewicz, Matkowski, Laszczewski et Oryszczyc, tunc ipsa Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra facile concipiet omnem perversorum hominum astuciam. Meum hic interesse proprium nullum habeo, praeter quod, ipsa justitia exigente, pro munere (f. 75) meo inconvenientias ipsorum detuli, attamen si quis deficientibus aliquomodo probationibus narratorum notam aliquam de me exinde cogitaret, paratus sum non tantum ecclesiasticis verum Laicorum testimoniis alioque probationum genere seria institutione Processus judiciarii totum id deducere. De spolio Monasteriorum et Personarum aliisque inconvenien-

[43] Anno 1759 celebrati.

tiis adhuc nihil dico, ex quo certior sum factus a Rev.mo Domino Auditore Sacrae Nuntiaturae Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram solum de legalitate Capituli rem agere.

Tertium est eodem ipso tenore supplicare Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae, ut querelae P. Lapinkiewicz contra praetensam admissionem per me ad Novitiatum quarundam puellarum praetextu obtinendae ad Residentiam Vladimiriensem Monasterioli Popovicen. applicationis expositae, prout de illis subaudio, nullam promereantur fidem, nam se res aliter habet. Puellae praedictae etiamsi ad Professionem admitterentur, non ipsius erit curae easdem alere et vestire, nec ejus est, qui necdum solus in Fundatione eiusdem Residentiae penes Cathedram sola duntaxat promotione pro utilitate Dioecesis erectarum per Praedecessores meos, absque ulla debita prout de jure approbatione Scholarum Publicarum locatae tolerata videtur esse securus, dictam incorporationem praetendere. Si enim prout antea scripsi aliquid intervenerit, certe non Personis ejusque Ordinis, prout sunt monachi, verum quatenus studia ad utilitatem Dioecesis promoverentur, et preco Verbi Divini in Cathedrali semper habeatur, succederet. Ex quo ipse quod eundem ipsum P. Lapinkiewicz, quamvis mihi contrarium, ad deponendum in negotio Capitulari testimonium nominarem, clarius adhuc Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra cognoscet, me solo desiderio justitiae pro ipso zelare ac circa ea continuo profiteri quod sum cum omnimoda veneratione et cultu

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae

devotissimus et humillimus servitor

F. Wołodkowicz, Episcopus Vladimirien., Coadiutor Metropol. (mp).

Lublini 23 Julii 1761

30.

Lublini 24. VII. 1761.

Iterum in negotio confirmationis Actorum Capituli Generalis Basilianorum, de exclusione cuiusdam P. Lapinkiewicz etc.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 76-77.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[44]

Post expeditam hodierna die ad praecedentes Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae de 18 adhuc Maji respectu alumni Pontificii, nempe Joannis Mokrzycki ad me datas literas resolutionem, qua etiam nonnulla exponenda censui tam ratione moderni examinis P. P. Basilianorum quam etiam praetentionis P. Lapinkiewicz, iterum super praefatis duobus

[44] Nuntio Varsaviensi.

negotiis. Cum expressione latiori calamo etiam istius P. Lapinkiewicz de statu puellarum in Monasteriolo Popowicensi profiteri volentium Relationis, percepi Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae de 23-a currente epistolam, ad quam maxima cum veneratione respondens, semper sum apud me istius sententiae, quod Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra pro sua summa prudentia et rebus gerendis dexteritate etiam in negotio Capituli Brestensis prout de jure ita processura ut ne contrariae parti minimum aliquod praejudicium inferri possit. Verum quia eadem Pars, ut ex convocatione praesenti nonnullorum ad id praeteriti Capituli Vocalium infero tales pro se et pro altera Parte videtur testes elegisse, quorum nonulli sint sibi nimis affabiles rerumque minus providi et sagaces, alii vero tales qui nullam habentes notitiam agendorum vix quid est dictum in eodem Capitulo scire potuerunt, ex quibus nullomodo sufficiens pro causae hujus exigentia dari potest probatio, propterea et modo Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram humillime rogandam esse duxi, ut quos in altera mea hodierno pariter Cursore expedita nominaverim Patres, eosdem pro sufficientiori comprobatione expositorum vocare ad Tribunal suum dignetur, alias eo ipso interesse habentibus fuisset maximum (f. 76v) gravamen. Adhuc resolutus sum supplicare Sacrae Congregationi ut Generalis praeteritus et Provinciales Juramentum quod in Capitulo a sanioris Partis Vocalibus praetendebatur, et per me eidem Sacrae Congregationi sub numero 8 fuit expositum, in suplementum modernarum probationum non evadant. Quare et modo si ad id Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra commissam desuper habere possit facultatem obnixe rogo, ut ipsis illud deferre non gravetur. Ex hoc etiam sumo non posteram admirationem quod Religiosus P. Lisanski jam post expeditum suum aliis sibi adhaerentibus examen adhuc Varsaviae, nulla cogente necessitate, solum fortasse informandi alios ad id vocatos causa et quaerendi a quibusdam Magnatibus pro se Patrocinii moratur.

Quoad emergentia Monasterioli Popowczensis certum quidem est quod etiam ipse de decima adhuc Aprilis Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae significavi solum duas in eodem reperiri Moniales. Verum ut vitam irregularem praeter quod non habent Claustrum formale agerent, multum et contra conscientiam iste nuntius a veritate deviavit. De coactione per vim et metum ad Statum Religiosum a parentibus illibi puellarum modo primum audio. Imo, voluntatem illarum non tantum ab aliis sed etiam a solis ipsis aliter apertam habui. Nihilominus tamen cum Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae, ad delationem P. Lapinkiewicz commodi sui causa factam, visum fuerit Professionem ipsis prohibere donec debitae de voluntate earum sumantur informationes, et ego reverenter supersedeo. Imo quae oportuna erunt pro ulteriori Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae super ejusmodi casu resolutione, post reditum meum ad (f. 77) Dioecesim inquirere non intermittam, sed modo iterato Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram deprecor, ut praedictus P. Lapinkiewicz, in desiderio aplicationis sibi ejusdem Monasterioli quod majori uti-

litati Ecclesiae sit dispositurum, nullam mereatur admissionem et respectum.

De statu Joannis Mokrzycki, alumni, jam in prima mea diffuse scripsi, modo vero solum hoc superaddo quod et exinde D. Decano Foraneo Vladimiriensi, parenti ejus, quatenus ipsum, si sanitati pristinae restitutus, quem modo non vidi, statim ad alumnatum expedire procuret demandavi, ut eo ipso haec de me perhibeam testimonia, quod ad omnia mandata sim cum omnimoda observantia

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae

devotissimus et humillimus Servitor
F. Wolodkowicz, Episcopus (mp).

Lublini, die 24 Julii, 1761 anno.

31.

Volodimiria, 15. XI. 1761.

Quaedam epistula ad Archiepiscopum Leopoliensem Latinorum data, in qua conqueritur de quadam indagatione super sua persona facta.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 85rv.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine Patrone Colendissime

Hae Literae ex Polonico in Latinum traductae videantur et legantur in altera parte (f. 85v)

Literae Illustrissimi Wolodkiewicz, Episcopi Wlodzimiriensis, RGLU, ad Illustrissimum Archiepiscopum Leopoliensem R. L., de die 15 Novembris 1761, Wolodzimiriae.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[45]

Habeo quaedam certa documenta quod Excellentissima Dominatio tam per se ipsum quam varias subordinatas Personas variis in locis respectu Personae meae quaeque scrutinia peragat, qua in re cupio informari, qua aucthoritate et ad cujis instantiam, sine ulla, etiam minima defensione mea, quae cuilibet jure naturae debetur, talia attentantur ut ego etiam vicissim sciam cum quo interesse possim habere, et quo ulteriori facto opus erit, supplico enixe Excellentiae Vestrae et una debito cum respectu maneo.

Literae Responsoriales.

Illustrissime et Reverendissime Domine, Frater Colendissime.

Ita arbitror quod nec ego nec Illustrissima Vestra Dominatio ex Personis simus nobis noti, quantum autem spectat honorem ejus Illustrissimam Dominationem Vestram certam esse rogo, quod in hoc respectu et consideratione habeo episcopalem illius characterem, et ita illum appretiare cupio, ut meum proprium, et in documentum hujus profiteor me esse debito respectu.

---

[45] Venceslaus Sierakowski (1760-1780).

32.

Volodimiria, 14. III. 1762.

Alia amplissima relatio de Capitulo Generali Basilianorum an. 1759, et de Superioribus maioribus Ordinis, de eorum abusibus, illegalitatibus etc.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 800, f. 218-228.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini, Domini Patroni, Benefactores Singularissimi.

Placuit Eminentijs Vestris pro suo supremo arbitrio et aequitate expositas sibi a compluribus praeteriti Capituli Brestensis Vocalibus permultas quaerimonias votumque meum seorsive descriptum et trasmissum pro sumendis Informationibus necessarijs et opportunis ad Excellentissimum ac Reverendissimum D. Nuncium Apostolicum hujus Regni remittere. Verum quia hic difficile erat ex aliquod Religiosis pro nullitate tantum Capituli in testimonium vocatis et adductis integrum statum Causae ejusmodii solum in aliquibus genericis terminis expositae perfecte, prout damna Monasteriorium et Personarum injuriae ipsaque aequitas postulabat investigare, praesertim cum ipsi praedicti testes referant, se a suis modernis Superioribus in deponendo verum diversimode impeditos fuisse, non diffido quin idem Excell.mus ac Rev.mus D. Nuncius Apostolicus pro sua summa prudentia et aequanimitate, cognita sibi peroptime P. Lisanski, Authoris totius mali, industria, et in rebus publicis omniumque oculis expositis versutia, quibus se scit perbelle tegere, ut hoc ipso alios etiam in pertractandis (f. 218v) cum ipso negotijs reddere debeat cautiores, aliarumque Personarum et respective trium Patrum Karpinskich, fratrum inter se germanorum, quorum vitia inferius referentur, eidem conglutinatione, nec non habitis jam ex Scrutinijs ad praesens expeditis in nonnullis, prout recte inferre possum, et respective super nullitate asserti Capituli Brestensis plusquam sufficientibus informationibus, in alijs sat convincibilibus deductionibus, in reliquis vero quae specifice et nominatim fuerunt non expressa, et prout me Rev.mus Dominus Auditor Tribunalis hujus Sacrae Nuntiaturae literis suis, de 28 mensis Maj anno superiore ad me datis, certiorem reddidit, ad inquirendum non commissa saltem vehementibus praesumptionibus omnia ad rem spectantia facile Eminentijs Vestris expositurus, ut facta declaratione nullitatis ejusdem Capituli aliud, prout de jure, pro eligendis novis tam Ordinis, quam Provinciarum Officialibus decernere, et quatenus absque vitio ulterioris nequitatis successive alia facilius valeant celebrari, quaeque necessaria, in quibus negotium praesens versatur, benigne statuere non dedignentur, quae ut facilius possint expediri ante omnia circa authoritatem Praesidis debite sustinendam, ad rem discutienda sequentia spectare videntur, et quidem.

1mo: Ut ipsius proprium sit votationibus vel in voce vel in scripto, aut aliquo alio modo in alijs Religionibus legitime praecustodito, per vocales faciendis disponere; *2do:* Excessus quosvis in fraudem cononicae electionis

ortos ante omnia cognoscere et prout aequitas postulaverit corrigere; *3tio:* Clamores vel tumultus in sessionibus excitatos debite compescere, et quatenus opus sit opportunis ad id remedijs (f. 219), etiam per privationem voce activa et passiva vel censuras ecclesiasticas componere; *4to:* Sessiones ad tempus utile fovere et promovere, et non obstante abseantia studio aliquo facta nonnullorum, agenda peragere; *5to:* De electionibus per monasteria vocalium quali methodo an non contra Constitutiones Ordinis et dispositionem juris factae fuerint inquirere, et capacitatem ipsorum: an voce activa, et passiva frui possint, examinare, ac nulliter electos, habitis ad id sufficientibus rationibus, e medio exludere et amovere, nec non in Rebelles et ultro se (:quod aliquando non deerit:) circa adminicula aliorum Vocalium immisceri volentes gravioribus poenis animadvertere, et ne cuipiam ex respectivis Provincijs ex tali exclusione aliquod praejudicium censeri videretur, paritatem Vocalium vel quaeque alia juxta Constitutiones Ordinis necessaria constituere, et quatenus opus fuerit debitae Executioni demandare; *6to:* Consultationes, prout necessitas postulaverit, de condendis Statutis novis, vel antiquoribus reformandis, aut consultis generalibus antea factis vel in toto vel in parte reprobandis publice promovere, et quaestiones eo fine per se formatas ad resolvendum proponere eaque solum quae capitulariter pluralitate votorum decreta, et definita fuerint ad Acta admittere et probare; *7mo:* Electionibus in Capitulo Generali non modo Ordinis verum etiam Provinciarum Officialium, ex quo Generalis noviter electus, sed nondum a S. Sede approbatus, quoad electiones Provincialium nequit sibi suoque Consultorio ex defectu plenae iurisdictionis hanc legem vindicare, cum eadem in omni et alia a jure sibi authoritate et praerogativa praecustodita praeesse, omniumque electiones et reliqua Acta Capituli ad beneplacitum Apostolicum per se ipsum confirmare, (f. 219v) et non cum novis sed antiquis Officialibus subscribere; *8vo:* Protoarchimandritam et Provinciales aliosque Officiales rationem de Officijs suis antea gestis rebusque alijs in Capitulo Generali reddere recusantes opportunis ad id remedijs, etiam censuris ecclesiasticis compellere, et contra damnificatores, prout aequitas postulaverit, quaeque necessaria decernere et ordinare.

Quo vero ad nonnullas Constitutiones in damnum Religionis studio P. Lisanski in Capitulis efformatas,[46] abususque certos in jurisdictione Protoarchimandritae et Provincialium aliorumque Officialium, et eorum electione tollendos, super quo negotium praessens vertitur, pariter sequentia cum omnimoda observantia et submissione supremae Eminentiarum Vestrarum resolutioni et aequitati proponere existimavi: *1mo:* Praecedentiam et vocalitatem a iure praecustoditam in alijs solum ad actum primum Capituli locum habere censeatur, et non sit de necessitate resignationes per ipsos suorum respectivorum Officiorum expectare; *2do:* An post inscriptum Actis Capituli statim in prima Sessione, antequam Praeses de electione ex Monasterijs Vocalium

---

[46] Forsan in Capitulo annį 1759 et 1751, in quo P. Heraclius Lisanskyj electus fuit in Protoarchimandritam ad octennium (1751-1759).

inquiret, ijdem Ordinis et Provinciarum Officiales juxta formam in Capitulo praeterito a Vocalibus propositam et per me in relatione status ejusdem Capituli sub num.8vo expositam, jurare distinctim in manibus Praesidis publice teneantur et in eventu contraventionis per Praesidem privari possint, prout de jure, in perpetuum activa voce et passiva, alijsque poenis affici; *3tio:* An Consultores et Secretarij Ordinis iuxta modernam aequalitatem temporis ad octennium quod fuit praeteritis consensu in Capitulo Generali electi, quousque eadem octenaria temporis aequalitas sustineatur, finito primo quadriennio, quo electio Provincialium fieri (f. 220) consuevit, propria Ordinis Officia relinquere, et in Provinciales, Generales vero, non expectato octennio, statim post defunctum Generalatum ad idem Officium Provinciale, vel Provinciales ante quadriennium in Generales seu Protoarchimandritas eligi et ad id voce passiva frui possint; *4to:* An durante Capitulo Generali vel Provinciali, absque consensu Praesidis, conventicula Conferentiarum et consultationes privatae Vocalium valeant sustineri, vel Praeses eundem consensum ex rationabili et justa Causa sibi exposita, assignato nihilominus pro ejusmodi conferentijs honesto loco permittere, et ad assistendum ijsdem consulationibus aliquem ex Abbatibus, ne alicui suspicioni locus tribuantur, in locum deputare possit; *5to:* An contra formam in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III celebrato, praescriptam Scrutatores quatuor permittendi sint, et Constitutiones binae Capitulares eo pacto prolatae vim habeant; *6to:* An pro Scrutatoribus ejusmodi Officiales Ordinis et Provinciarum absque metu sollicitationis votorum eligi permittantur; *7mo:* An praeter Praesidem etiam Scrutatores suffragia Vocalium collecta absque periculo proditionis, qui essent alicui contrarij, secure examinare debeant; *8vo:* An extranei et ex Partibus Schismaticorum advenae ad Generalatum vel Provincialatus sint elegibiles; *9no:* An studiose procurans pro se ad aliquod officium tempore Capituli vel ante vota possit eligi et electus tolerari; *10mo:* An fratres naturaliter sibi conjuncti et affines, inclusive ad quartum gradum, simul ad aliqua Officia Ordinis vel Provinciarum respectiva sint elegibiles; *11mo:* An tales qui sibi proximiores ad quartum gradum habent Schismaticos ad eadem officia (f. 220v) absque defectu aliorum debitis requisitis meritorum sint eligendi; *12no:* An in electione Generalis et Provincialium Praelatos Infulatos et alios clarissimos sanguine viros repestivae jurisdictioni suae subjectos habentes, non solum in Religione virtutes, merita aliaeque dotes, verum etiam genus et dignitas spectari debeat; *13tio*: An nati ex libero ventre, prout sunt filij Presbyterorum Ritus Graeci Uniti hic in Patria nati, et eandem Religionem amplexi, deficientibus meritis et alijs requisitis dignioribus, in Generalem et Provinciales possint esse elegibiles, et ea ratione ad Superioratus Vocales anticipative promoveri; *14to:* Utrum Proarchimandritae et Abbates Mitrati extra propria Monasteria, quae Residentialia pro semper nuncupantur, celebrari volentes conformari debeant in usu Pontificalium dispisitioni juris communis, et Constitutionibus Summorum Pontificium, atque alijs Declarationibus Apostolicis, eo nomine pro Latinis editis; *15to:* An Protoarchimandrita in praesentia sui

Metropolitani vel Capituli Praesidis, Abbates vero in praesentia eorundem vel proprij loci sui Ritus Episcopi etiam non celebrantis, in Divinis et publicis aliquibus functionibus absque respectivo consensu eorundem, contra antiquissimum Ruthenae Ecclesiae morem, cruces in mitris gestare valeant; *16to:* An tempore Capituli ad Praesidem ejusdem spectat, exceptis Missis suo loco et tempore pro semper ordinatis, de alijs caeterisque Divinis et functionibus ecclesiasticis, praedicatione Divini verbi alijsque necessarijs disponere; *17mo:* An ad aliquod Monasterium vel Ecclesiam sui Ordinis adeunte et redeunte Protoarchimandrita in honorem ejus, qui hic in Patria propter solos Episcopos locorum est in usu, pulsus campanarum ejusdem monasterij possit excitari; (f. 221) *18vo:* An tempore Capituli, in ecclesia regulari ejusdem Ordinis, ubi idem Capitulum Generale celebratur, ad ingressum in ecclesiam ipsorum Praesidis, casu quo non sit ipse Metropolitanus vel proprius loci Episcopus, eadem recognitio attribuenda sit; *19no:* An Scholae publicae Cathedrales, prout sunt ad Beneplacitum Episcoporum sub cura PP. Basilianorum, ad commoditatem Dioecesis et utilitatem publicam penes ipsam Cathedralem Uladimirien. institutae, reliquis utpote PP. Societatis Jesu et Scholarum Piarum cum suis Rectoribus, Lectoribus et Professoribus in functionibus scholasticis praeferi debeant; *20mo:* An possit gaudere Privilegio exclusivo Universitati Cracovien. et Zamoscien. hic in Patria concesso, quo obstante aliae Scholae publicae absque consensu earundem Scholarum Cathedralium proprij loci Ordinarij in tota Dioecesi ipsius minime erigi et institui, ac instituta de novo possint tolerari; *21mo:* An ad tales scholas Cathedrales Rectores et Professores per Superiores Ordinis Basiliani ad nutum proprij Ritus et loci Ordinarij sint deputandi; *22do:* An scholae tales Cathedrales in suis functionibus immediatae jurisdictioni, visitationi et correctioni proprij Ritus loci Ordinarij subesse teneantur, Festaque quoad Divinum Officium in Cathedra ejusdem loci audiendum, et a studijs publicis abstinendum juxta ejusdem Ritus Kalendarium vetus, etiamsi permulti studiosi sint alterius Ritus servari obligentur; *23tio:* An Collegium Vladimiriense PP. Basilianorum, causa ejusmodi studiorum in Scholis Cathedralibus ministrandorum, intra moenia et in fundo ejusdem Cathedralis erectum in sequelam constitutionis SS.mi Domini Benedicti XIV « Super Familiam » incipientis, teneatur in Divinis ordinationibus suae Cathedralis (f. 221v) scholasticis obligationibus non repugantibus obedire, et ad eas implendas per ordinarium loci obligari; *24to:* An Monasteria octo saltem monachis congrue sustentandis non sufficientia reliquis sufficientibus pro mittendis a se ad Capitulum Vocalibus, prout in praeterito actum fuit, aequiparari valeant; *25to:* An Monasteriolum Biesiadecen. Archimandriae Zulkievien., non ita pridem canonice erectae, mediante ad id Beneplatico Fundatoris, consensu Superiorum Ordinis, et approbatione loci Ordinarij perpetuo unitum, aliaque similia insignioribus monasterijs, prout in Lithuana Provincia hucusque toleratur, per eosdem Superiores annexa, nec non Collegium Scholasticum Cathedralis Vladimirien., et Residentiae ad aedes aliarum Cathedralium, quarum nonnullae nec octo Monachis sustinendis sufficiunt, cum iure vocalitatis in

Capitulis possint immisceri; *26to:* An Monasteria ad tenorem Decretalis Benedicti XIV « Inter plures », etc. qua indulgitur solum antiquiora saltem pro octo Monachis sufficientia esse toleranda, contra expressam mentem Tridentini, pro octo tantum Monachis de novo erigi libere valeant; *27mo:* An monasteriola in Provincia Lithuana ad praescriptum mox allegatae Constitutionis « Inter plures », octo Monachis saltem non sufficientia post Decennium Provinciae Russiae concessum pariter tolli, et cum suis honoribus et Fundationibus alijsque rebus locum respicientibus clero saeculari cedere debeant; *28vo:* An summae pecuniariae onus perpetuum habentes valeant per Superiores Ordinis vel Provinciales ad beneplacitum eorundem absque consensu Apostolico vel saltem Capituli Generalis aut ratihabitione Metropolitani, manu accepi vel levari et in Bonis Monasteriorum assecurari, ac per ipsos postea in alios usus concedi; *29no:* (f. 222) An summae capitales vel proventus unius absque expressa declaratione Capituli ejusdem possint impendi in utilitatem alterius Monasterij vel aliud Religionis commodum; *30mo:* An summae pecuniariae vel alia pia legata Religioni vel Provinciae alicui ad dispositionem Ordinis vel Provinciarum Superiorum inscriptae, possint per eosdem Superiores in sua privata commoda ordinari; *31mo:* An Generalis et Provinciales praeter assignatam sibi pro sustinendis debite officijs in Capitulo certam ex Bonis Monasteriorum residentialium pensionem, in alijs Monasterijs diversa propter se et familiam suam commoda, ex ijsque continuas alimonias, et provisiones petere possint; *32do:* An iidem Officiales, parcendo proprijs sumptibus, e loco Residentiarum suarum et Consultationum solito ad id designato, easdem ad aliud Monasterium sibi benevisum, privata authoritate transferre, illudque expensis suis gravare valeant; *33tio:* Cuinam post defunctos Monachos derelicta vel loco in quo moriuntur vel alio ad arbitrium Superiorum cedere debeant, et an ijdem Superiores sibi usurpare permittantur; *34to:* An conveniat Ordinis et Provinciarum Superioribus ante Professionem novitios ad inscribendum liberae dispositioni suae bona se concernentia inducere, et postea tali pacto per eosdem novitios convertere; *35to:* An Metropolitano, tanquam Sedis Apostolicae Delegato, in casu jus competat cognoscendi, prout de jure, de legalitate Capituli Generalis vel Provincialis: *36to:* An etiam in casu eidem liberum sit praefata authoritate, obvenientibus plurimis de spolijs et damnis monasteriorum alijsque in Religione inconvenientijs, contra Provinciales et ipsum Generalem querelis (f. 222v) Visitationem necessariam per se vel alium Ritus proprij Episcopum Monasteriorum et Personarum, parcendo Partium sumptibus, instituere, ac in eadem secundum paescriptum juris et Ordinis eiusdem Constitutionum et Regularum, prout qualitas materiae postulaverit, debite reformare; *37mo:* An eidem Metropolitano vigore Tridentini competat jurisdictio cognoscendi, servatis servandis, tanquam in prima super jure Abbatiarum in simplicia Monasteria conversarum, firma semper manente constitutione « Super Familiam », quoad ultimam instantiam.

Non defuerunt praeterea alia rationum momenta supplicandi in praefata relatione status Capituli Eminentijs Vestris pro delegatione ad effectum in-

quirendi de damnis Monasteriorum et Personarum injurijs, restaurandi debitam observantiam regularem, restituendi disciplinam collapsam Monachalem et Novitiatum, reassumendi in Divinis Ritus debitos, praecipiendi ad praescriptum celebris Decretalis « Inter plures » etc. exactam observantiam in communi iejuniorum, propagandi vitium propietatis inter Religiosos, tollendi abusus super eleemosinis Missarum, intelligendi statum monasteriorum et clausurae, aliaque debite cognoscendi visitationis generalis, verum quia ex resolutione praelaudati Rev.mi D. Auditoris Nunciaturae superius insinuatae plene edoctus fui, hoc potius ad finem negotij principalis fuisse reservatum, ut hac de Causa nulla diligentia ad probandum praemissa, non expectata prius cognitione nullitate Actorum Capituli, minus necessaria apud me aliosque Interessatos censebatur, nec eo fine libellus articulatus specifice descriptorum damnorum Religionis in Tribunali hujus Nunciaturae offerebatur, praesertim vero in tali casu ubi nemo fuit qui palam non cognoscerit (f. 223) quod durante moderna functione eorundem praetensorum Officialium, etiamsi quis Testium probationes adhibere voluisset, media ipsis illicita defendendi sumptibus injuriosis Monasteriorum iniquitatem suam, prout factum fuisse praesumitur in causa cum Ill.mo ac Rev.mo olim Metropolitano Szeptycki (:qui uti ex Regestis ipsiusmet S. Congregationis Propagandae Fidei Catholicae deducitur coactus fuit de 17 Septembris et 16 Octobris anno 1743, quo P. Lisanski omnia in Religione disponens Protoconsultoris munus gerebat apud eandem Sacram Congregationem Commissionem super spoliatione pro lite Monasterij et Immaginis Zyrovicen. rebusque alijs per Procuratorem suum impetrare:), minus deficerent, non nullis vero timor ipsorum, alijs praemia et promotiones actuales, reliquis demum absque omni dubio spes ora clauderent. Non defuerunt et modo querelae de simili spoliatione pro praesentibus expensis Monasterij Zyrovicen. et Bytenen. quas statim Excellentissimo ac Rev.mo Domino Nuncio Apostolico referre non neglexi, verum an veritate aliqua nitantur? Muneris erit ejusdem Excell.mi D. Nuncij Sacram Congregationem informare, meum solum est addictis per documenta probationibus nonnullorum spoliorum, et studiose adhuc pro antiquiori Capitulo Generali Brestensi per P. Lisanski designatorum Vocalium, quae magis supremum Eminentiarum Vestrarum arbitrium possint movere, ad deponendum eundem P. Lisanski, et designandum ad singula Monasteria Visitationem Generalem alia quaeque ad eum finem majori ex parte cum debita observantia specifice et nominatim (f. 223v) exponere et quidem: *1mo:* Pater Lisanski non est nec fuit vir practicus ac providus in tractandis cum Laicis praecipue Magnatibus negotijs Religionis, et sub tempus adhuc primi Provincialiatus sui non bene compositas imo debiles et minus securas acceptavit Monasteriorum Tadulinen., Hlusznen., et Jablonowien. Fundationes, quod patebit ex revisione earundem Fundationum; *2do:* Per suas submissiones gravavit contra morem Patriae superflua obligatione in perpetuum Monasterium Kazimirovien. illudque pro summa capitali 2400 Florenorum Polonicalium ad intentionem Magnificae Halecka, Dapiferae Rzeczycen., obligavit ad absolvendum singulis septimanis duas Missas. Pro simili summa pariter oneravit

Monasterium Sirocinen. ad obligationem Magnifici Hrebnicki, Dapiferi Polocen, facto insuper promisso quod sub tempus earundem Missarum in Panno funebrali cereae quatuor candelae semper ardebunt; *3tio:* In monasterio Berezwecen. officio suo annexo solum sex et hoc non semper Religiosos alebat, reliquos vero proventus quamvis amplissimos, nullo prorsus praestito beneficio loco quem Antecessores ejus circa eadem officia Ecclesiae et Monasterio sat sumptuoso de lapide cocto ornarunt, in suos proprios usus convertebat; *4to:* Electus in Generalem, praeter Proventus opulentissimi in omni monasterij Torokanen., quod ad honestam cum omnibus Ordinis Consultoribus et Secretario localiter manentibus sustentationem sufficiebat antecedanei Generalis adhuc, a P. Karpinski, Provinciali Lithuano, sibi favorabili quotannis ex contributionibus Provinciae duo millia quadringentos Florenos Polonicales pro (f. 224) Mensa, ad quam solum unum Secreatrium penes se fovebat, percipiebat, nec eo contentus insuper ex alijs Monasterijs provisionem ipsis injuriosam quaerebat, et praecipue Monasterium Bytenense sibi propinquius frequentibus cum tota Curia et equitatu visitationibus ac diuturna residentia tum etiam molestis requisitionibus continuae subministrationis alimentorum et aliorum usui suo necessariorum vix non ad extremam redegit paupertatem, quo palam unius tantum Vicarij, reliquis omissis qui antea et post deputabantur, plene literae hic annexae enunciant; *5to:* Monasterium Buczacen. eo quod Fundationem eidem per Ill.mum Dominum Potocki, Capitaneum Kaniovien., satis sufficienter factam et subscriptam, suae adhuc ratihabitioni aut reformationi commissam, in vim alicujus meliorationis adhuc antiquiorem Fundationem in Bonis stabilibus, et maxime Monasterio propinquis et commodis consistentem, nescitur quali pacto, an inadvertenter an vero studio aliquo, ex eodem Privilegio eliminavit, et delevit, ac solum recentiorum Bonorum applicationem acceptando et pro ratihabitione talis erroneae suae reformationis ad Fundatorem instando summopere injuriavit; *6to:* A Monasteriis Pustynen., Mscislavien. facta sub tempus causae granitialis et dislimitationis Bonorum civilium a Monasterialibus cum Schismaticis civibus Mscislavien. secreta absque timore Dei conventione, ac intuitu ejusdem clam accepta ab ipsis decem millium Florenorum Poloniae summa, fundos dotales a prima Fundatione Monasterij a Ducibus Mscislavien. annexos et plus quam ad tria milliaria seu Leucas Italicas sese cum sylvis alijsque commodis et utilitatibus extendentes, conniventer (f. 224v) se cum istis civibus et judicibus sibi favorabilibus habens, alienavit, et Monasterium tam exigua portione Dotis, cum summa loci injuria, in perpetuum privavit, patebit ex Inquisitione; *7mo:* Contributionem ad Massam Provinciae concernentem ex Monasterio Abbatiali Onuphriensi in duplo accipiebat, et insuper praetextu administrationis ejusdem pro sua Persona summam notabilem repetebat seorsivam, quod patebit ex Regestris; *8vo:* Iudicia temeraria in Causis Religiosorum exercebat, cognitaque certo quodam tempore inter PP. Koncewicz Paslavien. et Klembowski Kassuten., Superiores, Causa ad Judicium suum delata ratione bovis, quem primus tanquam suum proprium de Kassutinen. ad Paslavien. Superioratum se transferens secum accipere volebat, alter vero

supponens eum localem esse, negavit in vim administrationis debitae utrique justitiae eundem bovem taxare et pretium ejus pro suo commodo ad manus Patris Karpinski, Secretarij, reponere mandavit; *9no:* Post obitum Magnifici olim Wereszczynski summam decem millium Religioni ad dispositionem Superiorum inscriptam commodo proprio applicavit, et suffragia pro anima defuncti per totam Provinciam ordinavit, extant ad utrumque Documenta quae mittuntur; *10mo:* Facta conventione cum Patre Nicodemo Karpinski, praeterito Provinciali Lithuano, magnam molestiam faciebant novitijs ad Professionem accedere volentibus, quibus eadem semper impediebant quousque totum quod haberent arbitrariae ipsorum dispositioni non inscriberent. Probabunt hoc Acta Magdeburgensia Zyrovicen., dummodo post fata moderni advocati studio (f. 225) ipsorum alicui non subjaceant casui, et tales inscriptiones per ipsos non eliminentur. Fuerunt denique tales qui absque ulla inscriptione manibus totum quod habebant ad nutum offerebant, prout et modo est quidam Makowski, ad aliquot decem millia Florenorum in parato aere habens, qui iam a duobus annis a Professione retruditur, quod mandatis ipsorum quatenus hanc pecuniam ad manus ipsorum traderet non vult obedire, testabuntur hoc omnes Religiosi ita decepti, ego vero possum secure affirmare quod tali damnosa Religioni deceptione Novitiorum plusquam ad centum millia Florenorum Poloniae perceperunt; *11mo:* Omnibus manitestum quod solus P. Nowosielski, modernus Archimandrita Kobrynen., antea fatebatur habuisse a dictis duobus Patribus, nempe Lisanski Protoarchimandrita et Karpinski Provinciali, talem facultatem, qua post assecutionem ejusdem Abbatiae ex Superioratu Witebscen. liceret sibi accipere, certe non ob aliam rationem quam quod continuam fovebat et hucusque fovet cum ipsis amicitiam, ex eodem Monasterio viginti milla Florenorum, quae re ipsa accepit; *12mo:* Immemores juramentorum circa assecutionem suorum officiorum emissorum, quibus bonum Religionis omni studio curare fuerunt obligati, in primis contra illos etiamsi meritis et virtutibus in Religione dignissimos, quos in Capitulis sciverunt sibi contrarios, vindictam sumendo ab officijs deponebant, deinde superioratus disponendo non illos qui locorum exigentijs utiles et proficui, verum qui ipsis amici et faventes essent, ad principaliora Monasteria promovebant, ex quali dispositione per promotionem vere filij prodigi P. Hilarionis Karpinski, moderni Ordinis Secretarij, ad Superioratum Vilnen. praestantiorem (f. 225v) et P. Josephi Spiradowicz pariter foederati ad Superioratum Dobrohorensem, quanta damna pertulerunt illa monasteria, status ipsorum praeteritus et modernus indicabit; *13tio:* Ex spolio Monasterioli Camenecen. Lithuani, quod postea nudum cessit clero saeculari, pro apparamentis Sacris et prophanis, tum agris, pratis, equis et jumentis diversae speciei loco applicatis, quae distendebantur, dispositione eorundem Pater Azgaylo cum alijs colligerunt plusquam decem millia Florenorum, et arbitrio suo relinquerunt, sed ratione horum ex parte Fiscalis mei causa est delata ad Tribunal Nunciaturae; *14to:* Ex Monasterijs insignioribus utpote Zyrovicen., Chelmen., Borunen., Mochorovien. et alijs, ubi ad Immagines B.mae Virginis Mariae gratijs divinis clarescentibus notabiles pro Missarum

Sacrificijs eleemosinae et offerentiae a fideli Populo occurrunt, ut nullatenus locales Religiosi easdem adimplere valeant, praedicti PP. Lisanski et Karpinski superfluas eleemosinas pro commodo suo accipiebant et onera Missarum centenarum et millenarum allijs monasterijs minoribus, quae vix non ex sola eleemosina sustinentur, imponebant, talique impositione eadem monasteria omni provisione privabant; *15to:* Maxima per eosdem passa est damna Religio ex dilapidatione, absque ullo fructu Religionis, notabilium summarum post defunctos monachos derelictarum: - *1mo:* Post Rev.mum olim Tomillowicz. Archiepiscopum Smolenscen., nulliter acceperunt in argentea moneta Tinfonum Polonicalium novem millia, in auro Hungaricales trecentos, crucem pectoralem cum torque valoris aureorum centum quinquaginta, annulum valoris aureorum sexaginta, pro disuenditis alijs mobilibus taleros cusos circiter ducentos; - *2do:* Post fata P. Mihuniewicz, Generalis (f. 226), circiter viginti millia florenorum; - *3tio:* Post PP. Poletylo et Koniaczewski, Protoarchimandritas Antecessores suos, P. Lisanski testimonio proborum percepit ad aliquot decem millia; - *4to:* Post P. Kudynowicz, Superiorem Jatwiscen. testimonio etiam extraneorum relictam ad quinquaginta millium summam; - *5to:* Post Patrem Wileyko, Abbatem Leszczynen. praeter alia insigniora mobilia in parato aere decem millia; - *6to:* Post P. Zyrawski, Protoarchimandritam, adminimum quindecem millia; - *7mo:* Post P. Trulewicz plus minus decem millia ; - *8vo:* Post P. Slubka circiter tria milla; - *9no:* Post P. Lubieniecki, Abbatem Minscensem, praeter aliam pecuniam quae est ignota, in auro octodecem millia; - *10mo:* Post. P. Dionisium Tarnovski, Officialem Albae Russiae, decem millia; - *11mo:* Post P. Nicanorem Ulinski, Auditorem defuncti D. Episcopi Vladimirien., ad sexdecem millia; - *12mo:* Post P. Ignatium Lebiedziejoski, Kamenecen. Superiorem, et Hippolitum Sienkiewicz, nec non Epiphanium Hryniewski aliosque permultos quorum vix memoria extat notabilem pariter pecuniam; - *13tio:* Apud P. Walentynowicz, Superiorem pro tunc Tadulinen. taleros centum; - *14to:* Apud P. Opacki, Missionarium, pro Fundatione in Confinijs Moschoviticis Missionis congregatos, et in Monasterio Manivilen. locatos, absente et inscio eodem, aureos Hungaricales trecentos; - *15to:* Apud P. Alexium Kondratowicz taleros centum; - *16to:* Apud deodicatam Virginem Pierzchalska, Superiorissam Mazalovien., mille Florenorum; - *17mo:* Post defunctum Superiorem Werchovien. plus quam sexdecem millia; - *18vo:* Apud P. Wileyko ex aere monasterij (f. 226v) Pustinen. Mscislavien. in spem assecutionis ipsius superioratus duo millia; - *19no:* Apud P. Jastkiewicz, protunc Superiorem Jatwiscen., de quo mittitur documentum P. Karpinski ex Collegio clam accepit quinque millia Florenorum Polonicalium. - *16to:* Pater Nicodemus Karpinski tempore Provincialiatus sui, continuo turpem quaestum exercendo, et nihil boni Religionis praeter lucra sua quaerendo, praetermissis alijs Religiosis qui in Actu Visitationis soli injurias suas exponent, per vim, absque ullo pretio, accepit apud Patrem Sieminski, Superiorem Pustinen. Mscislavien. hydromelis lapsas sex, Hungaricales decem, et de pellibus pretiosioribus aliquid. Apud PP. Procuratores Vitebscen. pardos selectos sex, et ursinas pelles aliquot.

Apud P. Szatalowicz, Superiorem Polocen., in parato aere florenos sexcentos et equum valoris quadringentorum octuaginta Florenorum; apud Patrem Sawicz Hungaricales quinque. - *17mo:* Sub tempus visitationis Monasteriorum pro quacunque rerum revisione et subscriptione una cum Secretario suo et amanuensi, atque aurigis, pedissequo et coquo suo pretium laboris accipiebat, et a memorato P. Siemiski eo praetextu extorsit taleros cusos quindecem. *18vo.* Multi referunt eundem P. Karpinski, stante Provincialatu suo, nemini non modo pro functione aliqua, verum etiam pro nuda in aliquo Monasterio quam sibi nonnulli Monachi propter quietem vel pacificum Superiorem affectare voluissent locationem, dedisse obedientiales, qui prius eum optime non appreciasset. - (f. 227) *19no:* Loquuntur pariter eundem spoliasse nullo justo praetextu mille Florenorum Polon. summa Monasteriolum miserrimum Mirense. - *20mo:* Idem Provincialiatu suo durante colligebant in tota Provincia a singulis Monachis certam constitutam offerentiam pro erigenda ad usum Provinciae Typographia, et ex quo solus Provincialis collector fuit talis quaestus, non defuerunt tales qui per quinque, octo, decem, et ultra Hungaricales obtulerunt, ut secure praesumi valeat exinde congregatam fuisse summam ad viginti millia Florenorum, ex qua solum coempta certa quadam minima quantitate paratarum nullius usus literarum, quatenus saltem colorem aliquem ostenderet, reliquum totum cum summa iniuria et elusione Monachorum penes se retinuit. - *21mo:* Pro Indulgentijs tribus, Ecclesiae Regulari Uszacen. a Sede Apostolica gratiose concessis, accepit ex eodem Monasterio pro pretio laboris et curae suae Florenos ducentos viginti octo. - *22do:* Per totum Provincialiatum suum tenebat Amanuensem laicum, qui pro Qietationibus de persoluta ad Massam communem ex quolibet Monasterio pensione, eo non tantum permittente, verum per suum Secretarium serio praecipiente, injuriose exigebat per aliquot Imperiales Cusos. - *23tio:* Sub tempus Visitationis Generalis P. Panowski, Secretario suo, permittebat mercaturam non modo earum rerum, quas post defunctos Monachos coemere potuit, verum etiam consulto turpis lucri gratia in varijs locis quaesitarum cum summa talibus mercibus defraudatione Monachorum exercere, et triplum (f. 227v) aut quadruplum et plus pretij justi earundem mercium exigere. *24to:* Praefatus P. Karpinski, adhuc officio Secretarii functus, a Patre Oleszkiewicz, Superiore Jatviscen. pro defensione, quin potius promotione in Judiciis Accessorialibus Regni acceperat notabilem ex eodem Monasterio summam, cum vero minime constet ut prosecutioni ejusdem Causae operam aliquam daret, et Superior praedictus statim hac luce migravit, certum est eundem Patrem Karpinski praedictam summam penes se ad hucusque retinuisse.

Quarendum pariter erit quo fecerunt Seminarium per Ill.mos Dominos Episcopos in Synodo Provinciali Kobrynen., anno 1626, erectum,[47] cuius modo solum ex ea Fundatione vix vestigium adest.

---

[47] Revera nunquam quaedam magna fundatio constituta fuit, et ipsum Seminarium post diversa fata temporibus belli polono-cosacici et dein polono-moscovitici perüt. Adhuc anno 1656 quaedam vestigia de illo habentur.

Sunt quidem plura alia quae suo loco et tempore facile detecta esse possunt, ast quia difficile sit ad ea devenire si diutius dominatus modernorum Ordinis et Provinciae Lithuaniae Officialium et praecipue Rev.mi P. Hypatij Bilinski, Proto-Archimandritae, Patris Hilarionis Karpinski, Ordinis Secretarij, et PP. Heraclij Lisanski, Provincialis, Nicodemi Karpinski, Protoconsultoris, Augustini Nowosielski, Ambrosij Onyszkiewicz, Consultorum, et Maximiliani Narolski, Secretarij, invicem sibi conjunctorum sustineantur, et Visitatio Apostolica ad singula Monasteria non decernantur. Proinde tam ex imposita mihi obligatione sanioris partis Vocalium, quam justa consideratione boni communis Sacratae Religionis coactus sum summa cum veneratione humillimis precibus Eminentijs Vestris supplicare, ut pro sua inconcussa aequitate et justitia, quam Christianus adorat orbis, cognita nullitate praeteriti Capituli omnium Actorum, contra authores mali ea quae sunt de jure (f. 228) decernere, factaque intimatione celebrandi de novo Capituli, pro eo et successivis alijs ante omnia pro sustinenda debita Praesidis authoritate quaeque pro Causae praesentis exigentia necessaria et opportuna statuere, et dubia ex ratione ejusdem praeteriti Capituli exorta modoque supra exposito benigne resolvere, demum pro cognoscendis damnis Monasteriorum et Personarum iniurijs, alijsque debite peragendis, quae aliter vix possunt dijudicari et reformari, Visitationem Apostolicam Ill.mo ac Rev.mo Domino Metropolitano Russiae, ut eam sive per se sive alium ejusdem Ritus Episcopum curis Dioecesis propriae minus impeditum cum facultatibus eo pertinentibus valent expedire, omnium monasteriorum internam et externam committere dignentur clementissime. Erit hoc opus Eminentiarum Vestrarum gloriosum iustitiaeque consentaneum, omnibus benesentientibus summopere acceptabile et pergratum, ita ut nemo illorum inveniatur, qui singulari devotione, prout par semper esse debeat, pro faustissimis Eminentiarum Vestrarum in Propaganda Fide Catholica successibus ac diuturna circa omnimodam suarum Eminentiarum incolumitate Supremum Caeleste Numen continuo non deprecarentur, cum quibus et meam particularem obligationem adiuncturus, in osculo Sacrae Purpurae quam profundissimo cultu permaneo

Eminentiarum Vestrarum Benefactorum singularissimorum humillimus et subpedituaneus servus ac exorator continuus

F. Wolodkowicz, Episcopus, Coadjutor (mpr).

Vladimiriae, die 14 Martij, 1762 Anno.

33.

5. IV. 1762.

Instantia Hierarchiae Unitae ut prohibeatur transitus e Ritu Rutheno ad Ritum Latinum.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Pol., Ruteni*, vol. 9, fol. 242-243v.

E.mi et R.mi Domini, Patroni Col.mi.

Inter praestantissima, quae Roxolana Ecclesia a renovata cum S. Romana

Sede Unione, ab hac S. rebus Propagandae Fidei praeposita Congregatione delata sibi gaudet Beneficia, illud maximum esse jure optimo recenset, quo inter continuas Schismaticorum persecutiones, atque diversas domesticas calamitates, tunc vel maxime sublevabatur, dum a nonnullis Polono-Latinis Ecclesiasticis, cupiditate Juris et Jurisdictionis suae abreptis, Ruthenosque Catholicos a Graeco ad Latinum Ritum traducentibus, ad interitum ferme deduceretur. Quibus iniquis conatibus hanc Sacram Congregationem omnibus viribus se opposuisse constanter, tunc etiam, dum Sigismundus III, Rex Poloniae specioso quidem ast undique insubsistenti praetextu ab hostibus Ruthenae Ecclesiae ad diversa studia et vota perduceretur, inter transmissa ad nos a Praedecessoribus nostris monumenta non absque ingenti animi voluptate a jucundissimo verae gratitudinis sensu legimus.[48] Jam eximia hujus Sacrae Congregationis in Nationem et Ecclesiam Ruthenam studia non modo Ruthenos in eorum erga Sedem Apostolicam devotione violataque nunquam submissione conservarunt, verum et zelum eorumdem addiderunt, curas denique et labores gravissimos adeo sustentarunt, ut per amplissimas Inferioris Russiae Regno Polonorum annexas Provincias certissimo fortunarum suarum et vitae sanguinisque in testimonium veritatis catholicae ubertim profusi discrimine Sacram Unionem propagarint, et Apostolicae Romanae Sedi, uti omnium Ecclesiarum Principi et Matri submiserint. Haec Ruthenorum in Catholicam Ecclesiam promerita hostes Ruthenae Ecclesiae intueri absque invidia valentes, non ea vel maxime de ratione, quod Episcoporum Ruthenorum iurisdictionem frequentiori indies Schismaticorum ad Sanctam Unionem accessione crescere et ampliari conspicerent, conquisitis undique indignis praetextitus, Ritum et Ceremonias S. Orientalis Ecclesiae infinitis opprobrijs persequi, inquisitos ab Episcopis Ruthenis et varijs facinoribus inculpatos protegere, atque etiam censuris inrretitos, dum modo Ritum Latinum sequantur, ad partecipationem Divinorum Sacrificiorum admittere, eruditiores Ruthenorum juvenes ad ordinem ecclesiasticum adspirantes spe pinguiorum in Ritu Latino beneficiorum ad Ritum et Clerum Latinum traducere, Schismaticorum taliterque ingentem Ruthenorum Catholicorum partem ad Ritum Latinum pertraxerunt, Episcopos Ruthenos magna jurisdictionis eorum portione cum summo (f. 242v) Schismaticorum scandalo et S. Unionis Rituumque Sacrae Orientalis Ecclesiae nedum dedecore, ast etiam periculo spoliarunt, nec adusque rem sine pietate coeptam promovere desistunt. Tanta injustitia et accerbitate pressi Rutheni Episcopi, iniquitates ejusmodi ad hanc Sacram Congregationem frequenter refere, cum lachrymis conqueri, opem eversae suae jurisdictioni, levamen oppressae iustitiae implorare nullo tempore destiterunt; et facile quaeque huic malo efficacissima remedia jam dudum ab Eminentijs Vestris obtinuissent, ni prudentia et auctoritate saeculi hostes Ruthenae Ecclesiae validius freti, aequissi-

---

[48] Nostra Collectio Documentorum Romanorum optimum perhibet huius sollicitudinis testimonium; ex. gr. in septem voluminibus *Litterarum S. de Prop. Fide*, et quinque voluminibus *Actorum S.C. de Prop. Fide*, editis inter annum 1953-1957.

mum Regis nostri Serenissimi animum praeoccupassent, et in diversa a nobis coram Sede Apostolica exposita vota pertraxissent, eodem actu et supremam auctoritatem libertatemque Ecclesiae simulque superstites in Ruthena Catholica Hierarchia S. Orientalis Ecclesiae reliquias evertere, et opprimere nimium satagentes. Verum nec in hac extrema nostra calamitate defuerunt nobis prompta ab hac Sacra Congregatione auxilia. Interposita scilicet per Excellentissimum et R.mum Dominum hocce in Regno praesentem Summi Pastoris Nuntium auctoritas, ejusdemque amplissimi, aeterna Ruthenorum gratitudine ac memoria recolendi, Antistitis et Sedis Apostolicae Ministri impensa cura, et solicitudo; qua potissime factum est, ut Serenissimus Rex, auditis praecibus nostris, facile intellixerit, hanc super transitu Ruthenorum ad Ritum Latinum controversiam plenissime ad examen et arbitrium Ecclesiae pertinere, eamque iustissimo proinde S. Apostolicae Sedis judicio relinquere integram non dubitavit in suis Regijs litteris, quas S.mo D.no Nostro Clementissimo per Procuratorem et Delegatum Herarchiae nostrae R.m Andreaem Jakubinski, Curiae Episcopalis Premysliensis Auditorem transmittimus, humillime Eminentias Vestras obsecrantes, quatenus praestita eidem nostro Procuratori aure benigna, reassumptisque nostris antiquioribus expositionibus, illam diu imploratam expectatamque opem labentibus Ecclesiae nostrae rebus tandem afferre, et arbirarium hujusmodi Transitum veluti perniciosum, scandalosum resque nostras a summo ad imum perpetuo miscentem firmius solemniusque prohibere dignentur. Hoc autem perpetuo omnium rixarum calamitatumque fonte celerius sublato, pacatiori utique animo feliciorique successu accingemus nos, quotquot sumus, sine ulla retardatione ad sinodaliter emendanda ea universa, quae in Ecclesia nostra nomen abusuum (f. 245) jure meritoque obtinere dignoscuntur, quaeque clerum saecularem in crasiori rerum Divinarum ignorantia ad usque detinent, uberioremque Schismaticorum conversionem retardant. Deus optimus maximus eximia Eminentiarum Vestrarum prosperet consilia, nosque tandem efficiat dignos, ut sanguine ipso confirmemus zelum, devotionem, et cultum, quibus in eaternum sumus

Eminentiarum Vestrarum humillimi Servitores et continui Exoratores Florianus Hrebnicki, Metrop. totius Russiae, Archiep. Pol. (manu propria).
Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Coad. (mp).
Sylvester L. Rudnicki, Episcopus Luceorien. (mp).
Onuphrius Szumlanski, Episcopus Premyslien. (mp).
Leo Szeptycki, Episcopus Leop., Halic., Camen. (mp).
Maximilianus Ryllo, Episcopus Chelmensis, Bel. (mp).
Jason Smogorzewski, Episcopus Vitebscen., Coad. Polocen. (mp).
Samuel Janowski, Od. S. B. M. Abbas. (mp)
Cyprianus Bulhak, O. S. B. M. Abbas Leszcz. (mp).
Gedeon Beyner, Abbas Zydyczyn. Ord. S. B. M. etc. (mp).
Athanasius Szeptycki, O. S. B. M. Kaniovien. (mp).
Germanus Jackowski, O. S. B. M. Mon.....
Ignatius Ulinski, O. S. B. M. Abbas.....

Antoninus Mlodovski, O. D. B. M. Abbas.....
Augustinus Nowosielski, O. S. B. M., Abbas Kobrynen. (mp).
Similes, sub die 15 Decembris 1762, subscriptae ut sequitur.
5 Aprilis 1762.

34.

Radomysl, 24. VI. 1762.

Quaedam querela de modo agendi Basilianorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 107, fol. 99v.

Copia literarum Ill.mi et Rev.mi Domini Wolodkowicz, Coadiutoris et Proto-Thronii Metropoliae ad Protoarchimandritam, 24 Junii 1762 anno datarum, z Radomysla.

Post titulum. Juz dawno kommunikowałem WMP zdania mego dla czego upraszałem abys Ichmosciow na Kapitule Brzyskiej wysadzonych niechcial byl inutiliter trudzic do Dermania, teraz zas gdy ex invitatoriis ktore przy liscie odebrałem, dochodze ze WMP tych IMosciow XX. Superiorow Buczackiego i drugiego specifikowałes, ktorzy teraz tamesznemi Przelozonemi nie sa. Przepraszam WMP ze sie na interesie moge wiedziec na ktorym sie I. X. Lisanskim mocno mocno zawiedzialem, to z przyczyny teraznieyszych okolicznosci wyraziwszy iestem z nalezytym szacunkiem. Perillustris Rev.mae Paternitatis Vestrae addictissimus frater et servus

F. Wolodkowicz etc.

De verbo ad verbum cum suo originali concordare testor. H. Bilinski OSBM Protoarchimandrita, m.p.

35.

Dubno, 3. VIII. 1762.

Certiorat de obitu sui Praedecessoris et petit retentionem Eparchiae Volodimiriensis.

ASV, *Arch. Congr. Consist.: Acta ...*, vol. an. 1762, (n.n.).

Beatissime Pater. Domine Clementissime.

Placuit supremo vitae humanae Moderatori dignissimum Antecessorem meum (cuius anima in Benedictionibus Divinis), utpote Ill.mum ac Rev.mum D. Florianum Hrebnicki Archiepiscopum Metropolitanum totius Russiae, sub die 18-a mensis proxime elapsi julii de hac luce ad aeterna praemia transferre. Post cuius dolendum obitum cum mediante ad id Apostolicae Sedis gratia successio Metropolitanae Ecclesiae Ruthenae ad me est, quamvis immeritum, devoluta, imprimis hac de causa Sanctitati Vestrae, tamquam Supremo Pastori, cum summo meo cordolio, denuntio eadem pie functi Antecessoris me fata et ut ipse salubrius commisso mihi Dominico Gregi prodesse et subvenir valeam, advolutus pedibus Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi Apostolicam, quae est basis et fundamentum totius prosperitatis imploro Benedictionem.

Insuper vero humillimas expono preces, ut cum in Bulla translationis meae, ante aliquot annos sub felicissimo Sanctitatis Vestrae Pontificatu, de Chelmen. ad Vlodimiriensem et Brestensem Ecclesiam, invicem sibi unitas factae, praeceptum habeam quatenus facto successioni Coadiutoriae Metropolitanae loco, qui modo est, retentionem eiusdem Episcopatus Vlodimirien. iterum petam. Sanctitas Sua, Dominus meus Clementissimus, de opportuna huiusmodi Apostolica Retentionis gratia, quam semper Praedecessores mei horum Episcopatuum cum Sede Archiepiscopali concessam habuerant, benigne providere dignetur. Pro quali gratia Deum ter Optimum Maximum continuo exoraturus, ut Sanctitatem Vestram ad utilitatem Ecclesiae et incrementum fidei catholicae, circa omnem incolumitatem aliasque Benedictiones suas Divinas, quam diutissime conservet. In maius autem devotionis debitae argumentum Beatissimos Pedes exosculans, quam profundissima adoratione signor.

Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi,

Scabellum pedum et subpeditaneus servus ac exorator

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus. (mp.)

Dubnae, die 3-a Aug. 1762 anno.

36.

Dubno, 5. VIII. 1762.

Certiorat de obitu Floriani Hrebnyckyj, Metropolitae Kioviensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 94.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Venit tempus quo mediante Apostolicae Sedis gratia successio Metropolitanae Ruthenae Ecclesiae ad me est devoluta, dum Illustrissimus, Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Florianus Hrebnicki, immediatus illius vigilantissimus Pastor et Sponsus (cujus anima sit in Benedictionibus Divinis) solutis hujus terreni domicilii illecebris, sub die 18 modo elapsi, cum omni Christiana dispositione ultimum vitae clausit diem; Qua de causa, pro munere quo modo funger, cum summo cordolio denuntio Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae eundem nunquam deplorandum dignissimi Antecessoris mei obitum, et ut ipse prosperius concredito mihi Dominico gregi praeesse et subvenire valeam, Apostolicam de manu Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae expeto Benedictionem simulque in pectore signum, quod sim distinctissima veneratione

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae obseguentissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp.)

37.

Dubno, 5. VIII. 1762.

Certiorat de obitu Metropolitae Kioviensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 9, f. 108 rv.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, Domini, Patroni et Benefactores Singularissimi.

Venit tempus et modo est quo mediante Apostolicae Sdis gratia successio Metropolitanae Ruthenae Ecclesiae ad me, quamvis immeritum, est devoluta, dum Excellentissimus ac Reverendissimus olim Florianus Hrebnicki ultimus illius Vigilantissimus Pastor et Sponsus (:cujus anima sit in Benedicionibuts Divinis): sub die 18 mensis proxime elapsi Iulij de hac luce in Domino migravit. Qua de causa, pro munere quo modo fungor, denuntio cum summo cordolio eundem pie defuncti Antecessoris mei Eminentijs Vestris obitum, et quatenus ipse, auxiliante Deo, salubrius comisso mihi Dominico Gregi prodesse et subvenire valeam, supremam Eminentiarum Vestrarum cum summa veneratione imploro protectionem. Insuper vero Eminentijs Vestris humillimas expono preces, ut cum in Bulla Translationis meae,[49] ante aliquot annos, mediante ad id altissimo Eminentiarum Vestrarum Consilio et assensu de Chelmensi ad Vladimiriensem Ecclesiam factae injunctum habeam, quatenus facto Successionis Coadjutoriae Metropolitanae loco, qui modo (f. 108v) est, retentionem ejusdem Episcopatus Vladimiriensis iterum petam, benigne dignentur pro oportuna hujusmodi Retentionis gratia sententiam suam Sanctissimo Domino nostro aperire, meque ipsum Apostolicis Sanctitatis Suae Benedictionibus commendare, quibus suffragantibus prosperius possim labores Vineae Christi sustinere, Jugumque Episcopis suave et onus leve portare. Insuper vero eundem continuo exorare ut Eminentias Vestras ad propagandam magis Fidem Catholicam circa omnem incolumitatem et fortunatissimos successus quam diutissime conservet, qua obligatione sentiens me semper esse obaeratum in cujus deditionis testimonium profiteor quod sim profundissimo cultu.

Eminent.rum Vestrarum Dominat.um, Patr. Col.morum

Die 5 Aug. 1762, Dubnae.

38.

Volodimiria, 15. IX. 1762.

Nuntio Apostolico Varsaviensi de conservando iure Metropolitae in rebus monasticis Basilianorum nec non de instantiis Palatini Kioviensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 95.

---

[49] Bulla translationis non invenitur in nostra collectione *Documenta Pontificum Romanorum*, sed tantummodo Bulla Coadiutoriae de anno 1755, die 14 ianuarii; cfr. *ibid.*, vol. II, pag. 151, nr. 740.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Duplex ocurrit occasio recurrendi praesentibus ad Illustrissimam ac Reverendissima Excellentiam Vestram; prima videtur oriri et justa ex proxime imminenti electione Vicariorum Provincialium Congregationis Ruthenorum, altera vero est ex praesumpta apud me, de qua etiam publicus spargitur rumor, delegatione Rev.mi Domini Ryllo, Episcopi Chelmensis, pro revisione ad instantiam Illustrissimi Domini Potocki, Palatini Kijoviensis, fundationum aliisque quibusvis in Bonis Humanensibus Archidioecesis meae peragendis.[50]

In primo itaque negotio pro conservatione juris mei cogor cum omnimoda observantia Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae suplicare, ut cum de hujusmodi electionibus tam per Apostolicas quam Ordinis Constitutionis nihil praecautum sit ad quem post abdicationem per Provinciales suorum officiorum spectare debeant, benigne dignetur anteriorem manutenere praxim, quae absque omni quaestione probatur esse non alia nisi quod abdicato tali munere per Religiosissimum olim Patricium Zyrawski, Provincialem Protectionis Beatae Virginis Mariae, meus Praedecessor Illustrissimus olim Athanasius Szeptycki, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae,[51] in locum ejus deputaverat ad futurum Capitulum Reverendissimum olim Innocentium Lipnicki, Abbatem Owrucensem, in tali enim casu, ubi lex non est (f. 95v) scripta, recurrendum est ad consuetudinem loci, prout de jure. Jam vero in altera pariter Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram humillime exero, ut si quid habeat praelaudatus Illustrissimus Dominus Palatinus contra meam resolutionem, de 10 Aprilis anno proxime elapso 1761 datam, agat contra Fiscalem meum non clandestine, sed ordinaria juris via et Comissarii non exceptibiles ad nominationem partium deputentur; tali enim pacto aequitati et justitiae debite providebitur, et mihi nova accedet ocasio continuo profitendi quod sim distinctissima veneratione.

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae addictissimus et humillimus servus

FELICIANUS, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp.)

Vladimiriae, die 15 Septembris 1762.

39.

Varsavia, 1. XI. 1762.

Assumptio Leonis Szeptyckyj in Coadiutorem Metropoliae Kioviensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 21-22.

---

[50] Agitur de famosa quaestione erectionis 100 paroeciarum in fundis Palatini Kioviensis — Potocki, quae commissa dein fuit Episcopo Chelmensi Maximiliano Ryllo, ob renitentiam Metropolitae, cui fundationes non videbantur sufficientes. Cfr. de hac re *Indicem nominum et rerum*, nec non alia volumina nostrae Collectionis Documentorum Romanorum.

[51] Athanasius Szeptyckyj, Metropolita Kioviensis (1729-1746).

Anno Domini Millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, die Veneris, vigesima tertia mensis Februarii. Radomysliae.

Coram Officio et Actis praesentibus etc. Personaliter constitutus V. Officii Instigator de mandato Illustrissimi Domini Feliciani Philippi Wolodkiewicz, Archi-Episcopi Metropolitani totius Russiae, etc. Pastoris, inscriptionem Coadiutoriae Illustrissimo Domino Leoni Szeptycki, Episcopo Leopoliensi, coram Actis S.ae Nunciaturae factam obtulit et perpetua rei memoria ad ingrossandum porrexit, de tenore sequenti:

Anno Domini 1762, die 1 mensis Novembris. Varsaviae. - In mei Notarii et Cancellarii Actorum Tribunalis S.ae Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae etc. Testiumque infrascriptorum, ad id specialiter rogatorum, et adhibitorum, praesentia personaliter constitutus Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Felicianus Philippus Wolodkowicz, Archi-Episcopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Vladimiriensis etc. Episcopus, sanus mente et corpore per Dei gratiam existens, non compulsus, non coactus, neque aliqua importuna suasione circumventus, sed rem praesenten matura animi sui deliberatione praehabita existimans, palam, sponte, libere, benevole, ac per expressum, de certa sua scientia, et animi sententia, omnibus melioribus quibus de jure, forma, stylo, via et praxi, firmius, validius et efficacius potuit ac debuit potestque ac debet modis, recognovit et animi sui declarationem ullo unquam tempore mutabilem fecit, et aperuit, in hunc modum: Quia is idem Ill.mus Comparens sentiens se gravitate annorum 66 circiter et etiam continuis in munere Pastorali circa Ovile et gregem sibi commissam, tum alias in Dioecesibus Chelmen et Belsen., quarum antea Gubernium gerebat per annos 24 circiter, quam etiam Vladimiriensi ab annis circiter 7 laboribus fessum assiduisque itineribus, visitando easdem Dioeceses satis amplas, dissitas et praesertim in majori parte Archidioecesis Kijoviensis ad confinia Moschoviae, Valachiae, et Cosatica satis diffusae dissitam, post tot discrimina viarum consistentem ex vi muneris Officii Coadjutorialis Metropolitani totius Russiae per annos sex circiter sibi incumbentis ac etiam ad praesens in plena possessione praefati Archiepiscopatus Kijoviensis existendo, tum etiam accedendo ad varia Suprema Tribunalia saecularia Regni pro vindicandis juribus, tam Ecclesiarum, quam etiam Bonorum Mensae Archiepiscopalis non sine gravi detrimento salutis fatigatum ac propterea munia, officia et onera nedum ex vi Pastoralis obligationis ac vigilantis curae intuitu memorati Archiepiscopatus in majore parte schismate infecti, verum etiam ex munere et obligatione Primatiae in Hierarchia Roxolana incumbentia, tum quoque incommoda et varias quas aetas ipsa afferre solet corporis infirmitates, tam in spiritualibus quam temporalibus commode et prompte, ut enixe exoptat, supportare et obire non valens, tum quoque ne ovile suum ad quod oves alias aberrantes gratia Divina favente non sine notabili studio, labore, cura et sollicitudine suis ad id prsecipue intentis et etiam per (f. 21v) selectos prudentes custodes reductae sunt, subinde morte Suae Excellentiae Comparentis dispergat et discesset ovesque per invadentes rapaces lupos et bestias devorantes devorentur, quinimo ut copiosiori

in numero Caula D.nici Gregis repleatur quo praecipuo animi desiderio adnitens, et flagrans. Proinde his omnibus matura animi deliberatione pensatis, considerans Illustrissimi Leonis Szeptycki Episcopi Leopolien. etc. Ritus Rutheni uniti a pluribus annis personam sibi optime notam praecipuis animi, virtutumque dotibus, probitate ac meritorum in Ecclesia Dei et Hierarchia Ruthena, quam etiam in hac Republica Polona notam claritate sanguinis cum primis in hoc Regno conspicuis Familiis eminentem, ac singulari favore Magnatum suprafatorum et Ministrorum Regni honore, tam scientiis insignem et magna rerum in sacris muniis et officiis publicis praesertim Hierarchiae Roxolanae experientia, utpote a multis annis in ante ad latus meritissimi Praesulis Athanasii Szeptycki, Archiepiscopi Metropolitani totius Russiae,[52] Avunculi sui, commorando imbutam et apprime versatam, non minus quam pietate praeditam, ac conspicuam in augendo Cultu Divino, propaganda Religione Catholica, praecipue Sancta Unione zelosam, in manutenendis et conservandis juribus et immunitatibus ecclesiasticis indefessam, in Religione, Regimine et Gubernio Dioecesis suae Leopoliensis, cujus hactenus possessor existit et Pastor, sollicitam et eidem cum singulari exemplo et aedificatione Populi, universali omnium plausu, etiam schismaticorum, insistentem, decorem Domus Dei, propagationem Fidei Catholicae in illis partibus ut plurimum populo haeresi infecto omni conatu promoventem et signanter sponsae suae Ecclesiae Cathedralis Leopoliensis summe curantem, communi voce Populi illius Dioecesis id attestante, omnibus demum his qualitatibus, et virtutibus, quae ad vigilantissimos et zelosos Pastores spectare dignoscuntur exornatam, ac indubiam spem sua Excellentia habens praelaudatum Illustrissimum Episcopum Leopoliensem etc. in sollicitudine et munere Pastorali, in negotiis Hierarchiae Roxolanae Ecclesiaeque Catholicae ac S. Unioni tum Archidiaecesi Kijoviensi singulari ornamento et decore, sibi vero adjumento ac in propaganda S. Unione et Religione Catholica proficium jure futurum, memoratum Illustrissimum Episcopum Leopoliensem Ritus Rutheni Uniti, accedente praevio Suae Regiae Majestatis etiam per interposita Excellentissimi Domini Antonii Eugenii Vicecomitis, Nuncii Apostolici in Regno Poloniae, emeritissimi Roxolanae Hierarchiae fautoris praestantissimi et Protectoris fortissimi apud Sacram Regiam Majestatem officia consensu obtento, ac sub beneplacito solito S. Sedis Apostolicae et non alias, aliter nec alio modo, in suum verum, legitimum, et indubitatum perpetuum Archiepiscopatus Kijoviensis et cujus hactenus Sua Excellentia verus et actualis Possessor extitit et existit Coadjutorem cum certa, immutabili, irrevocabili, actuali, et effectiva, dummodo eundem Archiepiscopatum Kijoviensem per cessum vel decessum Suae Excellentiae aut alias quomodolibet vacare contingeret, ipsiusque omnium et singulorum tam in spiritualibus quam et temporalibus jurium, attinentiarum, annexorum et connexorum perpetua, omnimoda futura succes-

---

[52] Annis 1729-1746, quando fuit Metropolita Kioviensis; de ipso Leone Szeptyckyj cfr. *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. VII, Romae, ubi habentur brevis biographia et epistolae Romae asservatae.

sione fecit, elegit, assumpsit, adoptavit, constituit, et sollemniter ordinavit, praesentibusque facit, eligit, adoptat, constituit, solemniter ordinat, permittens is idem Excellentissimus comparens et concedens eidem Ill.mo Episcopo Leopoliensi Coadjutori suo ea omnia quae de jure et praescripto SS. Canonum, Constitutionum et Ordinationum Apostolicarum atque Sanctae Matris Ecclesiae tum consuetudine, usu et praxi ad Excellentissimum (f. 22) comparentem spectant et pertinentent faciendi, gerendi, exercendi, et exequendi, ac ipsum Excellentissimum tam in spiritualibus quam temporalibus rebus adjuvandi et ea omnia ac universa peragendi quae muneris et sollicitudinis archiepiscopalis esse dignoscuntur, plenam et liberam, absolutamque potestatem, promittens praeterea ac se praesent. obligans Coadjutoriam hujusmodi nullo unquam tenore, nulla ex causa, nullo colore et quaesito praetextu, ingenio, per se vel per alias quasvis submissas et subordinatas Personas, directe vel indirecte tacite vel expresse excogitatis vel excogitandis modis labefacturum nec ei aliquomodo contradicturum vel contraventurum, quinimo firmiter et inviolabiliter omnia et singula praemissa observaturum, omnibus et singulis iuris et facti exceptionibus, fraudibus, et dolo renunciando. Quam quidem suam recognitionem, electionem, assumptionemque Coadjutoris ad omnem meliorem finem et juris effectum atque majorem fidem, robur et valorem idem Excellentissimus Comparens in praesentia Excellentissimi et Reverendissimi Domini Nuncii Apostolici in ejus Camera solitae audientiae his in Actis manu propria subscripsit ut sequitur, videlicet:

Felicianus Philippus Wolodkowicz, Archi-Episcopus Metropolita totius Russiae.

Praesentibus Perillustri Rev.mo Domino Paulo Aloisio Silva, Auditore Generali et Judice Sacrae Nunciaturae Apostolicae in Regno Poloniae etc. ac Perillustri etiam Andrea Zawadowski, Officiali Generali Halicensi, et Petro Strzelecki Clerico, atque Domino Michaele Stopczanski, Curiae Metropolitanae totius Russiae Notario, testibus ad praemissa vocatis, habitis atque rogatis.

Ex Protocolo Actorum S.ae Nunciaturae Ap.licae extractum et sigillo etc.

Ex Actis Consistorialibus Generalibus Metropolitanis Kijoviensibus extractum, et sigillo Illustrissimi, Excellentissimi Domini Feliciani Philippi Wolodkowicz, Archi-Episcopi Metropolitae Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Prototronii Episcopi Vladimiriensis et Brestensis, Abbatis Kijovo-Peczarensis communitum.

THOMAS TURCZYNOWICZ SUSZYCKI Consist. Gen. Metropolit. Kijoviensis Actuarius, mp.

40.

..., *12. XI. 1762.*

Respondit ad Breve hortatorium Clementis PP. XIII, enumerando opera a se in bonum Ecclesiae peracta.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 91.

Beatissime Pater, Domine Domine Clementissime.

Veniens elapsis diebus Varsaviam, Paternam Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi admonitionem, ac in ea singularem erga salutem animae meae mihique crediturum sollicitudinem, cum ea, quae deceat humilitate, et devotione reverenter recepi.[53] Sed fateri satis non possum, quanta submissione, animique propensione, ac mei ipsius justificatione debeam respondere; ex una parte deficiunt convenientia verba, quibus palam testari valeam, quanto conatu cordisque jubilo et affectu salutaria Sanctitatis Vestrae monita, et in his plenam benedictionem Divinam admitto et amplector. Ex altera vero lacrymas retinere haud possum, quas justus requiret a me dolor, mature consideratis iis, quae contra Personam meam ad Sanctam Sedem delata sunt. Agnosco infirmitatem meam prout homo sum nec me Episcopum dignum coram Populo existimo, nisi ad id Divina ope, auxilio adjunctus sim; nihilominus ut de aliis, adpraesens, tanquam non de tempore pro justificatione mea, nil faciam; statuo solum in cospectu Sanctitatis Vestrae meam jam septuagenariam aetatem, et pro ea, ad quod sit apta? justissimum Sanctitatis Vestrae judicium quaero. Reassumo denique tot efformatos de progressibus meis et requisitis aliis, circa triplicem promotionem meam ad aliquot in Ecclesia gradus, Processus, quibus, debite probatus sum. In reliquo, absit iactantia verbis, nec nimis ambio coram Sanctitate Vestra, nisi in Cruce Domini, quam patienter de manu Altissimi portare volo, gloriari. Fundavi prius Chelmae, omnibus oculis (f. 91v) expositam, non modico sumptu, quamvis circa tenuissimos proventus de latere cocto Cathedralem, eandemque, tanquam Sponsam meam praedilectam, ab intra ornavi, ac ad eam Coronationem Thaumaturgae Deiparae semper Virginis propriis impensis procuravi. Fundavi pariter ibi, muro solido, satis amplam et elegantem Residentiam Episcopalem, Campanile, Hospitale, et alia pro ornamento Domus Dei pertinentia, ac seorsive Parochialem S. Nicolai de latere cocto erexi. Assecuta translatione Vladimiriensem Ecclesiam, statim antiquiorem Brestensem Cathedralem, quae indies ruinam minabatur, demoliri curavi, et in locum ejus ex fundamentis una cum Palatio Episcopali et mansionibus Vicariorum elegantioris ecclesiae fabricam, de muro solido, inchoatam, jam a tribus annis, pro viribus meis, promomeri curo. Insuper ut de Ecclesia ipsa, nil hic dicam arcem Episcopalem penes Cathedralem Vladimiriensem, jam a saeculo circiter derelictam, et abjectam ex ruderibus reparare cepi. Bona Mensae ejusdem depopulata et maxime per Tenutarios deteriorata ad meliorem statum, non absque notabili sumptu reduxi. Sed uno verbo dicam, quae etiam scrutari liceat, quod quae tot ante me quamvis sanctissimi et zelosissimi Praedecessores non (f. 92v) perfecerunt, ego unus indignissimus, Divina ope solum adjutus, adimplere studui. Archidioecesim Kijoviensem, stante adhuc Coadjutoria, recepi quasi desertam Arabiam, omni Immunitate Ecclesiastica, idoneisque ad curam animarum subjectis destitutam, et adhuc partitam tanquam in confiniis

[53] Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 172, nr. 753, sub dat. 21. IV. 176?.

Moschorum, et Valachorum Schismate infectam, atque pravis moribus imbutam, modo eam post aliquot annos saepius in ea gravioribus hisce adductus censis, quam in propria Dioecesi non ita periculis exposita, residendo et continuo reformationi omnium incumbendo hortum fere deliciarum effeci. Omitto reliqua, pro quibus vix non ab omnibus potentioribus lapidor, quae in vindicationem Mensae ejusdem Bonorum ereptorum aliorumque reparationem impendo. Si quis in Dioecesi Chelmensi de me ipso et moderno Domino Episcopo Succedaneo meo quaerere distinctim voluerit, nescio quem me ipsumque pro veritate dicerent. Sed ne in iis ulterius muneri et vocationi meae deesse possim, opusque Dei, prout delatores referunt, et praetendunt, aliquomodo negligere vel quibusdam adversis opinionibus, quas amplius Deus avertat illaqueari, pro sincera et exacta obervantia Paternae Sanctitatis Vestrae admonitionis, cuperem ex animo Coadjutores idoneos utriusque Sedis, tam Metropolitanae Kijoviensis quam Ordinariae Vladimiriensis (f. 92v) assumere. Quod ut facilius valeam adimplere Apostolicam Sanctitatis Vestrae una cum retentione eiusdem Episcopatus imploro Benedictionem. Nihilominus (f. 92v) timeo, ex praefata mea circumscriptione aliquam notam et ignonimiam posteris meis et Ecclesiae Ruthenae, quod me maxime premit, in Actis Apostolicis derelinquam, advolutus Beatissimis Sanctitatis Vestrae Pedibus humullimis praecibus exoro, ut ad reprobandas contrarias de me praesumptiones benigne dignetur mihi dare et concedere facultatem ac Delatores ipsos exprimere. Quod superest, commendo me et universam cum suis juribus Ruthenam Ecclesiam supremae Sanctitatis Vestrae protectioni, ac ut Deus ter Optimus Maximus Sanctitatem Vestram circa omnem prosperitatem, faustissimo totius Orbis Christiani Regimini quam diutissime conservet, continuo exoraturus, prout per semper in ea devotione circa profundissimam adorationem permaneo Sanctitatis Vestrae ...

Copia della risposta data dal Mons. Wollodkiewicz al Breve Ortatorio di Nostro Signore, 1762.

41.

Dubno, 26. I. 1763.

Nuntio Varsaviensi, ut se iustificet et defendat contra accusationes.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 329.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.

Iam ante accepta notitia acsi Ill.mus ac Rev.mus D. Episcopus Chelmensits[54] ritus mei pro expediendis quibusdam in bonis Humanensibus scrutiniis ad affectationem Ill.mi D. Palatini Kiovien. fuisset deputatus, conquestus sum coram Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra, ut si quid habeat contra me

---

[54] Maximilianus Ryllo, Episcopus Chelmensis (1759-1785) et dein Peremysilensis (1785-1793). Agitur de famosa erectione paroeciarum Humanensium in Ucraina, in bonis Dominorum Potockyj.

vel Clerum meum praedictus Ill.mus D. Palatinus, agat non clandestine, sed ordinaria iuris via, qua iuribus uniuscuiusque debite consultum esse possit. Ita et modo de eadem deputatione ex transmissis inde testimonialibus melius edoctus existens, cogor Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae supplicare ut me ab eodem Delegato, contra quem habeo legitimas exceptiones, liberare ac super articulis iis, qui examinandi erunt, certiorem reddere dignetur. Quam gratiam uti certo obtinere spero, ita profiteor quod sim inexplebili voto et cultu Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae obsequentissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp)

Dubnae, die 26 Januarii 1763.

42.

Radomyslia, 19. III. 1763.

Petit ut audiatur in negotio fundationis Archimandriae Buczacensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 110, f. 49 (n. a..)

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.

Praeventionem provisionalem Ill.ae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae de non instituendo novae fundationis in Monasterio Buczaczen. Abbate reverenter recepi, sed nihilominus inspecta gravitate Personae Fundatoris, scilicet Ill.mi Domini Capitanei Kanioviensis,[55] qui in suis rectefactis est tenacissimus, nec quasdam oppositiones contra suam piam intentionem potest tolerare, maxime tamen ne per hanc reluctantiam quorundam Provinciae Lithuaniae Consultorum tota fundatio Monasterii per ipsum facta alicuii subsit casui, insuper vero cum acceptatio eiusdem fundationis non modo pendeat a beneplacito eorundem Consultorum, verum etiam Ordinarii loci et mei ipsius, humillime Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae supplicandum existimavi, ut ipse de rationibus per ipsos Sacrae Congregationi expeditis, quibus praedicta fundatio impediri videtur, certiorem redderer, postea vero, antequam sententia Sacrae Congregationis eveniat, rationes nostras benigne audire non gravetur, de me autem semper sentire quod omnimoda cum observantia maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae obsequentissimus servus humillimus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp)

Die 19 martii 1763. Radomysliae.

43.

Radomyslia, 25 . III. 1763.

Transmittit auguria Paschalia et commendat causam Humanensem in Ucraina.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, f. 332.

---

[55] Nicolaus Potocki, s. d. « starosta » Kanioviensis, benefactor Basilianorum Buczaczensium et Poczajoviensium.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.[56]

Quo semper erga Ill.mam ac Rev.mam Excellentiam Vestram pro sincera mea devotione feror respectu et veneratione eandem singularius cum intimis praecordiis in annua Dominicae Resurrectionis festivitate referre cogor, continuo apprecans ut Rex Saeculorum Immortalis adiiciat Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae dies supra dies ad longaevam vitae beatitudinem successusque novos successibus addat cum plena et omnimoda benedictione sua divina.

In causa Humanem. et Brailovien. cum Ill.mo Domino Palatino Kijoviensi, post diuturnam expectationem desideratae ad aliquas iam epistolas meas ab Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra resolutionis ac suffectionis in locum Ill.mi D. Episcopi Chelmensis, prout circumstantiae postulant, alterius Commissarii, qui munus suum exacte et rite adimpleret, spe firma nitor quod Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra aequissimo animo suo minime sustinebit desolationem universae Metropolis, quinimo me certiorem reddere dignabitur de omnibus illis conditionibus, sub quibus haec Commissio debebit expediri.

Respectum defuncto Antecessori meo una cum assecurationibus debitorum quod transmittere ad reditum meum brevi Vladimiriam distuli, pariter in experta erga me Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae benevolentia confido nihil exinde pro contraria opinione mihi adscriptum, praeter hoc solum quam semper summa cum veneratione maneo

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae obsequentissimus ac humillimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp)

Radomisliae, die 25 Martii 1763 anno.

Excell.mus D. Nuntius Apostolicus

44.

Volodimiria, 10. V. 1763.

De Archimandria Buczacensi, de nominatione Officialium Curiae ex Regularibus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 109 (1), f. 90.

Ill.me, Excellentissime ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Iam ex anterioribus meis adhuc sub 19 Martii directis plene Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra persuasa esse potuit quod sicut Mandato ejus de non benedicendo novo Abbate Buczacensi reverenter recepi ita ejusdem sensus me semper fieri opportebat. Ne quidquam in contrarium eveniret de quo et modo certiorem Ill.mam ac Rev.mam Excellentiam Vestram reddens, maximam eidem obligationem habuissem, si mihi rationes Consultorum Provinciae Lithuaniae, quibus fundationem ejusdem Abbatis in Monasterio Buczacensi impugnare nitebantur, ante sententiam adhuc SS.mi, significare benigne dignata fuisset,

---

[56] Nuntio Apostolico Varsaviensi, Antonio Eugenio Visconti (1760-1766).

ne postea exinde, quod Deus avertat, id eveniret quod totam Congregationem ejusdem Ordinis ex offensione Fundatoris, qui multa ipsis beneficia praestitit, iniuriatam nimis reddere possit. Scio enim peroptime quod in isto Consultorio sunt nonnulla inquieta Capita, quae saepe saepius non sine dispendio Monasteriorum absque necessitate molientur. Quare et in hoc negotio legi expositas Ill.mo D. Fundatori per ipsos rationes, quae magis redargutione quam aliqua alia consideratione digna censeri debeant.

In altero vero negotio, quod amotionem ab Officio Auditoris Rev.mi Patris Abbatis Dermanensis et acceptationem in eum locum, ad tenorem recentioris declarationis Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Catholicae, saecularis Presbyteri, quem mihi Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra proponere vellit respicere videtur, ante omnia non latet me ista Declaratio, quae ad sinistram, ut recte praesumo, Ill.mi ac Rev.mi D.ni de Lascaris, Archi-Episcopi Theodosiae,[57] moderni Secretarii Congregationis Regularis disciplinae repraesentationem emanavit. Postea vero non mihi convenit, ut a svasionibus D. Michaelis Stopczanski, qui solum est a mandatis in aliquibus, pendeam, sed nihilominus directe ad negotium replicandi, sicut Sacrae Congregationi placuit unam partem audire, ita et nos ut ex altera audiamur supplicabimus. Officiales ad praescriptum Synodi Zamoscensis reperiuntur ubique saeculares, ast de primis Ministris, qui (f. 90v) postea, spectata antiquissima Ecclesiae Orientalis praxi, juxta Constitutiones S. Concilii Constantinopolitani, nec non Canones Graecorum ac Novellam Iustiniani, per Urbanum VIII quoad Ruthenos approbatam, hic vero in Russia Privilegio Regum et Principum solum ex Monachis D. Basilii M. ad Episcopatus promovendi sunt aliud sentiendum esse videtur. Scilicet quod primo necesse est, ut qui ad eum gradum, spectatis debitis requisitis, habiles et idonei praevidentur, prius in Monasteriis ejusdem Ritus Episcoporum, ne postea circa baculum Pastoralem claudicent, paulatim praxim Episcopalem addiscant et negotia Hierarchica intellegant. Deinde, ex altera parte, non esset congruum nec rationi consentaneum ut penes Metropolitanum, ubi negotia Episcoporum et non modo saecularium verum Regularium ocurrunt, simplex Presbyter saecularis primum ministerium obtineat. Nec mei antecessores jam post Synodum Zamoscianam hoc admittebant. Sed nec haec Persona mihi suficere videtur, ast omnino debeo pro primo moderatore penes curam rerum omnium eligere Ill.mum ac Revmum. D. Episcopum ad-praesens Coadjutorem Pinscensem,[58] ex quo sunt et aliae rationes, ex differentiis cum Ill.mo D. Palatino Kijoviensi exortis promanantes, quae me ultra movent ut in progressus anteriorum Officialium, quod aliis ejusdem vocationis unum idemque cum ipsis

---

[57] Georgius Hieronymus Lascaris, Theatinus, Praefectus Collegii Armenorum Leopoli (1738-1741), dein canonicus Olycensis, in dioecesi Luceoriensi, praepositus Zulkevier sis, electus Theodosien. die 22. VII. 1754, translatus ad Hierosymitanam die 20. XII. 1762; obiit Romae 11. XII. 1795.

[58] Agitur de Antonino Mlodovskyj, primum Coadiutore Pinscensi, et dein Volodimiriensi (1764-1778), demum Ep. Volodimiriensi (778).

sentientibus committere non possum, oculos initiam. Nihilominus tamen nec cogitavi praedicto Rev.mo Patri Abbati, quamvis exactissime et gloriose, absque ullo Cleri gravamine Dioecesim Vlodimiriensem visitavit, Kijoviensis Visitationem committere. Quare Ill.ma ac Rev.ma Excell.tia Vestra dignetur esse persuasa, quod in omni aliter prout delatum fuerit res se habeant. De me autem semper sentire quod sum distinctissimo cultu

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae obsequentissimus et humillimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp)

Die 10 Maii 1763, Vladimiriae.

45.

Volodimiria, 28. IX. 1763.

De indebitis postulationibus Coadiutoris Kioviensis conqueritur et dat amplas informationes, suumque exemplum adducit.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 9, fol. 206-207.
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 100.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Supremas Sanctissimi Domini Nostri Ordinationes cum ea qua par est humilitate et submissione summopere veneror et amplector, ac de eo quod Sua Sanctitas potuit ex una parte intelligere assignatam mihi fuisse ab Illustrissimo ac Reverendissimo olim Antecessore meo[59] sub quibusdam conditionibus certam annuam quantitatem ex Redditibus Archiepiscopalis Mensae suae, statim ac in ejus Coadjutorem assumptus fuerim,[60] ac exinde aequissimum judicare dignum esse operarium mercede sua, quatenus pari modo, sub iisdem conditionibus idem Redditus per me moderno Coadjutori[61] attribuatur minime dubitare praesumo. Verum quia in hoc proposito res se in omni aliter habeat, ut nec haec assignata intuitu praedictae assumptionis Coadjutorialis certa pensio, nec aliquod pro quo jure merito mercedem aliquam praetenderet moderni mei Coadjutoris singulare erga me praestitum pro suo munere obsequium probari valeat, nec ego ipse circa perfectam per Dei gratiam valitudinem majori ope et adiutorio quam quod ab aliis Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis Suffraganeis meis habere possum indigeo, vel illud quaero, praesertim cum adverterim ac diversa rerum ratione expertus sum, eundem non tam mihi quam sibi potius adjutorium quaerere, eaque in Dioecesi propria inter omnes alias amplissima negotia posse habere quibus sive re et realiter prout justi et aequi

---

[59] Florianus Hrebnyckyj, Metropolita Kioviensis (1748-1762).

[60] Anno 1752, cum titulo Chelmensis Episcopi, et dein Volodimiriensis (anno 1758).

[61] Leoni Szeptyckyj, Episcopo Leopolitano (1749-1778), ab anno vero 1762 Coadiutori Kioviensi.

exposcit ratio incumbere voluisset, procul dubio vix solus sufficere potuisset. Proinde poterit Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra pro suo munere ea Sanctissimo Domino Nostro pro mea resolutione significare quae refero, ac illud insuper addere, quod quamvis ipse non negem fuisse mihi attributam sub certis conditionibus, quas solus ob longam nimis loci distantiam, et decrepitam aetatem, viresque illis impares minime potuit adimplere, a praefato Domino Antecessore meo administrationem Kijoviensem, hoc non alio jure et pacto factum (f. 100v) esse dignoscitur, quam quod absque ullo praejudicio meo cum quocunque alio, prout postea cum Illustrissimo ac Reverendissimo Domino moderno Episcopo Luceoriensi effectu comprobavit, ad tempus sibi benevisum libere uti potuisset, sed modo et huic administrationi locum non esse existimo, dum id totum quod meam obligationem potest respicere, Deo auxiliante absque ullo meo incommodo valeo solus adimplere. In supplementum vero, prout anterioribus meis significavi adscivi mihi pro condigno Cooperatore virum summa prudentia et in rebus gerendis dexteritate praecellentem, mihique fidum et affabilem, nimirum Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Episcopum Coadjutorem Pinscensem[62] tanquam propinquiorem, qui mihi in rebus arduis et publicum Bonum Ecclesiarum et Dioecesum respicientibus valido consilio et auxilio foret. Si vero de pensione Coadjutoriali res agatur, hanc non ex aliis redditibus habui assegnatam, nisi qui adhuc incerti essent, scilicet ex Cathedratico Cleri Braclaviensis, super quo pro tunc cum moderno Coadjutore meo tanquam praetenso Episcopo Leopoliensi solum lis introducta erat, in cujus sequelam non aliam etiam modernus Illustrissimus Dominus Coadjutor, licet si sit ex Metropoli Haliciensi et Abbatia Mielecensi ad minimum ad sexaginta sex millia florenorum Polonicalium optime provisus, petere a me potest, quam quae ex usurpata posessione Ecclesiae Metropolitanae Haliciensis ejusque Bonorum et Dioecesis de quibus cum ipso litem movere sum paratus, ex quinta parte Cathedratici aliorumque ex Bonis proventuum eveniret. Sed ipse modo fortasse melius est contentus, dum praeter hos proventus ex Bonis usurpatae ejusdem Metropolis, ad minimum ad viginti quatuor milla florenorum polonicalium ascendentes, adhuc a Clero ex Beneficiis duobus millibus quingentis, ex quolibet per duodecem florenos computando, triginta millia eorundem florenorum totaliter Cathedratici recipit, ex quo ipso dum id de quo arguor jure optimo de benignitate Apostolica possideam, minime spero me aliquod turpis avaritiae specimen (:quae magis ex deductis meum Coadjutorem tangere videtur:) praebiturum, aut supremae Sanctissimi Domini nostri voluntati, cujus sum pro semper obedientissimus filius, aliquo praetextu non obsecuturum, quominus ulteriorem retentionis Episcopatus hujus gratiam, quam ex vi Bullarum retentionis satis mihi fortasse multorum iudicio fuit petere, assequi valeam, praesertim vero cum eam circa tenuitatem Mensae Metropolitanae proventuum, quam facile probare possum, inevitabilis Ruthenae

---

[62] Antoninus Mlodovskyj.

Ecclesiae necessitas ususque antiquissimus, quo etiam viciniores Schismatici ad Unionem Sanctam facilius alliciantur, nec non solita S. Suae in res Ruthenorum clementia merito postulant. Sunt quidem, ut recte inferre possim, praesertim ex latinis DD. Episcopis non pauci tales, qui de huiusmodi Mensae Archiepiscopis proventibus multum (f. 101) sentiant, verum demptis expensis Fundi et non modicis sumptibus litis fere continuae ac summopere permolestae, tum etiam impensis fabricae, vel maxime ad praesens, quum omnibus est apertissimum pro restauratione conflagratae ab annis duobus Cathedralis Ecclesiae Novogrodensis, dirutae jam pridem Minscensis, ac summae desolatae Vilnensis sunt necessariae, vix spero ut aliquis pro mea sustentatione ac aliis hierarchicis negotiis superessent. Fortasse Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra vix possibile existimabit quod ego praesenti anno in solo Tribunali Regni Lublinensi pro sublevandis Bonorum Mensae ejusmodi causis, vacante adhuc Sede, post defunctum Praedecessorem meum Illustrissimum ac Reverendissimum olim Metropolitanum Szeptycki, involutis, ad viginti quatuor millia florenorum polonicalium erogavi, de aliis vero expensis, quae stante administratione sub defuncto Antecessore meo pro diversis ratione Bonorum negotiis et meliore statu eorundem plus minus ad semiducenta millia potui erogare, nec mentionem facio, spem firman habens, quod sua Illustrissima ac Reverendissima Excellentia facile eas ab aliis concipiet, ac validissima sua officia pro mea in omni manutentione ad Sanctam Sedem interponet, pro quibus quam humillime deprecando cum omnimoda quae par est observantia permaneo Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae addictissimus et servus humillimus

F. Wołodkowycz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp)

Vladimirae, die 28 Septembris 1763.

46.

Volodimiria, 6. X. 1763.

De praetensionibus Episcopi Leopoliensis, Coadiutoris Metropoliae.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 9, fol. 211-212.

Illustrissime ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime[63]

Pro illis gratijs et favoribus Illustrissimae ac Rev.mae Dominationis Vestrae, quos mihi adhuc defunctus D. Roccatanus referebat, modoque Ill.mus D. Abbas Stefanini continuo enumerat, ac ipse solus diversa rerum ratione expertus sum, desunt convenientia verba, quibus aeque et aequaliter condignas Illustrissimae ac Rev.mae Dominationi Vestrae persolverem gratiarum aetiones; nihilominus tamen id dignetur de me semper sentire, quod si facultates meae minime sufficerent in quibus per dictum F. Roccatani maxime fraudatus sum,

---

[63] Agitur, verosimiliter, de Secretario S.C. de Prop. Fide, Mario Marefoschi (1759-1770).

ut aliqua debiti obsequij, et verae gratitudinis praebere testimonia minus valeam, semper hanc Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae erga me benevolentiam memoria coram Domino colam infinita, modo vero in praetensionibus Illustrissimi ac Rv.mi D. Episcopi Leopolien., Coadjutoris mei, qui non laborans pro se mercedem quaerit, supplex recurro. Non latet Illustrissimam ac Rev.mam Dominationem Vestram (quamvis hoc propter diversas Causas non tam libenter quam reverenter et ut ita dicam per deceptionem factum fuit) me eundem anno superiori pro Coadjutore Metropolitano assumpsisse, illudque praecavisse ut exinde nullam ad me praetensionem haberet, sed cum postea (f. 211v) mediante Illustrissimi Domini Nuncij Apostolici hujus Regni Interpositione, summaque reccommendatione obtinuerit non in omni ad vota confirmationem ejusdem Coadjutoriae, ex quo ipsi limitatio exercitij suscepti muneris absque consensu meo in Bullis apposita non placuit nec retentionem Metropolis Haliciensis cum praetenso Episcopatu suo obtinuit, quaesivit alia, suffragantibus ejusdem Illustrissimi Domini Nuncji Apostolici officijs, media, quibus ad praecludendum de eadem Haliciensi Metropoli strepitum juris a me eventurum in quemcunque administrationem sive bonorum mensae sive alicujus partis Dioecesis irrueret, quo fine acsi de mandato SS.mi obtinuit ad me ab eodem Illustrissimo Domino Nuncio literas, quas Illustrissimae ac Rev.mae Dominationi Vestrae in authentica forma cum concordato certo supramemoratus Dominus Abbas Stefanini cum mea resolutione monstrabit ac rationes adducet, quibus mediantibus petitioni dicti D. Coadjutoris locus non esse videtur. Ego vero solum Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem Vestram maxima cum veneratione enixissime rogo, ut eundem D. Abbatem Stefanini benigne audire, meque adsciti D. (f. 212) Coadjutoris impetitione validissimis suis officijs et suffragijs fulcire ac ulteriori retentioni Episcopatus Vladimiriensis manum apponere dignetur. Non satis quod absque ullis meritis factus est certus, quatenus praevixerit, succedaneus meus, sed adhuc quaerit quo magis consanguineos ditare valeat, suaque in omni commoda ultra quae nihil amplius cogitat quaereret. Quae omnia summae illustrissimae ac reverendissimae prudentiae me vero singulari manutentioni insinuando cum omni qua par est observantia maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae dovotissimus
et obsequentissimus Servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metr.us

47.

Volodimiria, 9. XI. 1763.

De modo agendi Coadjutoris Kiovensis et de eius praetensionibus ad Bona Metropoliae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 103.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Frater Colendissime.[64]

Ultra ea quae anterioribus de 6ta adhuc Octobris ad Excellentissimum ac Reverendissimum Dominum Nuncium Apostolicum a me datis pro debita resolutione exprimere existimavi, adhuc plura non minoris considerationis ocurrunt, quae intentioni Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Coadjutoris mei respectu praetensae administrationis Kijoviensis absolute favere non videntur, ex quibus pono pro basi et fundamento, non posse praetendere praedictam administrationem, sequentia, et quidem non latet omnes Dioecesim Leopoliensem inhabitantes, quod etiam successive, post assumptionem ipsius in Coadjutorem, statim ad me pervenit. Eundem Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Episcopum in obeundo munere proprio ita tepidum esse, ut si non ministri in aliquibus vices ipsius supplere procurassent, vix non omnia negotia obliterata fuissent, cujus rei ex hoc etiam facile desumi possunt certa et evidentia documenta, quoties in iisdem negotiis per annos jam aliquot non revocando in memoriam anteriores ministros saltem ad modermun Excellentissimum ac Reverendissimum Dominum Nuncium Apostolicum sive ad Illustrissimam Dominationem Vestram aut quempiam alium recursum facere potuisset, ex quo ipso facile erit inferendum, quomodo praedictam (f. 103v) administrationem, quae saepissime residentiam, tanquam in viciniis Schismaticorum, requirit et in qua circa fundationem immunitatis Cleri, et integritatis Bonorum Mensae Archiepiscopalis majores ocurrunt difficultates, praetendi non erubescit, si in iis nullam per se curans protectionem Cleri proprii, nec vindicationem avulsorum Bonorum Metropolitae Haliciensis et villam magnam Perehinsk pertinentem domi praeesse nescit, sive non vult. Illius cura solum versatur circa ea, ut sub quodam praetextu erectionis Seminarii, pro quo Decanos rurales, inconsultis insciis Parochis, ad subscribendum certum annualem pro restauratione dirutae Cathedralis tributum circiter quatuor decem millia florenorum polonicalium reductum, quatenus eo modo summa capitalis centum sexdecem millia eorundem florenorum per defunctum olim Illustrissimum Dominum Metropolitanum Szeptycki in Bonis Illustrissimi Domini Czartoryjski, Palatini Terrarum Russiae,[65] pro eadem restauratione legata in toto remaneret, coegit; Clerum miserrimum suam congruam non habentem, jam ab annis (f. 104) vix non plus quam quatuordecem, ejusmodi tributum ab ipsis percipiendo magis depauperaret, illudque hucusque, quamvis iuxta submissionem dictorum Decanorum contra hanc legatam summam jam pridem exsolutam, magis praetendi non potuit, non sine maximo Cleri gravamine exigeret, ac jam pridem absoluta structura praedictae Cathedralis, sumptuosa quaeque in illa ornamenta ex hoc quaestu curaret. Illam insuper, prout jam ad effectum deduxit, ad superfluos usus, nempe pro aedificatione de muro solido cum diversis sibi excogitatis commoditatibus Palatii Episcopalis converteret ac per id propriis sumptibus parcendo notabiles ex redditibus Mensae summas congregaret, illasque contra votum paupertatis retigiosae, a

---

[64] Ut videtur Secretario S.C. de Prop. Fide, Mario Marefoschi (1759-1770).

[65] Augustus Alexander Czartoryski, Palatinus Russiae (1731-1781).

quo prout de jure, obtento Episcopatu minime censetur esse dispensatus, solum in Consanguineos convertiret, ex quibus statim principiis Episcopatus emit triginta millibus florenorum polonicalium pro fratre uterino Capitaneatum Kozicensem, postea vero ducentis triginta quatuor millibus similium florenorum pro successoribus sanguinis obtinuit perpetuo donationis titulo bona Clavis Rogaznensis, quae jam et in posessionem (f. 104v) ejusdem fratris dimisit. Deinde pari modo pro centum viginti millibus ejusdem computi acquisivit Bona pro talibus successoribus Domazyr nuncupata, non ita pridem vero locavit in provisionem apud Illustrissimum Ducem Radziwill,[66] modernum Palatinum Vilnensem, centum millia florenorum; ex quibus summis congregatis et ita ordinatis, quae etiam facile probari possunt, satis apparet, eundem Dominum Coadjutorem meum ita sufficientissime provisum esse, ut nullatenus a me assertam administrationem vel quamcunque aliam pensionem petere valeat, praesertim cum ultra amplissimam suam sustentationem etiam superfluos redditus habeat et non juxta Canones illis disponat, super quibus summis ex superfluis congregatis pro meo munere coactus ero Sanctae Sedi supplicare, quatenus revocatis omnibus in contrarium factis, cogatur prout de jure in rem Ecclesiae disponere. Habet etiam et in hoc Ecclesia Leopoliensis maximam injuriam, quod pro summa praedicta centum sexdecem millia (f. 105) pro Illustrissimo olim Metropolitano Szeptycki Illustrissimi Ducis Czartoryjski assecurationem initio Episcopatus sui restituit et aliam pro se, cum libera dispositione praedictae summae, accipiendo, provisionem annuam acceptando, solum quasi a perpetua per florenos septem a quolibet cento ubi prius per florenos decem praecustoditam habuit, favore quodam ductus diminuit, et per annos septemdecem ad quinquaginta novem millia centum sexaginta florenos polonicales damnum intulit, quod si non subsequeretur, potuisset Ecclesia propriis redditibus praedictae capitalis absque ulla angarisatione miseri Cleri restaurari.

Sentit se non minus Clerus dioecesanus laesus, quod in persoluta praedicta summa quinimo jam ampliori, Seminarium erectum, prout mens fuit, hucusque non habet.

Conqueritur et in hoc quod Bona Krylos ad Clerum Cathedralem Haliciensem spectantia Mensae suae totaliter (f. 105v) apropriavit nec in hoc pastoralem ejus affectum consequitur ut ad Mensam suam, circa quam potest solus ordinarie manducare, Dioecesanos suos saltem Decanos et Domesticos Ministros admittat. Minoribus vero in negotiis audientiam facilem praebeat, et paternam affabilitatem ostendat ipsisque cum gravamen aliquod sentiant opportunis remediis, prout gravitas materiae postulabit benigne subveniat, ac pro fratribus eos recognoscat. Decanos vero circa persolutionem Cathedratici a solvendis quibusvis aliis tributis suis Curialibus immunes declaret. Quae cum ita se habeant, facileque per Dioecesanos ipsiusmet Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Coadjutoris probari valeant, non aliter arbitrarer nisi

---

[66] Carolus Radziwill, Palatinus Vilnensis (1761-1764).

quod nec Sancta Sedes ad dandam ipsi talem administrationem cogeret et tali modo etiam Clerum meum similibus angustiis exponeret, praesertim cum adverterit quod ego pro immunitate ejus ipsis initiis fundationis Bonorum quam plurimum Parochialium multum desudaverim et ab haeredibus Bonorum antequam aliquod ab ipsis efficerem circa sollicitam curam et continuas expositiones meas quae etiam Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Nuncio Apostolico (f. 106) et Illustrissimae ac Rerevendissimae Dominationi Vestrae magna ex parte sunt notae, aestum solis et pondus diei sustinuerim, ac circa reparationem Bonorum, locationem subditorum, et ne ab aliis extrahantur manutentionem eorundum, ad quae ex Concordato defuncti antecessoris mei minime fui adstrictus expensas et incommoda non querens ita quietem prout Dominus meus Coadjutor pertulerim. Licet vero ampliores modo possum habere redditus, quam stante adhuc administratione sub defuncto Antecessore meo recepi, de his pariter habeo modo majores utique et expensas, ut debito muneris mei satisfiat, et de praesenti si solus in persona, circa modernas circumstantias, ad invigilandum negotiis totius Hierarchiae, ne quid contrarium eveniat, Varsaviam non excurram, cogito aliquem Dominum Episcopum huic muneri aptum, cum debita et sufficienti provisione expedire. Suscepi tantisper pro adjutorio manuali, non sine convenienti annuo stipendio, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum modernum Episcopum Coadjutorem Pinscensem[67] adhuc et in Lithuana Dioecesi, tanquam a me distantiori, in animum duxi deputare aliquem ex Episcopis pro Vicario Generali, pro quo facile recognoscerem modernum Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Smolenscensem, si a studiis illis, (f. 106v) quae etiam Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationi Vestrae aliquomodo esse possunt, nisi penitus abstineret. Et praesentia super transitu aliaque in Urbe negotia et modernae antesynodales consultationes, ipsa futura Synodus, si ad eam debite celebrandam praesens Interregnum non faceret aliquod impedimentum,[68] non carent ac non carebunt notabilibus expensis. Quare dignetur Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Nuncio Apostolico ea omnia benigne exponere, ut etiam exinde habitis non postremarum rationum momentis validissima officia sua tam pro ulteriori retentione mei usque ad vitae tempora circa hunc Episcopatum, quam absolutum in omni a quibusvis praetensionibus dicti Domini Coadjutoris ad Sanctam Sedem interponere non gravetur, quod cum certo pro justitia obtinere sperem, ita profiteor quod sim inexplebili recognitione et cultu

---

[67] Antoninus Mlodovskyj.

[68] Revera ob interregnum post obitum Augusti III Saxonis, omnes conventus prohibiti erant; inde etiam Synodus Berestensis, quae hoc anno indicta fuit. Neque post electionem novi Regis Poloniae, Stanislai Poniatowski (1764-1795) haec Synodus celebrari potuit, ob ingerentiam potestatis civilis in negotia ecclesiastica; cfr. ulteriora documenta in hac materia in praesenti volumine (ann. 1764-1765).

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae addictissimus Frater et servus obsequentissimus

F. Wolodkowycz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp.)

Vladimiriae, die 9 Novembris 1763.

48.

Volodimiria, 19. IV. 1764.

De Synodo Provinciali celebranda et de retentione Episcopatus Volodimiriensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 10.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.[69]

Cum satis mihi constet grata esse Ill.mae ac Rev.mae Excellentia Vestrae votorum meorum obsequia, consentaneum sic duxi ad praesens etiam circa faciliter imminentia Resurrectionis Domini Festa intimam renovare apprecationem, ut idem Triumphans Agnus, praemissis ad vota Ill.mae av Rev.mae Excellentiae Vestrae cunctis prosperitatibus, eandem post sera et longaeva huius vitae intervalla celesti frui dignetur Benedictione.

Iam quod attinet praecedentium litterarum ab Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra ad me datarum contenta, brevibus his debita cum recognitione respondeo. Imprimis terminum pro futura Synodo a confratribus meis collegialiter congregatis die 7-ma augusti iuxta vetus anni currentis designatum, accepto in his ab Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra salubri voto, quantocyus ad futuram Regnantis Poloniae electionem per speciales missivas in universam Provinciam Ruthenam directas litteras revocare curavi.[70]

In negotio autem Moysis Szyszkiewicz fusius ad Dominum Cancellarium Tribunalis Sacrae Nunciaturae scripseram, quem spero Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae votum meum hactenus jam manifestasse.

Neque me latet multum contribuisse operae Ill.mam ac Rev.mam Excellentiam Vestram super obtinenda a Sancta Sede Apostolica retentionis Episcopatus Vladimiriensis gratia, quam licet necdum prae manibus habeo, tamen semper, cum mente revolvo, toties me devinctum puto, ut omni qua par esse poterit sollicitudine debitas rependam (f 10v) grates et illa repetam, quod sim cum devotissimo cultu et perenni adoratione

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae obsequentissimus et humillissimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus et Metropolitanus Russiae

Die 19 Aprilis 1764 a., Vladimiriae.

---

[69] Nuntio Apostolico, Eugenio Visconti (1760-1766).

[70] Synodus Berestensis celebrata non fuit; cfr. de eius sorte opus Stephani Wiwczaruk, *De Synodo Provinciali Berestensi anno 1765 non celebrata*, Romae 1963.

49.

Volodimiria, 17. V. 1764.

Gratias agit pro retentione Episcopatus Volodimiriensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 9, f. 313rv.

Eminentissime, Reverendissime Princeps, Benefactor Gratiosissime.

Spei meae quam in singulari celebratissima Eminentiae Vestrae benignitate collocabam, uberrimum modo fructum refero, dum mediantibus gravissimis ejusdem apud SS.mum Dominum, feliciter adpraesens Orbi Catholico imperantem Dominum meum Clementissimum, officiis desideratam diu Episcopatus Vladimiriensis retentionem obtineo,[71] quae itaque perennis, et nunquam desitura gratitudo a me jure merito repetit, ommittere non possum quin praestem, humillimas nimirum Eminentiae Vestrae gratias fero, servaturus jugiter recentem devoto in corde hujus eximij in me collati Beneficii (f. 313v) memoriam, omnemque operam adhibere curabo, ut et debitam gratitudinem meam luculentam facere, quam et omni observantia Mandata Eminentiae Vestrae colere atque re ipsa probare possim, quod parata ad omnes nutus voluntate circa devotissimum Sacrae Purpurae osculum esse cupiam

Eminentiae Vestrae Rev.mae humillimus, devotissimus, obseq.mus Servus
F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mpr).

Die 17 Maij 1764. Vladimiriae.

50.

Volodimiria, 17. V. 1764.

Eiusdem argumenti.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 9, f. 314rv.

Ill.me, Excell.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.[72]

Non modo ex iis quae a D. Stephanini, Agente meo, in relatis accepi, verum etiam e re ipsa facile comperi, eam esse eximiam Excellentiae Vestrae Ill.mae in me benignitatem, ut non modo afflictis rebus meis pro sua aequanimitate Patrocinium praestare, verum etiam amplissimis beneficiis suis me exornare pro sua imcomparabili humanitate Excellentia Vestra Ill.ma dignata est. Horum e numero non postremo loco reputo gravissimam Excellentiae Vestrae Ill.mae authoritatem, qua interposita expetitam olim Vladimiriensis Episcopatus retentionem a SS.mo Domino, Domino meo Clementissimo, consecutus sum. Ut igitur me aequissimo obstricti cordis mei debito exsolvam, humillimas

---

[71] Cfr. *Litterae S.C. de Prop. Fide*, vol. V, Romae 1957, pag. 83, nr. 2146, sub da^t. 31 III. 1764, quibus certioratur Metropolita de obtenta facultate.

[72] Secretario S.C. de Prop. Fide, Mario Marefoschi (1759-1770).

Excellentiae Vestrae Ill.mae gratias fero, nec unquam gratissimam hujusce muneris in me effusi memoriam animo meo excidere permittam. Deus Optimus Maximus Excellentiam Vestram Ill.mam ad publicam Orthodoxae Russiae felicitatem, meique Patrocinium, et tutelam omni prosperitatum copia cumulatam quam diutissime sospitem servet mihique eas (f. 314v) occasiones praebeat, quibus gratissimi cordis mei sensa explicare, promptissimis obsequiis Imperata Excellentiae Vestrae Ill.mae implere, ac re ipsa probare possim, quam obstricta volutate justa ac submissa veneratione sim, esseque perpetuo cupiam

Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae addictissimus, devot.mus, oblig. mus Servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp).

Die 17 Maij, 1764 anno. Vladimiriae.

51.

Radomyslia, 14. VII. 1764.

De retentione Episcopatus Volodimiriensis et de luctuoso statu rerum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 20.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.[73]

Obtentam ulterioris retentionis Episcopatus Vladimiriensis gratiam unice et solum adscribo semper singulari Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae erga me benevolentiae, et pro ea gratam continuo recolens recognitionem, ipse solus desiderio desideravi sub tempus praeteritorum Comitiorum Regni, ad obviandum quibusvis contrariis, me Varsaviam conferre, si non dubius eorum eventus et non aliae diversae, praesertim in moderno turbido rerum statu circumstantiae, me ab hoc studio removerent. Nihilominus tamen ea omnia quae aliquando ea de causa censentur esse praetermissa, curabo in sequentibus electionis Regiae Comitiis compensare, ut ea ipsa occasione et personalia mea Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae deferam obsequia et ab ipsa benigne docear, quae in observantiam recentiorum Sacrae Congregationis mandatorum factura sunt, et circa celebrationem futurae Provincialis apud nos Synodi, cui Sanctissimus Dominus noster Ill.mam ac Rev.mam Excellentiam Vestram authoritate apostolica praeesse voluit, erunt facienda, modo vero circa omnimodam obligationem profiteor quod sim inexplebili et quam distinctissimo cultu

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae obsequentissimus et humillimus servus

F. Wolodkovycz, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae.

Die 14 Julii, 1764 a. Radomislia.

---

[73] Nuntio Varsaviensi.

52.

Varsavia, 10. IX. 1764.

Assumit sibi in Coadiutorem Volodimiriensem Antoninum Mlodovskyj, Episcopum Turoviensem.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 14-17.

Anno Domini Millesimo septingentesimo sexagesimo quarto, die vero Lunae, decima mensis Septembris. Varsaviae.

In mei Notarii et Cancellarii Actorum Tribunalis Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae etc. Testiumque infrascriptorum ad id specialiter vocatorum, rogatorum et adhibitorum praesentia, personaliter constitutus Ill.mus et Rev.mus Dominus Felicianus Wolodkowicz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Kijoviensis, Haliciensis, Metropolitanus totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis etc., sanus mente, et corpore per Dei gratiam existens, non compulsus, non coactus, neque aliqua importuna suasione circumventus, sed rem praesentem matura animi sui deliberatione praehabita existimans, palam, sponte, libere, benevole, ac per expressum, de certa sua scientia, et animi sententia, omnibus melioribus, quibus de jure, forma, stylo, et praxi firmius, validius et officacius potuit, ac debuit, potestque ac debet modis, recognovit, et animi sui declarationem, ullo unquam tempore mutabilem fecit, et aperuit in hunc modum. Quia is idem Ill.mus, Excell.mus ac Rev.mus Dominus comparens sentiens se gravitate annorum prope septuaginta, et etiam continuis in munere Pastorali circa ovile et gregem sibi commissum tam alias in Dioecesi Chelmensi et Belzensi, quam etiam Vladimiriensi, et Brestensi ac quoque Metropolitana Kijoviensi et totius Russiae fessum assiduisque itineribus visitando easdem pro occurrentia (f. 14v.) Dioecesis satis ample dissitas et praesertim majori parte Archidioecesim Metropolitanam Kijoviensem satis diffuse ad confinia Moschoviae, Valachiae et Cosatica dissitam, post tot discrimina viarum consistentem, tum etiam accedendo ad varia tum inferiora, tum suprema Tribunalia Saecularia Regni pro vindicandis juribus tam Ecclesiarum, quam etiam Bonorum Mensarum praedictorum Episcopatuum, vel maxime Mensae Archiepiscopalis, non sine gravi detrimento fatigatum, ac praeterea, munia, officia, et onera nedum ex vi Pastoralis obligationis ac vigilantis curae intuitu memorati Archiepiscopatus Kijoviensis et Haliciensis, verum etiam ex munere, et obligatione primatus in Hierarchia Roxolana incumbentia, impedimento non postremo eidem Ill.mo, Exc.mo ac Rev.mo Comparenti sint, quo solertius, et efficacius, ut ex animo desiderat, Ecclesiae Vladimiriensis et Brestenensis, cuius ex benignitate et licentia Ss.mi D.ni Nostri et Sanctae Sedis Apostolicae retentionem gratiose obtinet attendere, ejusque bono, et utilitati tam in spiritualibus, quam et temporalibus commode ac prompte, etiam ob incommoda, ac varias quas aetas ipsa afferre solet corporis infirmitates providere, non ita ut optat incumbere valeat, distentus majoribus (f. 15) Ecclesiae Archiepiscopalis Kijoviensis ac totius Hierarchiae Roxolanae, iisque

gravioribus negotiis, proinde his omnibus, et aliis gravibus animum suum moventibus matura intra se deliberatione pensatis, considerans Ill.mi et Rev.mi Domini Antonini Mlodowski,[74] Episcopi Turoviensis Ritus Rutheni Uniti a pluribus annis personam sibi optime notam, et sufficienter cognitam, praecipuis animi virtutumque dotibus, probitate ac meritorum in Ecclesia Dei, Hierarchia Roxolana experientia, utpote a multis annis in ante ad latus praestantissimi Praesulis Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Kijoviensis etc. et Metropolitani totius Russiae commorando, munere Vicarii Generalis Metropolitani, a pluribus annis cum prudentia gravitate, et laude, ac plausu fungens et varia negotia graviora sibi commissa tractando ac quoque eidem Ill.mo, Exc.mo Domino Comparenti in variis negotiis operam suam solertem exibendo apprime versatum, pietate praeditum et conspicuum in augendo Cultu Divino, propaganda Religione Catholica, (f. 15v) praecipue Sancta Unione zelosum, in manutenendis, et conservandis juribus, et immunitatibus ecclesiasticis indefessum omnibusque demum his gravitatibus, et virtutibus, quae ad vigilantissimos, et zelosos Pastores spectare dignoscuntur exornatum, ac indubiam spem habens is idem Ill.mus et Excell.mus D.nus Comparens praelaudatum Ill.mum et Rev.mum Dominum Antoninum Mlodowski in sollicitudine et munere Pastorali in negotiis Roxolanae Hierarchiae, Ecclesiaeque Catholicae ac Sanctae Unionis tum Dioecesis Vlodimiriensis et Brestensis singulari ornamento, ac decori in propaganda ibidem Sancta Unione et Religione Catholica proficuum futurum fore, memoratum Illustrissimum et Reverendissimum Antoninum Mlodowski, Episcopum Turoviensem praefati Ritus Rutheni Uniti, accedente Sacrae Regiae Majestatis etiam per interponenda Ill.mi, Excell.mi et Rev.mi D.ni Antonii Eugenii Vicecomitis Archiepiscopi Ephesini et Nuntii Apostolici in hoc Poloniae Regno emeritissimi Roxolanae Hierarchia fautoris praestantissimi (f. 16) et Protectoris fortissimi apud Sacram Regiam Majestatem officia pro consensu obtinendo, ac sub beneplacito solito Sanctae Sedis Apostolicae, et non alias, aliter ,nec alio modo in suum verum, legitimum, et indubitatum perpetuum Episcopatus Wlodimiriensis et Brestensis, cujus hactenus Ill.mus Excell.mus et Rev.mus Dominus Comparens, et actualis possessor existit, Coadjutorem cum certa, immutabili, irrevocabili, indubitata et effectiva, dum eundem Episcopatum Wlodimiriensem et Brestensem per cessum, vel decessum sui Excellentissimi Comparentis, aut alias quomodolibet vacare contigerit, ipsique omnium, et singulorum tam in spiritualibus quam et temporalibus, jurium, attinentiarum, annexorum, et connexorum perpetua et omnimoda et futura successione fecit, elegit, assumpsit, adoptavit, constituit, et solenniter ordinavit praesentibusque facit, eligit, assumit, adoptat, constituit, et solenniter ordinat. Permittens is idem Excell.mus Comparens, concedens eidem Ill.mo Episcopo Turoviensi, Coadjutori suo, ea omnia quae de jure et praescripto Sacrorum Canonum (f. 16v), Constitutionum Apostolicarum, et Ordi-

[74] Tunc temporis erat Coadiutor Pinscensis cum titulo Sedis Turovensis, Pinscensi perpetuo unitae.

nationum tum consuetudine, usu, et praxi ad ipsum Excellentissimum Dominum Comparentem, qua Episcopum Wlodomiriensem et Brestensem spectant et pertinent faciendi, gerendi, exercendi, et exequendi, ac ipsum Excell.mum D.num Comparentem tam in spiritualibus, quam et temporalibus dicti Episcopatus Vlodimiriensis, et Brestensis rebus adjuvandi, et ea omnia et universa peragendi, quae muneris et sollicitudinis Episcopalis esse dignoscuntur plenam, et liberam facultatem, absolutamque potestatem, promittens propterea, ac se praesentibus obligans Coadjutoriam hujusmodi in Episcopatu laudato Vlodimiriensi et Brestensi, nullo unquam tempore, nulla ex causa, nullo colore et quaesito praetextu, ac ingenio per se vel per alias quasvis submissas, et subordinatas Personas directe, vel indirecte, tacite, vel expresse, excogitatis, vel excogitandis modis labefacturum, nec aliquo modo contradicturum, vel contraventurum, quinimo firmiter et inviolabiliter omnia, et singula praemissa observaturum, quam quidem suam recognitionem, electionem et assumptionem (f. 17) ejusmodi Coadjutoris in Episcopatu Vlodimiriensi et Brestensi ad omnem meliorem finem, juris effectum, ac majorem fidem, robur, et valorem idem Excellentissimus Dominus Comparens in praesentia Excellentissimi ac Rev.mi Domini Nuntii Apostolici in ejus Camera solitae Audientiae, his in Actis manu propria subscripsit ut sequitur, videlicet:

Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, Prothotronius Wlodimiriensis et Brestensis Episcopus, manu propria.

Praesentibus Ill.mo et Rev.mo Domino Paulo Aloysio Sylva, Auditori Generali et Judice S.ae Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae, ac Adm. R. dis Brumati, et Julio Bignani Domesticis et Curialibus Excell.mi D.ni Nuntii Apostolici, Testibus ad praemissa vocatis, habitis, atque rogatis.

Ex Prothocollo Actorum S.ae Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae extractum, et sigillo Ill.mi et Rev.mi D.ni D.ni Antonii Eugenii Vicecomitis, Archiepiscopi Ephesini et Nuntii Apostolici, communitum.

53.

Varsavia, 12. IX. 1764.

De conservatione Ecclesiae Ruthenae et cleri uniti penes iura olim a Regibus Poloniae concessa et confirmata.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 9, f. 357-58.

Emin.mi ac Rev.mi Domini, Domini, Patroni Colendissimi.

Quanto frequentius in occurrentibus Ruthenae Hierarchiae nostrae cum S. Romana Ecclesia unitae negotiis protectione ac tutamine Eminentiarum Vestrarum nobis licuit gloriari, tanto fidentius in praesenti, quod non postremo nos replevit maerore, ad easdem recurrimus, felicem ab auxilio et benignitate Eminentiarum Vestrarum exitum reportaturi. Vix non laethaliter sauciati sumus, acriter contra jura nostra in Comitiis proxime praeteritis Regni hujus Poloniae, excusa Constitutione, legitimos Sacerdotum nostrorum filios subdi-

tatui repsectivis eorum Patronis subjiciente. Hi enim a prima in terris Russiae Christianismi plantatione, utpote liberi a liberis nati, convenienti statui suo fruebantur libertate. Hanc libertatem a natura liberorum Parentum acceptam propriam sibi esse non solum jure naturae, jure ecclesiastico, sed etiam Privilegiis Haereditariorum Russiae Ducum, Vlodimiri, Danielis, Haliciae Regis, et Leonis, filii ejus,[75] expost per Serenissimos Poloniae Reges, et Magnos Lithuaniae Duces confirmatis, vendicabant. Has, et alias plures libertates Ruthenis nostris tam Ecclesiasticis, quam Saecularibus ad Unionem cum S. Romana Ecclesia eos alliciens augere dignatus est Serenissimus Sigismundus III, Rex Poloniarum et Magni Ducatus Lithuaniae, speciali Diplomate suo,[76] quo mediante, Ruthenos Unitos in omnibus Praerogativis cum Latinis coaequavit, et Praedecessores nostros Episcopos Ordinis Senatorii dignitate frui debere declaravit. Declarationem ejusmodi s.m. Clemens PP. VIII, circa accessum Antecessorum nostrorum ad Unionem, per speciale Breve suum ratihabuit testatusque se Episcopos, Ecclesias, ac Bona eorum atque etiam ut senatoria dignitate ornentur, praedicto Regi commendasse, in eoque negotio ad complures (f. 357v) Regni Senatores ecclesiasticos et saeculares scripsisse. Hanc eandem Declarationem solemni appromissione commoratus protunc in Polonia Rev. mus Nuncius Apostolicus asecuravit necnon successive tota Republica Constitutionibus suis sub terminis generalibus approbavit. Praemissa tamen omnia jura, Diplomata, Privilegia et Declarationes sunt posthabita, et catholici Sacerdotum nostrorum filii in viliori statu sunt positi, ac in disunione fuere, et nunc adhuc sunt plurimi Sacerdotum disunitorum filii in Ducatu Slucensi, et Districtu Mohiloviensi, ad Magnum Lithuaeniae Ducatum pertinentibus. Immo, ipsis infidelibus, Hebraeis, sunt deteriores: hi enim omnes, nulli servili subjecti jugo, antiqua per totam Poloniam potiuntur libertate. Hanc ignominiosissimam Ritus nostri cladem non alia de causa arbitramur contigisse, nisi quia nullum Episcoporum nostrorum in Senatu habemus Defensorem. Quapropter humillime supplicamus Eminentiis Vestris, ut pro innata sua erga oppressos clementia, ad Sanctissimum Dominum nostrum instare velint, quatenus ille pro paterna sua solicitudine, ad Neo-electum Serenissimum Regem totamque Rempublicam, pro praefatae opprobriosae Constitutionis, multorum animabus pernitiosae, et vicinis schismaticis scandalosae revocatione, Episcoporumque nostrorum, genere et fidelitate Episcopis latinis parium, juxta toties iteratas appromissiones, juramentis etiam firmatas, Senatui adscriptione, suprema sua Officia interponere non gravetur. Dignitatem ejusmodi non ambitus alicujus causa, sed Fidei, Ritus, Juriumque nostrorum defensionis gratia poscimus. (f. 358) Timemus enim, ne majora nobis, Rituique, ac

---

[75] Forsan agitur de Volodimiro, principe magno Kioviensi (978-1015), Daniele Romanovyč, incoronato Rege anno 1253 ab Innocentio PP. IV, et de eius filio Leone I, principe Haliciensi (1264-1301).

[76] Sigismundus III Waza, Rex Poloniae (1588-1632); hoc diploma editum fuit temporibus Urioris Berestensis (1595-1596).

juribus nostris, aut rerum nostarum ignorantia, aut hostium nostrorum fraudulentia, inferantur praejudicia. Dum enim in Senatu Ecclesiasticorum numerus accrescet, augebuntur et suffragia pro Fidei Catholicae integritate, et communis Immutatis Ecclesiasticae libertate militantia. Quam gratiam ab Eminentiis Vestris enixissime praestolantes, in osculis Sacrarum purpurarum cum demississima observantia permanemus.

Eminentissimarum ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum obsequentissimi et humillimi Servi

Felicianus Wolodkowicz, Archi-episcopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Jason Smogorzewski, Archi-episcopus Polocen.

Leo Szeptycki, Episcopus Leopolien, Coadiutor Metrop.

Antoninus Mlodowski, Episcopus Turovien., Coad. Pinscen. (mpr).

Datum Varsaviae, 12 - 7bris 1764.

54-55.

Varsavia, 12. IX. 1764.

Instantiae, ut protegantur iura Ecclesiae Unitae et concedatur dignitas Senatoria Regni Poloniae Episcopis unitis.

A.S.V. *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 98, f. 160-61.

Copia Litterarum Rev.morum Metropolitani et Episcoporum Ruthenorum, scriptarum ad SS.mum Dominum D. Clementem XIII, anno 1764, 12 Septembris, Varsaviae.

Beatissime Pater, Domine Clementissime.

Resolutio in saeculis inaudita, quae in proxime praeteritis Comitiis Confederatorum Polonae Reipublicae nostrae status celebratis,[77] ad privatorum male narrata prodiit, legitimos sacerdotum nostrorum filios subditatui respectivis eorum Patronis subiiciens, causam nobis praebuit, ut in amaritudine cordium nostrorum supplici hac prece Sanctitatem Vestram exorare, Paternamque ejus Protectionem implorare audeamus. Intolerabile siquidem est liberos de liberis procedentes lumbis, sacris canonibus, et a prima christianismi in oris Russicis plantatione Episcoporum jurisdictioni addictos, servili supiici iugo; sed longe intolerabilius Unitos Schismaticis, immo et ipsis infidelibus postponi. Hactenus namque in Catholici huiusce Regni Slucensi Ducatu pene omnium Sacerdotum disunitorum filii, nec non omnes Judaei tot processibus de atrocissima christianorum nece convicti, in tota Polonia integra gaudent libertate. Soli infelices Catholici, Sacerdotum nostrorum filii, per recens editam Constitutionem ea sunt privati. Opprobrosae hujus cladis non aliam ar-

[77] Forsan agitur de Comitiis electionis Regis Stanislai Poniatowski, in quibus s. d. Pacta Conventa novo Regi imponenda et acceptanda formabantur.

bitramur causam esse, nisi quod Episcoporum nostrorum nullus in Senatu sit, qui spartham nostri tueatur. Et quamvis Rutheni nostri circa accessum ad Unionem cum Sancta Romana Ecclesia, a Sigismundo III Poloniarum Rege speciali Diplomate cum Latinis in omnibus fuerint coaequati, eodemque diplomate declaratum sit Episcopus nostros, pari cum latinis Episcopis Jure Senatoriae Dignitatis praerogativa frui deberent, haec tamen declaratio, etsi per authoritativam instantiam s. m. Clementis PP. VIII aliorumque Sanctitatis Vestrae Praedecessorum ad praefatum Regem pro eis interpositam suffulta,[78] solemni pro tunc R.mi Nuntii Apostolici promissione assecurata, ex multisque Privilegiis et juribus nobis faventibus indubie sperari licita, ob varias rerum, temporumque vicissitudines, et praesertim ob Schismaticorum pro eo tempore praevalentiam, effectum suum adusque non est sortita. Quapropter supplices Beatitudinem Vestram exoramus, ut pro Paterna sua erga nos, Ritumque nostrum clementia ad neo-electum Serenissimum Regem nostrum, totamque Rempublicam Polonam, quatenus et Constitutionem suprafatam Ritui nostro Catholico, Privilegiis ad Diplomatibus primitivis summe praejudiciosam, multorum animas in discrimen et periculum inducentem, vicinsque Schismaticis nobis exinde subsannantibus aperte scandalosam revocare, et nosmet ipsos genere et fide Episcopis latinis per omnia pares, ad tenorem iteratarum appromissionum suarum, Ordini Senatorio adscribere velint, suprema officia sua efficaciter interponere non dedignetur. Praerogativam hanc non ullius ambitus causa, sed solius Fidei, Ritus, juriumque nostrorum diffensionis gratia praestolamur; auctò enim in Senatu Ecclesiasticorum numero augebuntur et suffragia pro Fidei Catholicae integritate, et communi Immunitatis Ecclesiasticae undique impugnatae libertate conservanda ac manutenenda decernentia. Peculiarem hanc Sanctitatis Vestrae gratiam enixissime dum effligitamus, in osculo Pedum, cum ... (f. 160 v.) permanemus.

Beatitudinis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi humillimi servi et exoratores

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus t. Russiae
Iason Smogorzewski, Archiepiscopus Polocensis
Leo Szepticki, Episcopus Leopoliensis, Coadjut. Metropol.
Antoninus Mlodowski, Episcopus Turoviensis, Coad. Pinsc.

* * *

Item ad Em.mum et Rev.mum Cardinalem Albani,[79] Protectorem Regni Poloniae.

Em.me ac Rev.me Domine, D.ne, Patrone Colendissime.

Circa accessum Praedecessorum nostrorum ad Unionem cum S. Romana

---

[78] Temporibus Unionis Berestensis ann. 1595-1596; cfr. Brevia Pontificis de dat. 7 februarii 1596 etc.

[79] Joannes Franciscus Albani, romanus, creatus Cardinalis die 10 aprilis 1747, ab anno 1760 tit. Sabinen., ab anno vero 1775 Ostien.; obiit die 17. IX. 1803.

Ecclesia, iisdem quatenus in S. Catholica Fide permansuris appromissum fuit tam a Regia Majestate Sigismundo III quam a B.mo s. m. Clemente VIII Pontifice Maximo, inter caetera alia, Senatoria quoque Dignitate Episcopos nostros Unitos ornandos fore. Appromissio haec pluries iterata, immo et juramentis firmata, propter varias rerum et temporum vicissitudines adusque executioni non est demandata. — Tardata autem ignominiosissimam Ritui nostro intulit cladem, et viam Unionis iis, qui ad gremium Sanctae Matris redire sperabantur, praecludit. Cum enim in Senatorio Ordine nullum Ritus nostri Antistitem habeamus ex officio defensorem, in Comitiis proxime praeteritis in saeculis inaudita prodiit Constitutio, legitimos Sacerdotum nostrorum filios subditatui respectivis eorum Patronis subiiciens; sicque liberos de liberis parentium lumbis procedentes, ac juribus naturali, ecclesiastico, et Regni in libertate gaudentes, servili jugo adscribens. Constitutio haec Ritui nostro opprobrium, animabus multorum periculum, vicinis disunitis sandalum praebens, contra plurima privilegia Regum, et Magnorum Ducum, Russiae Haeredum efformata, occasionem nobis dedit fortius efficaciusque appromissam Senatoriae Dignitatis gratiam praestolandi, non ambitus vani causa, sed Fidei, Ritus, iuriumque nostrorum tuendorum gratia; aucto enim Ecclesiasticorum in Senatu numero, augebuntur et suffragia pro Fidei Catholicae integritate, et universali Immunitatis Ecclesiasticae in Regno nostro libertate militantia. Hanc nostri promotionem tam ad Serenissimum neo-electum Regem, quam ad Senatores, et Regni Proceres ferventissimis exposcimus precibus, pro qua perennem habituri gratitudinem in osculo Sacrae Purpurae cum profundissima veneratione manemus. —

Subscript. ut supra.

56.

Volodimiria, 15. XII. 1764.

De protectione Ecclesiae Unitae et de inhibendo transitu ad Ritum Latinum.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruten*, vol. 9, fol. 236rv, 239rv.

Sanctissime Domine, Domine Clementissime.

Ab ea hora, qua, providissimo Superum consilio, Supremum Vicarij Christi munus Sanctitati Vestrae delatum fuisse,[80] non absque ingenti voluptate cognoveramus, certam spem concipere non dubitavimus, Orthodoxam Russiam olim sub Clemente VIII, gloriosissimo Beatidunis Vestrae Praedecessore, sincero unitatis ecclesiasticae, et verae devotionis vinculo Apostolicae Romanae Ecclesiae conjunctam,[81] infinitis prope calamitatibus, persecutionibus, et aerum-

[80] Clemens PP. XIII, electus die 6. VII. 1758.

[81] Unio Berestensis anno 1595-96 inita, temporibus Clementis PP. VIII, qui professionem fidei Episcoporum Legatorum die 23 decembris 1595 recepit, et plurima edidit documenta Unionem spectantia. Cfr. in nostra collectione: *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae.

nis concussam, oppressam et afflictam, sub benignissimo tandem Clementis XIII imperio, ad pristinum suum splendorem, fere jam ab interitu redituram. Non satis enarrare valemus Beatitudini Vestrae, quot, et quam vehementes schysmatis integra, eaque ingenti Moschoviae Imperij potentia fretos impetus orthodoxa Ruthenorum Ecclesia pertulit, sustinuitque; omni humana ope destituta, et quod absque lacrymis commemorare nequimus, tunc ferme, dum in deffendenda orthodoxa Religione sudorem sanguinemque abunde profunderet, domesticis etiam afflictionibus exagitata, etsi ingenti suorum jurium et Ritus detrimento admodum vulneraretur, a propugnanda tamen S. Unionis causa, provehendisque et ampliandis Orbis Catholici finibus avocari neutiquam valuit. Tunc enim sane, cum maxima vi, et periculo cum Schysmaticis illi dimicandum esset, non postremam Catholicorum Ruthenorum partem a quibusdam Ecclesiasticis Latino-Polonis ad Ritum Latinum traductam sensit. Non omiserunt equidem Rutheni Episcopi, coram hac Sacra Communi Graecorum et Latinorum Matre, Apostolica Romana Sede, frequenter conqueri, exposueruntque non semel inique secum a suis in Religione Catholica Confratribus agi, sanguinis et sudoris proprij fructu se spoliari, jurisdictionem eorum hac Ruthenorum a Ritu Graeco abductione imminui, et quod sine dolore proferri nequit, ingens ipsis Schysmaticis scandalum praeberi. Nec defuit Sacrae Romanae Ecclesiae, uti matris Ruthenorum pientissimae (f. 236v) eximia cura, sollicitudo, et providientia, quibus oppressos hac calamitate Episcopos Ruthenos saepius sublevare, arbitrariam Ritus mutationem cohibere,[82] eosque qui cupiditate alieni Juris accensi Ruthenos ad Ritum Latinum pertrahentes ingentia Ruthenae Ecclesiae vulnera inferebant, frenare non dubitaverat. Haec S. Apostolicae Sedis aequanimitas, qua suum unicuique jus intactum esse semper voluit, ad eam agendi atrocitatem hostes Ruthenorum permovit, ut vulgatis famosis contra Ruthenos Catholicos libellis, non modo eorum famam, bonam existimationem expugnare conati sunt, verum etiam Serenissimi Regis nostri vota eo tendere publicarunt divulgarumtque, ut Ruthenis Catholicis, jurisdictione suorum Pastorum arbitrarie excussa, deserendi pro libitu Ritum proprium libertas relinquatur, quo sane rumore innumeros ad Ritum Latinum pertraxerunt, ex ijs praesertim, qui eruditione praestantiores, impensisque Ruthenorum educati, Ordinem Ecclesiasticum profiteri in animum induxerant, quique Ruthenae Ecclesiae, uti idoneorum Sacerdotum copia ob paupertatem Beneficiorum destitutae, procul dubio opem adtulissent, ni pinguioribus commodioribusque Latini Ritus Beneficijs de libertate transitus a Ritu Graeco persuasi, ad Ritum Latinum traducti forent, et indies traducerentur. In tali rerum statu nos defendemus nobis, Sacramque Regiam Majestatem humillimis precibus compellavimus flagitantes quatenus Rex Serenissimus suam hac super re mentem nobis ipsique Sanctitati Vestrae aperire dignaretur; quo

---

[82] Praesertim temporibus Urbani PP. III; cfr. decretum S.C. de Prop. Fide die 7 februarii 1624, et alia quam plurima documenta Pontificia, quorum textus extant in nostra Collectione; cfr. *Documenta Pontficum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, Romae 1953-1954

facto Princeps Justitiae, et aequitatis amantissimus, precibus nostris auditis, examinatisque, facile intellexerit, ejusmodi quaestionem ecclesiastici plane juris esse, et ad S. Apostolicae Sedis judicium ex integro pertinere; et quidquid hac super re a Sanctitate Vestra statutum fuerit, id justum et aequum fore, votisque suis Regijs ex integro responsurum (f. 239) declarare non dubitavit, atque super ejusmodi negotio literas ad Sanctitatem Vestram exaratas ad manus nostras transmittere clementissime dignatus est. Quas quidem literas per Emissarium nostrum Rm. Andream Jakubinski, Curiae Episcopalis Premyslien. Auditorem Generalem ad Paternum Sanctitatis Vestrae Sinum transmittendo, allatas jam toties preces nostras innovamus supplices, quatenus Sanctitas Vestra, Dominus noster Clementissimus, has orientalis Ecclesiae relquias in orthodoxa Ruthena Ecclesia superstites ad aeternum S. Universalis Catholicae Ecclesia decus a proximo interitu vindicare, nostramque jurisdictionem, cui cupiditas hostium nostrorum securim ad radicem apponit, prohibito ovibus nostris arbritrario a Ritu Graeco transitu, sartam et integram conservare velit. Injicietur hac ratione opportunum cupiditati alienae frenum, pax et tranquillitas inter utrumque, Latinum scilicet et Graecum Ritum efflorescet, cum ubere Religionis orthodoxae incremento, ubi illecebris cupiditatis prorsus amotis, Ecclesiastici utriusque Ritus sincera charitate conjuncti, geminatas vires a mutuis discordijs ad propulsandos Catholicae Ecclesiae hostes convertent; tandem ipsi Schysmatici facilius intelligent, non sacros orientalis Ecclesiae Ritus, sed perversa eorum dogmata ab Apostolica Sede improbari nec frustra s.m. Paulum V. Papam, de anno 1615, suis Apostolicis literis declarasse: constabilitam Ruthenorum cum S. Romana Ecclesia unionem nequaquam esse medium excogitatum ad Ritus Graeci in Regno Poloniae extinctionem consequendam. Quod superest felix et quam diutissimum Orbis Catholici Regimen publico Ruthenae Ecclesiae voto Sanctitati Vestrae apprecamus.

Die 15 Xbris 1764. Vladimiriae.

Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi

Scabella pedum et Exoratores continui

Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp)

Leo Ludovicus Szeptycki, Episcopus Leop. H. C. Nominatus Coad.

Antoninus Mlodovsky, Episcopus Turovien. Coad. Pinscen.

Sylvester L. Rudnicki, Episcopus Luceor. etc., Exarcha totius Russiae (mp.)

Maximilianus Rylo, Episcopus Chelmensis.

Heraclius Lisanski, Nom. Archiepiscopus Smolescen. et Sev. (mp).

Hypatius Bilinski, Ord. S. Basilij Magni Congr. Ruthenorum Protoarchimandrita (mp).

Gedeon Beyner, Abbas Zydyczynen. Ord. S.B.M.

Josaphat Siedlecki, Ord. S.B.M. Abbas Ourucensis (mp).

Ignatius Ulinski, Ord. S.B.M. Abbas (mp).

Augustinus Nowosielski, O.S.B.M. Archimandrita Kobr. (mp).

Alexander Jodko, O.S.B.M. Archimandrita Dermenensis, Dubnensis et Sanctae Crucis (mp).

Si è scritto a Mr. Nunzio di Polonia pro informatione, li 24. 7bre 1765.

57.

Volodimiria, 19. IV. 1765.

De Synodo Provinciali celebranda.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 9.

Ill.me, Excell.me, Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.[83] Transmittente Ill.mo Rev.mo Episcopo Turoviensi[84] ad Ill.mam, Rev.mam Excellentiam Vestram exemplar Decretorum Synodalium, factorum per Consultationes Synodales in Curia mea absolutas, id quod mearum partium est, qua debeo reverentia, adimplens, humillissime Excelentiam Vestram Ill.mam Rev.mam obsecro, quatenus diem pro Synodo nostra Provinciali celebranda designare dignetur,[85] pro qua Litteras Convocatoriales ad Brestensem, prout Varsaviae jam fuit constitutum, Civitatem expedire, et iis ad quos spectabunt transmittere valeam. Ut autem commoditati vocandorum ad Synodum consulatur, magis idoneum, et accomodatum tempus mea sententia constitui non potest, quam si dies 26 Augusti, iuxta novum Calendarium, in Festum Graecorum Assumptionis Deiparae incidens, pro inchoanda Synodo eligatur, eo quippe tempore et acris temperies, et annonae post fruges jam collectas abundantia, et ab operibus familiaribus peractis otium, omnem vocandis veniendi ad Synodum facilitatem praestabunt. Hanc meam sententiam arbitrio Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae libens submitto, et quidquid Ill.ma, Rev.ma Excellentia Vestra constituerit, omni ablata mora adimplere non omittam, ut Ill.mi Episcopi, praesertim longinquiores de tempore Synodi celebrandae praescripto certiores facti, tempestive opportunas, nec non pro suis diocesibus, et pro itinere peragendo dispositiones, quemadmodum a me postularunt, facere queant. Maneo tandem paratissima ad omnes nutus voluntate et cultu profundissimo

Ill.mae, Rev.mae Excellentiae obsequentissimus et humillimus servus

F. Wolodkovicz, Archiepiscopus et Metropolitanus Russiae

19 Mensis Aprilis, 1765 a. Vladimiriae.

58.

....., *2. V. 1765.*

De Synodo Provinciali celebranda.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol 85.

Wiwczaruk S. *De Synodo Provinciali Berestensi anno 1765 non celebrata*, Romae I993, p. I56.

---

[83] Nuntio Varsaviensi.

[84] Antonius Mlodovskyj, tunc iam Coadiutor Volodimiriensis.

[85] Synodus designata revera fuit pro die 26 augusti 1765, sed nunquam celebrata ob interferentias auctoritatis civilis in res ecclesiasticas; cfr. de hac Synodo opus S. Wiwczaruk, *De Synodo Provinciali Berestensi anno 1765 non celebrata*, Romae 1963, ubi etiam imprimitur textus Actorum antesynodalium.

Serenissime ac Potentissime Rex.

Cum jam regnante Augusto III felicis recordationis a pie functo totius Russiae Metropolitano, praedecessore meo,[86] destinatum fuisset Synodum Provincialem convocare, ad disciplinam et commoda Ritus nostri Rutheni-Uniti promovenda, statim ac ego Metropoliae administrationem adeptus fui, hoc tam sanctum ac necessarium opus, quod ille fato interceptus nequivit executioni demandare, cogitavi, quod iam factum fuisset anno elapso, nisi Interregni difficile tempus intervenisset. Nunc vero cum divino summo beneficio Majestas Vestra Serenissima in solio Regni nostri sit collocata, cujus virtute et sapientia omnia iam sunt tuta atque tranquilla, consilium Synodi convocandae renovavi, (f. 85v) sperans Excell.mum et Rev.mum Nuncium Apostolicum, a Summo Pontifice Praesidem designatum, diem 26-tam Augusti proximi pro eius inchoatione Brestiae assignaturum esse, Maiestati Vestrae Serenissimae, cujus Catolicae Religionis zelus, veraeque pietatis cultus ac studium primas esse virtutes omnibus constat, non solum id nequaquam grave futurum, quinimmo maxime laetitiae fore confido, ut Unionis nostrae sanctae disciplina decusque serventur. Quam ob rem humillime supplico ut in hoc gravi negotio omni auxilio protectioneque sua Regia nos impertiri dignetur.[87] Illa enim et Maiestati Vestrae Serenissimae summam gloriam, nostroque Ritui utilitatem decusque non mediocre erit allatura. Clementia et benignitas sua maxima spem mihi certam facit hanc nobis gratiam non denegatum iri, quapropter devotissimam meam obsequentiam sinceramque fidelitatem ipsi confirmans, etc.

Contenuto della lettera fatta scrivere dal Metropolitano al Re per fargli parte del Sinodo che si voleva tenere.

59.

Volodimiria, 22. V. 1765.

De convocatione Synodi Provincialis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 12.

Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine, Domine Patrone Colendissime.[88]

Quoniam, ut mihi videbatur, sic Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae placuit, futuram Synodum nostram pro die vigesima sexta mensis augusti juxta novum, 15-ta vero juxta vetus Calendarium indicere, et convocare, proinde quam primum ex epistola sua de huiusmodi beneplacito certior factus sum, Litteras Convocatoriales exemplari quod Ill.mus Dominus Episcopus Turoviensis ab Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma accepit omnino conformes, ad effectum opportunae ac debitae intimationis, praesenti cursoria ad omnes et

---

[86] Florianus Hrebnyckyj, Metropolita Kioviensis (1748-1762).

[87] Ob nimium zelum Regis Synodus non fuit celebrata, ob conditionem positam de interventu personarum non ecclesiasticarum in acta Synodi. Cfr. supra, nota 85.

[88] Nuntio Varsaviensi, Antonio Eugenio Viscorti (1760-1766).

singulos Ill.mos Dominos Episcopos Suffraganeos meos transmisi. Quod dum executus sum, restat ut constanti animo gratiae suae me commendem, prout reipsa commendo, maneoque cum plenissima veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae colendissimus, obsequentissimus, humillimus servus

F. Wolodkovycz, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae.

Vladimiria, die 22 Maji 1765.

60.

Volodimiria, 22. V. 1765.

Convocatio Synodi Provincialis Ecclesiae Unitae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 79-80.

Wiwczaruk S. *De Synodo Provinciali Berestensi anno 1765 non celebrata*, Romae 1963, p. 154

Felicianus, etc.

Ill.mis, Perillustribus, Rev.mis, admodum Reverendis, Reverendis Dominis Archiepiscopis, Episcopis, Proto-Archimandritae, Archimandritis, Provincialibus, Consultoribus Synodalibus, Consultoribus Ordinis Monastici tam Generalibus quam Provincialibus, Delegatis Diaecesum ad futuram Synodum eligendis, omnibus et singulis jus interesse Synodo habentibus, notum facimus, quod etsi anno proxime elapso 1764 non intermiserimus, prout muneris nostri Archipastoralis ratio postulabat, Synodum Provincialem convocare Litterasque Convocatoriales anno eodem 1-ma Januarii extraditas ad eos, quorum intererat transmiserimus, in quibus et rationes convocandae Synodi exposuimus, et quibus praemissis diligentiis ad eam celebrandam accedere constitueremus, satis luculenter enarravimus; sed deinde Respublica in interregno posita suisque rebus consulens nostras etiam curas ad invigilandum negotiis S. Unionis et Roxolanae, cui immerito praesumus, Ecclesiae avocaret, non modo de nostra, verum etiam Excell.mi, Ill.mi, Rev.mi Domini Nuntii Apostolici, quem S. Apostolica Sedes, ut paternae erga gentem nostram caritatis testificationem faceret, in Praesidem futurae huius Synodi designavit, sententia, eiusdem Synodi celebrationem ad terminum Interregni distulimus; cum vero in praesentiarum Divina erga hoc inclytum Regnum (f. 79) Providentia Serenissimum et Potentissimum Principem Sanislaum Augustum orbatae Reipublicae in Patrem et Regem desideratissimum designaverit, ejusque clementissimi ingenii cum publica tranquillitate et prosperitate juncti fascibus nos subjecerit, mox eo studia nostra convertimus, ut prorogatam ad feliciora, quibus jam Deo miserante fruimur, tempora, Synodi convocationem perficeremus. Quocirca implorato Divinissimi Spiritus auxilio, re collata ac de expresso placito Ill.mi, Excell.mi ac Rev.mi Domini Nuntii Apostolici, uti specialiter ad hanc nostram futuram Synodum authoritate Apostolica Delegati Praesidis, eandem Synodum indicendam et ad civitatem Brestensem in Magno Ducatu Lithuaniae sitam pro die 26 mensis augusti anni praesentis, iuxta Calendarium Romanum, convocan-

dam esse duximus, prout de facto indicimus et convocamus per praesentes litteras nostras, requirentes ab Ill.mis, Perillustribus, Rev.mis, admodum Reverendis, Reverendis Dominationibus Vestris, quatenus memores suorum respective, accedendi ad Synodum, ubi vocati fuerint, emissorum Juramentorum, ad civitatem Brestensem pro die supra memorata se conferant, et in loco (f. 80) Synodo celebrandae assignato compareant, de rebus Sanctae Unionis et Orthodoxae Ruthenae Ecclesiae consulturae. Aeternus Pater luminum, a quo omne donum perfectum descendit, veri pietatis, zeli, et amoris erga Sponsam Christi Ecclesiam ardore corda nostra accendat, spiritu humilitatis, discretionis et studii in procuranda ovium nobis commissarum salute nos impleat, et ubi in nomine Christi congregati fuerimus, in medio nostrum praesens adsit, cogitationes nostras dirigat, intentiones rectas faciat, et pia desideria ad laudem et honorem Nominis Sui directa perficiat. Dabantur ad Cathedram nostram Vladimiriensem, anno etc. die etc. mensis etc.

61.

Kupieczovia 13. VI. 1765.

De difficultatibus in Synodo Provinciali celebranda.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsvia*, vol. 99, fol. 13.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.[89]

Novas et insperatas difficultates, circa celebrationem indictae Synodi, ex iudicatis Tribunalis Regni pattulantes, attulit mihi hesterna die Plenipotens meus Leopoli residens: Judices nimirum praedicti Tribunalis, seu ex malevolo bonum publicum Ecclesiae Ruthenae invidente instinctu, seu ad instantiam adversarum Partium, ex absentia mea iniquum lucrum sperantium, seu tandem aliis de causis, soli Deo notis, aliquot commissiones et inquisitiones in bonis Ucrainensibus peragendas, prohibitis omnibus dilationibus et limitationibus, sub illud tempus designarunt, quo celebratio nostrae Provincialis indicta est. In his judiciis commissorialibus comparere personaliter ad emittenda lege Patriae praescripta Juramenta, uti istorum Bonorum actor, teneor; causae sunt magni momenti, nec sine gravi, et irreparabili Ecclesiae damno Decretis in iis latis contravenire possum; aperiebat equidem Plenipotens meus, allatas fuisse contra hos terminos, uti in tempus celebrandae Synodi incidentes, debitas exceptiones, sed nullo fructu, quocirca eadem Decreta ad manus Perillustris Domini Sacrae Nuntiaturae Cancellarii transmitto, eiusque operam imploro, ut Jurisperitorum Varsaviensium consilia exquirant: An implorata Authoritate Regia, aut aliis modis hanc obligationem comparendi personaliter in dictis Judiciis commisorialibus effugere possim? Quandoquidem nec ego a Synodo abesse valeo, nec absque gravi damno, et dedecore Ecclesiae indicta adeo solemniter

[89] Nuntio Varsaviensi.

Synodus differri potest, praesertim cum et sinistris interpretationibus talis dilatio fortassis occasionem tribueret, et res nostras procul dubio pessundaret. Non omittam et ego ulteriores in conquirendis iurisperitorum consiliis diligentias adhibere, quodsi nullum his malis remedium adinveniri valebit, consequens supererit necessarium, et indispensabile, ut (f. 13v) Ill.mus Coadiutor meus Metropoliae, Episcopus Leopoliensis,[90] meis in loco necessariis expensis erogandis, dicta Judicia Commissorialia in Ukraina adeat, corum felici successui invigilet, et uti nominatus, institutus et juratus adiutor, requisita Juramenta expleat; quemadmodum et ego sub defuncto predecessore meo, Coadiutor eiusdem existens, faciebam, absque ulla adversarum partium contradictione; istud medium reliquis aliis factis securius, et facilius esse existimo, cum nec Synodo aliquid officiat eamque infirmabit unius Episcopi absentia, ob graves has causas per Excellentiam Vestram Ill.mam, Rev.mam uti spero probandas, nec integritati consiliorum quidpiam deerit, ubi projective formatae Leges omnibus Episcopis jam sunt communicatae, et si quid alicuius Episcopi judicio improbandum esset, poterit etiam absens sensum suum et opinionis suae rationes in scriptum redactas per aliquem e clero suo ad Synodum transmittere. His omni qua debeo reverentia expositis, gratiae et benignitati Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae me impense commendo, et paratissimis ad omnes nutus obsequiis maneo

Ill.mae, Excell.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae humilissimus et obsequentissimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae.

Die 13 Junii, 1765 a. Kupieczovia.

62.

Kupieczovia, 7. VIII. 1765.

De convocanda Synodo Provinciali.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 21.

Ill.me, Excell.me, Rev.me Domine, Domine Patrone Colendissime.

Tentatis multiplicibus mediis, cum nullum ad usque modum reperire valuerim, quo me a necessitate personalis comparitionis in commissionibus ucrainensibus, per Tribunal Regni sub tempus indictae Synodi designatis, expedire possem; cumque Ill.mi, Rev.mi Episcopi Leopoliensis et Premisliensis[91] iisdem difficultatibus impeditos se esse affirmant, et insuper asserant Decreta Projectiva,[92] formata in Congregationibus ante-synodalibus emendatione indigere,

---

[90] Leo Szeptyckyj.

[91] Leo Szeptyckyj, et Athanasius Szeptyckyj (1762-1779).

[92] Cfr. in libro S. Wiwczaruk, *De Synodo Provinciali Berestensi anno* 1765 *non celebrata*, Romae 1963, pag. 111-150.

simulque a me requirant, ut Synodi celebrationem differam, quo maturius materiae synodales examinari, et projectiva Decreta reformari, et emendari possent, quocirca ne ulterioribus querelis occasio praebeatur, audito Ill.morum, Rev.morum Luceoriensis et Brestensis, Coadiutoris mei Vladimiriensis, Episcoporum, consilio, Synodum ad annum prorogandam et in diem 26 Augusti 1766 anni transferendam esse etiam ob debilitatem meam existimavi. Hanc animi mei sententiam Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae (f. 21v) defero, et paratissimo ad omnes nutus obsequio jugiter maneo

Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae addictissimus et obsequentissimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae

Die 7 Augusti, 1765 a. Kupieczovia.

63.

Volodimiria, 6. VIII. 1765.

De statu rerum ecclesiasticarum in Russia Alba quoad Latinos, Unitos, et non Unitos.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 9, f. 449-450.

Eminentissimi, Rev.mi Principes.

Quae Schismati extirpando, promovendaeque Sanctae in partibus Russiae Unionis plurimum conferre possunt, ratio mei muneris Metroplitani exigit, ut Eminentijs Vestris, quarum zelus in propaganda orthodoxa Religione per universum Catholicum Orbem celebratur, ea qua debeo reverentia exponam. In amplissima Albae Russiae Imperio Moschoviae finitima Provincia, extat Regia Civitas Mohylovia nuncupta, copia civium, et opibus florens, eo prae alijs infelicior, quod in ea schisma nidum sibi construxerit, Episcopum quippe Schismaticum fovet, qui pestem schismatis longe lateque per Albam Russiam diffundere curat. Opponebant se equidem hostilibus hujus Pseudo-Episcopi factis Archiepiscopi Polocenses, ejus orae Pastores, verum potentia finitimi schismatici Imperij freti nihil efficere valuerunt. Episcopi quoque latini Vilnenses, quorum Dioecesis, et Jurisdictio super Latino Ritu viventes per Provinciam Albae Russiae extenditur, non omiserunt olim Rei Catholicae in iis oris promovendae operam adhibere, fundarunt quippe suffraganeatum Albae Russiae, nominando in Suffraganeos, quos zelo in promovenda Catholica Religione conspicuos esse videbant, eosque necessario proventu de aerario suo providerunt, ut in Alba Russia residentes, illam longinquam a Sede Episcopali Vilnensi oram Pastorali sollicitudine a Schismatis, et Haeresis incursionibus propugnarent. Verum successu temporis factum est, ut Suffraganei Albae Russiae, titulo Episcopatus in Partibus cum charactere Episcopali a Sede Apostolica decorati, Vilnae perpetuo residerent, et raro oras Albae Russiae inviserunt. Quocirca sub tempus Comitiorum Regni, post peractam Serenissimi Regis moderni Coronationem, absolutorum, promoto Ill.mo, Rev.mo D. Giedroyc, Suf-

fraganeo Albae Russiae, ad Episcopatum Livonaie, curas meas adhibere non omisi, ut Rev.mus Janusius Zienowicz,[93] Canonicus Cathedralis Samogitiae, e Senatoria stirpe oriundus, consanguineorum potentia in Alba Russia fretus, zelo, et pietate vir insignis, ad (f. 449v) Suffraganeatum Albae Russiae proveheretur. Causae, quae me ad hoc impulerunt, fuere: primo, quod dictus Rev.mus Canonicus, uti ecclesiae curatae Mohylovien. Praepositus, continuo in Civitate Mohyloviae resideret, et Episcopali Dignitate ornatus facilius Pseudo-Episcopi Schismatici inimicis Rei Catholicae conatibus resisteret; exinde altera ratio me movit, quod ab aliquot annis ecclesiae Parochiali Mohyloviensi praepositus, non modo strenue, verum etiam feliciter cum hoc hoste Ecclesiae, cum periculo vitae, et detrimento fortunarum suarum decertaverit, opem ipsi ferentibus praecipuis e nobilitate illius Regionis sanguine sibi conjunctis viris, qui eo majores conatus in eodem juvando, et Religione Catholica promovenda impendent, ubi eum viderint in praemium eximij zeli, et in propaganda Sancta Unione studij Infulis episcopalibus decoratum; *3tio*, tandem, quod Episcopo Schismatico multum de auctoritate, quod maxime Schisma fovebat, et catholici in metu continebantur, in illa Regione decedet, ubi in eadem Civitate Catholici viderint Episcopum Orthodoxum potentia sanguinis, nobilitate, et zelo cum prudentia conjuncto praestantem; accessit postremo ratio non spernenda, quae undequaque in emolumentum religionis cedet: Ille quippe Pseudo-Episcopus[94] Bona Archimandriae meae Kyovopeczarensis, et ex proventibus dictorum Bonorum unicum vivendi modum possidens, est a me hoc anno pro restitutione dictorum Bonorum ad supremum Magni Ducatus Lithuaniae Tribunal citatus, nec despero imminuta per praesentiam Episcopi Catholici in Civitate Mohyloviae ejus authoritate, ubi dictis Bonis, Deo juvante, spoliatus fuerit, eundem ad eas angustias redactum iri, ut vel Religionem Catholicam amplexus, Reliquiis Schismaticis ad conversionem exoptatam praeeat, aut omni ad vivendum pro statu episcopali adminiculo spoliatus, e civitate Mohyloviae excidet. His omnibus rationibus adductus, omnia quae potui adtribui media, ut Ill.mum, Rev.mum Episcopum Vilnensem ad conferen. (f. 450) dicto Rev.mo Canonico Suffraganeatum Albae Russiae flecterem, et interpositis gravissimorum virorum nec non praecipuorum Regni Optimatum officiis, promissionem ab eodem Ill.mo Episcopo Vilnensi obtinui, sed cum modo certior fio Illust.mum Rev.mum Episcopum Vilnensem, suae sponsionis immemorem, intendere ut dicto Suffraganeatu alius quispiam e Religione Conventualium Franciscanorum potiatur, qui semper in Curia Episcopali praesens praecipuum, ut audivi, apud Ill.mum Episcopum Vilnensem rerum Administrum agit, proinde dolens vehementer hanc optimam Rei Catholicae promovendae occasionem negligi, haec omnia Eminentiis Vestris exponenda esse censui, supplex obsecrans, ut verificatis a me hic expositis, velint authoritate sua efficere quatenus praelaudato

---

[93] Nomen Janusii Zienowicz non invenitur in elencho Episcoporum tunc temporis.

[94] Tunc temporis erat Georius Konyskyj, episcopus non unitus Mohiloviensis (ab an. 1755), dein cum titulo Mscislaviensis (ab anno 1768), et demum ut Archiepiscopus Mohiloviensis.

Rev.mo Canonico Janusio Zienowicz Suffraganeatus Albae Russiae concedatur. Quod superest, Deum Optimum Maximum oro, ut Eminentias Vestras ad incrementum Orthodoxae Religionis prosperas, inque longam annorum seriem incolumes servet, manens

Addictissimus et humillimus servus Eminentiarum Vestrarum
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolita t. Russiae

Die 7 Aug., 1765 anno. Vladimiriae.

64.

Volodimiria, 7. VIII. 1765.

Transmittit Praefecto S.C. de Prop. Fide informationem de Alba Russia et petit ut causa promoveatur.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 9, f. 448.

Ill.me, Excell.me, Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Optimam Rei Catholicae provehendae occasionem videns,[95] statum integrum negotij Eminentissimis Rev.mis Dominis meis rebus Propagandae Fidei praepositis, ea qua debeo fidelitate exposui, supplex Ill.mam, Rev.mam Excellentiam obsecrans, quatenus sua gravissima qua pollet authoritate preces meas allatas protegere dignetur.[96] Cedet id in emolumentum Sanctae Unionis, et integra Orthodoxa Russia vero gratitudinis vinculo Excellentiae Vestrae Ill.mae, Reverendissimae obstricta manebit, ego vero eximiorum Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae beneficiorum jugiter memor, omnibus ad quosvis nutus obsequiis testatam reddam eam singularem observantiam, et devotionem, qua sum

Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae addictissimus et obseq.mus Servus
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae (mpr).

Die 7 Aug., 1765 anno. Vladimiriae.

65.

Volodimiria, 5. IX. 1765.

Commendat P. Bilinski in Archimandritam Unioviensem et petit ne reliquiae B. Josaphat distrahantur.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 110, fol. 467rv.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.

Fama publica volat acsi Rev.mus in Cristo Pater Ambrosius Turzanski, Abbas Unioviensis Ordinis Basiliani, fatis cederet. Quodsi Divino Numine disponente ita fuisset, anticipative humillimis hisce precibus meis Ill.mam ac Rev.mam Excellentiam Vestram praevenio, ut casu quo et vel maxime ex ra-

---

[95] Cfr. litteram praecedentem, datam Emm.mis Cardinalibus S.C. de Prop. Fide, hac eadem die 7 Augusti 1765; et nunc refert de his ad Secretarium Congregationis.

[96] Marius Marefoschi, Secretarius (1759-1770).

tione propinquitatis Ill.mus ac Rev.mus Dominus Coadiutor meus Metropolitanus[97] (: qui praeter Episcopatum Leopliensem satis reditibus provisum adhuc Abbatiam Mielecensem non exigui proventus in Dioecesi mea praesenti iam obtinet :) apud Sacram Regiam Maiestatem pro obtinenda pro se nominatione Regia passum faceret, apud eandem dignetur benigne auctoritate apostolica ponere obstaculum, et in locum Defuncti dignissimum nobilitate, et meritis in Religione virum Rev.mum Hyppatium, modernum Congregationis Ruthenorum Protoarchimandritam,[98] Sacrae Regiae Maiestati commendare. Qua de re licet ipse ad Ill.mum et Rev.mum Dominum Procancellarium Regni favore dignissimi, et meritissimi istius Praelati scribo, nihilominus apostolica Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae pro illo officia spero maiorem ubique vim et efficaciam habitura.

Alterum est: Quod cum ex fida dignaque relatione hisce diebus cognoverim Celsissimum Principem Radziwill sub praeterito Interregno Sacra Lypsana Beati Josaphat, Martyris, Archiepiscopi Polocensis, ex Capella sua Albae Ducalis[99] ad monasterium Basilianorum Provinciae Lithuaniae ibidem situm transportasse et deposuisse, proinde ne per monachos illius alicui subsint casui, et in partes distrahantur, pariter Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae supplicandum esse censui, ut ad omnem meliorem finem, casu quo dicti monachi pro more suo solito aliquam difficultatem facerent, dignetur me tamquam Ordinarium loci praesentis pro obsigillatione dictarum Reliquiarum praemonere, et ad id facultatibus necessariis et opportunis munire. Quam gratiam uti merito obtinere spero, ita profiteor quod sim in summa et omnimoda veneratione

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae addictissimus et obsequentissimus servus humillimus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metrop. (mp)

Die 5 7-bris 1765 anno. Vladimiria.

66.

Kupieczovia, 17. IX. 1765.

De transitu ad Ritum Latinum, et aliis negotiis minoris momenti.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 119.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Quamprimum post tot negotiorum distractiones et gravissima viarum in-

---

[97] Leo Szeptyckyj, Episcopus Leopolien. (1749-1779).

[98] Hypatius Bilynskyj, Protoarchimandrita Ordinis Basiliani duabus vicibus: 1747-1751 1759-1771: Archimandriam hanc, ut videtur, non obtinuit.

[99] Cfr. de hac translatione in « *Analecta OSBM* », series I, vol. I, pag. 611-613, ex manuscripta Collectione Pauli Szymanskyj. Ibidem hoc corpus permansit usque ad annum 1916, quo anno translatum fuit Vindobonam, et dein, dum haec scribimus, reliquiae S. Josaphat venerantur in basilica S. Petri Romae, sub altari S. Basilii, inde a die 25 novembris 1963.

commoda, quae et modo propter imminentes in Bonis Mensae Metropolitanae Kijoviensibus condescensiones subire cogor, requisitam de Capitulis et signanter Ecclesiae meae Vladimiriensis ex auctoribus ac Archivio ejusdem Cathedralis capere potui informationem eam praesento in seorsivis adjunctam foliis Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae reverenter transmitto.

In materia vero ulterioris prohibitionis transitus Ruthenorum ad Latinum Ritum, cum hic et nunc, nullo adhuc habito sermone cum moderno Ministerio Regni, nil certi concludere valeamus, quid praesentaneus Serenissimus Rex noster sentire possit? Proinde donec Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus modernus meus Coadjutor Vladimiriensis,[100] quem ultimis praesentis ex occasione imminentis compositionis inter Status, quatenus necessitas urgeat, expedire Varsaviam existimavi, hac super re cum praedicto Ministerio conferat, mentemque Regiam exquirat, ac me aliosque mutuum interesse habentes certiores reddat, proprio et Dominorum Coepiscoporum Suffraganeorum meorum nomine Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram enixe rogarem, ut hanc informationem ad futurum tempus, benigne dignetur suspendere; In quibus negotiis uti non postremam notitiam habentem, rogavi etiam Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Polocensem,[101] quatenus, si non propriis saltem meis sumptibus, pro praefato compositionis actu se Varsaviam conferret; verum eum facilem (f. 119v) non invenerim, ex ratione efformatae ad me praetensionis, quod credita sibi anno proxime elapso pro conficiendo ad vindicandum Senatorium Statum debito summario et informatione a me jura, quae postea non contentus acceptis a me eo fine centum viginti septem Scutis Romanis apud Dominum Slonimski advocatum Tribunalis Nunciaturae nihil mihi, quamvis, tutus adhuc Varsaviae degens, restitutionem eorundem ab ipso requiseverim, de hac praetensione innuendo pro summa centum aureorum hungarialium post meum discessum oppignoravit, eximere recusavi, habita ratione quod ad ipsius expensas, si quae pro diuturniore ab aliis ibidem residentia, nolens statim post Comitia electionis Regiae propter maximam loci distantiam ad propria discedere, et postea pro Coronatione Varsaviam venire, subire propria sponte potuisset, obligatum me minime sentiam. Quare et in hoc casu nolens eidem Illustrissimo Domino Archiepiscopo per strepitum juris ignominiam aliquam facere, humillime Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram exoro, ut ipsi exemptionem a praefato Domino advocato Slonimski et transmissionem mihi dictorum documenrorum, quorum nonnulla pro imminentibus condescensionibus sunt maxime necessaria, suprema aucthoritate sua demandare, et quatenus pro praefato compositionis actu saltem ex limitatum provenienti, si id necessitas postula-

---

[100] Antoninus Mlodovskyj, Episcopus olim tit. Turoviensis, dein vero Berestensis, ratione Coadiutoriae.

[101] Jason Junosza Smogorzevskyj, Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), dein Metropolita Kioviensis (1780-1788). Cfr. *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. VIII, Romae 1965, ubi invenitur eius brevis biographia, et documenta biographica.

verit, se conferat mentemque suam etiam in materia transitus aperiat, ac in praetensionibus disuniti Episcopi Albae Russiae Sacrae Reg. Maiestati circa instantiam Imperatricis Russiae[102] mense Julio expositis, quae potissimum (f. 120)jurisdictionem ejus afficiunt justificationem praebeat, praemonere benigne dignetur. Totum id, quod Illustrissima ac Reverendissima Excellentia Vestra praestare favebit, cedet potius in emolumentum Catholicae Ecclesiae, ac justitiae sacrae, mihi vero honori erit maximo semper id testari quod sim nunquam desituro cultu

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae devotissimus et humillimus servus

F. Wolodkowycz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae

Vladimiriae, die 7 Septembris 1765.

67.

Volodimiria, 14. X. 1765.

De difficultatibus Unionis in Comitiis Regni Poloniae, de instantiis non-Unitorum et de praetensionibus Legati moscovitici.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 7r, 8r.

B.me Pater, Domine Clementissime.

Cum Respublica nostra post felicissima Ser.mi Regis nostri Dei nutu ad Gubernacula Regni assumpti auspicia, non modo belli moto, verum etiam timore perturbandae tranquillitatis pubblicae liberata, alta pace frui cepisset, Pseudo-episcopus Schismaticus Mohiloviensis[103] officiis Serenissimae Imperatricis Russiae eiusque Ministerij Varsaviae residentis ore fretus, novum Religioni Catholicae bellum indixit. Conqueritur hic Ecclesiae Catholicae hostis, magnum ecclesiarum numerum cum populo a Schismate ad Unionem ecclesiasticam redactam fuisse. Revocat in memoriam Religioni Catholicae Grzymultoviensia pacta,[104] quorum virtute tres Episcopatus a sexaginta annis catholicos Luceoriensem, Leopoliensem, et Premyliensem Schismati deberi allegat, ecclesiarum ferme ducentarum Parochialium restitutionem urget, apostasiam, absque ullo metu poenae Legibus Patriis praescriptis permitti Catholicis Schisma amplecti volentibus postulat, ut hac ratione sternat schismati viam ad occupandos amplissimos, quos modo memoravi Episcopatus, plusquam quinque millia Ecclesiarum (f. 7v) Parochialium complectentes, in quibus, Dei favente gratia, ad praesens nec vestigium schismatis reperitur. De his certior factus imploravi zelum Ministrorum Regni nostri, ne adeo insolens Pseudo-Epi-

---

[102] Catharina II Imperatrix seu Czarina Rossiae (1762-1796). Iam tum Gubernantes Moscoviae seu Rossiae in res Poloniae immisceri coeperunt, occasione arrepta differentiarum ecclesiasticarum.

[103] Georgius Konyskyj; cfr. notam 94.

[104] S. d. «Pax aeterna» anno 1687 inita inter Poloniam et Moscoviam.

scopi schismatici postulatum audiatur et si quas a particularibus personis injurias se passum esse praetendit, remittitatur ad competens patientibus injuriam Tribunal, obsecrans ne Causa Religionis Catholicae cum particularibus factis confundatur. Verum urgente Legato Moschoviae ut desiderijs Psudo-Episcopi integre satis faciat, requisitus fui a Ministris Regni nostri, ut si quid in defensionem sacrae unionis afferendum habemus, in spatio quinque hebdomandarum afferamus. In his angustijs et periculis positus, a parato Religioni Catholicae ictu declinare constitui, afferens rationes meas Ministris Regiis quod cum intra tam breve tempus nec documenta S. Unioni faventia conquirere, nec consilium cum Episcopis meis inire, nec rem ad Sanctitatem Vestram, Dominum meum Clementissimum referre valeam, absque cujus permissione, et paterna ope negotium Religionis temere periculo exponere non possum nec debeo. Consequens erat ut Deo, religioni (f. 8r) vindici, re commendata, a Ministris Regijs postulare cogerer prorogationem termini ad ultimos dies Maij anni imminentis 1766, in quo termino obtenta a Sanctitate Vestra, Domino meo Clementissimo, facultate, ejusque validissimo fretus auxilio, eas me rationes allaturum promisi, quibus palam fiat, postulata ejusmodi Pseudo-Episcopi non modo minus attendenda, verum etiam indigna esse, ut auribus Catholicis excipiantur. Recurro itaque ad paternam Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, providentiam nomine integrae Catholicae Ruthenae Ecclesiae supplicans quatenus Ap.licis suis Literis pietatem Serenissimi Regis nostri ad tuenda Catholicae Religionis jura excitare, Ministrisque Regni nostri rem commendare, et ad reicienda Pseudo-Episcopi iniquissima postulata eosdem hortari dignetur.

Deux Optimus Maximus Sanctitatem Vestram, Dominum Clementissimum, ad felicitatem Orbis Catholici longa annorum serie incolumem servet, quam a Majestate Divina gratiam precibus meis indignis exorans, maneo in filiali sacrorum pedum osculo

Sanctitatis Vestrae, Domini Clementissimi, obedientissimus Filius et Exoratur

F. Wołodkowicz, Archiep. Metropol. totius Russiae.

Vladimiriae, die 14 Obris 1765.

68.

Volodimiria, 14. XII. 1765.

De instantiis non-Unitorum et praetensionibus Moscoviae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 154.

Illustrissime, Excellentissime ac Rev.me Domine, Domine Patrone Colendissime.[105]

Postquam essem certior redditus Pseudo-Episcopum Schismaticum Mo-

[105] Nuntio Apostolico Varsaviensi.

hiloviensem, allatis quibusdam particularibus suis injuriis, non modo contra personas aliquas conquestum fuisse, verum etiam a Serenissimo Rege postulasse, ut ecclesiae conversae quae non immodico sane numero, ad ducentas quippe ascendet, Schismaticis restituantur, Catholicis a schismate convensis, imo etiam illorum filiis in Catholica Religione educatis libertas apostasiae a Catholica Religione sine ullo metu paenae Legibus Patriae praescriptis concedatur, Pacta Grzymultoviensia allegasse, quorum virtute Episcopatum Leopoliensem et Premysliensem schismati deberi innuisse, mearum partium duxi ad Ill.mum Dominum Procancellarium Magni Ducatus Litt.ae, cui hujusmodi postulata examinanda Rex Serenissimus commisit, recurrere, ut praemissa dicto Pseudo Episcopi peculiares suas injurias in foro ad id competenti proseguendi facultate, ea postulata uti iniquissima reicere velit, quae negotium Religionis cum certissimo ejusdem una et Reipublicae damno contingunt. Respondit mihi memoratus Illustrissimus Dominus Procancellarius requirens ut intra quinque habdomadas aliquem ex Episcopis aut Clero mittam, cum documentis et notionibus, quibus hujusmodi postulata refelli possent, sed cum intra adeo strictum terminum nec consilium cum Episcopis inire nec rationes iniquitatem hujusmodi postulatorum probantes, tum etiam documenta necessaria ex variis locis colligere, nec Sedis Apostolicae auxilium implorare valeam, coactus fui petere prorogationem temporis ad dies ultimas Maii anni proxime venturi 1766 sperans me intra hoc tempus, necessariis consiliis praemissis, conquisitis rationibus et documentis et temeritatem extremam schismaticarum postulationum demonstraturum et documenta quae in rem suam Pseudo-Episcopus allegat non schismati sed Ruthenae Catholicae Ecclesiae intuitu Unioni S.ae a Serenissimis Regibus et Republica tributa suffragari debere comprobaturum constitueram ejusdem mittere Varsaviam Illustrissimum meum Vladimiriensem,[106] cum expressa instructione ut ab omni cum Pseudo-Episcopo abstinendo controversia unice prorogationem termini ad ultimos dies Maii exposceret; verum cum (f. 154v) infirmus ex Polesia ad me venerit, nec sine periculo manifesto valetudinis ulterius iter prosegui possit existimavi sufficere ut literas meas per Secretarium meum ad Illustrissimum Lithuaniae Procancellarium transmitterem; pertimescebam etiam ne aliquo casu Ministri Regni animo praestandi Moschoviae absequii praetextu praesentia Episcopi nostri uniti utantur, et alicui iniquo Pseudo-Episcopi postulato assensum praestent, quod sane gravius foret religioni inflictum vulnus, quam si nobis absentibus et inauditis aliquid favore schismatis constitueretur. Optime quidem ego de zelo, religione et pietate Ministrorum Regni nostri sentio, sed ubi de religione agitur nullam diligentiam et cautelas superfluas existimare debeo. Imploro itaque compertum Illustrissimae Reverentissimae Excellentiae Vestrae zelum et probatam ejusdem in Ruthenam Ecclesiam benignitatem, quatenus preces meas Illustrissimis Regni et Lithuaniae Procancellariis allatas, gravissimis suis officiis ful-

---

[106] Antoninus Młodovskyj.

cire, et apud SS.mum Dominum nostrum, Dominum meum Clementissimum instare pro nobis dignetur, ut apostolicis literis, ad Serenissimum Regem et Ministros Regni directis, Causam nostram imo verius religionis catholicae tueri et Sanctam Unionem protectioni Regiae commendare velit. Preces meas ad Sanctissimum Dominum Nostrum et Sacram Congregationem de Propaganda Fide praesente Ordinario transmitto, et ad omnes nutus paratissimo obsequio maneo

Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae additissimus et obsequentissimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp)

Die 14 Xbris 1765, Vladimiriae.

69.

16. XII. 1765.

De abusibus Dominorum saecularium contra Clerum et ecclesias unitas.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, f. 354-355v.

Ill.me, Excel.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me[107]

Ex animo meo negotium Umanense Cleri et ecclesiarum in bonis Ill.mi Comitis Potocki, Palatini Kijoviensis, sitarum non effluit, ne quoque Excellentiae Suae Ill.mae penitus effluxisset sum studiosus, vehementi in scribendo frequentia uti illudque ipsius committere curae protectionali. Et cum die hodierna coram me, in termino e literis publici edicti dememorato oppido Uman, Pater Rector praetensi ab Ill.mo Palatino Collegii in ibidem et scholarum favore Patrum Ordinis S. Basilii Magni Provinciae Polonae tum Domus Missionis et Ecclesiae erigendae, a Superioribus suis missus, comparuisset pro Confirmatione Fundationis et consensu ordinario de iure requisito instetisset, quidquid ipsemet solus auribus suis percepit et oculis inspexit, illud tantummodo Excellentiae Suae Ill.mae praesentibus exponere non praetermitto. En comparentes pro uno eodemque termino Parochi de oppido Uman in quo tres reperiuntur parochiales, videlicet: Obdormitionis B.V. Mariae, S. Michaelis Archangeli, et S. Nicolai Ecclesiae in suis Parochialibus nullum internum decorem seu nitorem, nulla, sive vix aliqua requisitio, nullas in scriptis Fundationes, quinimo unam S. Nicolai sine vertice et copulis stramine tectam, aliam S. Michaeli Archangeli (f. 354v) prorsus labentes esse opposuerunt. Praeterea alii Parochi intra tractus ditionum ut dicitur bonorum Umanensium reperibiles, circa sanguinolentas lacrymas publice effusas contra Dominos Dispositores millenas iniurias, postpositiones, percussiones, rerum interceptiones, symoniacas extorsiones et vel maxime contra Dominum quendam Oginski, qui est

---

[107] Nuntio Apostolico Varsaviensi, Antonio Eugenio Visconti (1760-1766).

antiquus personarum spiritualium persecutor, et ad praesens in eodem genere mali existit iudicialiter porrexerunt. Ille enim his temporibus Janovien et Szelpachavien Parochis primo boves sex et equos quatuor, alteri quatuor boves vi et violenter intercepit, personas spirituales citat ad se ipsum, iudicat, et pro velle decreta per se lata executioni per superimmissos cosachos demandat, infidelibus iudaeis caucionariis arendatoribus contractibus suis tradit omnimodam super illos non aliter quam super subditos potestatem, quinimo talem desuper Ill.mi Palatini generalem pro informatione dispositorum factam dispositionem esse fatetur. Non est opus plura quam dum pascua pro animalibus Presbyterorum in fundis dominicis non permittunt, nec de areis plebanalibus exire eadem animalia concedunt, molendina, ligna de sylvis ac etiam ipsam aquam tum pro domesticis familiaribus necessitatibus, tum propter pecora et pecudes non dant, dareque communitatibus serio et sub gravissimis paenalitatibus inhibent, qui autem contra inhibitionem faceret, et in selectione frugum clerum (sine quo nihil esui) iuvaret, talem lignant, percutiuntur et ad carceres intrudunt, apum alvearia pro decimis et fundis ecclesiarum, quales haberi possunt, intercipiunt. Ante quatuor septimanas miseram personam viduam post mortem parochi Mankossen. cum multis liberis derelictam, nulla data ratione ultra centum plagis publice aggravarunt. Ecclesias antiquas parochiales matrices sicut et ipsam ecclesiam in unam sitam S. Michaelis Archangeli alias labentem reparare de proprio aere ecclesiastico violentis cosacorum viribus et persuasionibus perfundent, et non concedunt aliaque innumera faciant attentata. Et licet toties dictus clerus per lacrimas propositis commissis ac aliis multis reiciendam fundationem Basilianorum eousque quousque parochiales reparatae personalesque et reales compensandae non forent iniuriae expetiisset, ego tamen semel iam contrarium in Fundationibus novarum ecclesiarum, quae pro certo de eleemosinariis rusticorum non tam fiunt, quam trahuntur impensis, expertus, feci ad praesens tuta ex parte mea conscientia Decretum, quo mediante commisi Commissariis meis, quatenus facta indagatione et iniuriatis iuratoria eaque descripta ac (f. 355) pro clariori informatione ad me remissa, in continenti iuxta praescriptum iuris seu Decreti Summorum Pontificum super realitate fundationis Basilianorum et sufficientia cognoscant, eodemque facta cognitione introducant, actum huiusmodi suum pro confirmatione ad me remittant. Quod Decretum una cum copiis attentatorum nonnullorum hic annecto. Humiliter itaque Suam Excellentiam Rev.mam peto, quatenus dignetur auctoritate sua scribere (cui et ego scribo) Ill.mo Palatino ut ad datos per me Commissarios mittat et ipse quem vellet, idque in effectum ut habita sufficienti expositione rerum, optatam a me continuo assequamur compositionem ac finem negotii imponamus. Expectans ad haec resolutionem interea cum profundissima veneratione maneo

Ill.mae, Excell.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae addictissimus et obsequentissimus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus

Die 16 X-bris 1765.

70.

Radomislia, 1. II. 1766.

De variis negotiis: de difficultatibus Unionis eiusque defensione, de instantiis non-Unitorum, de pressionibus Moscoviae etc.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 188-189.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Colend.me

Quae ex literis missivis Excell.mae Dom.nis Vestrae mihi de 25 Xbri anno elapso in tanta praesenti Ecclesiae meae seu Ruthenae perturbatione et ad Sanctae Unionis perniciem schismaticorum conatibus tantis directis, percepi, illa quantum virium est mearum, et quantum in me est, sicut gratissimo corde amplector, ita ex animo a prima ut ita dicam cogitatione haeterodoxorum, signanter Pseudo-Episcopi Mohyloviensis,[108] contra eandem Sanctissimam Unionem, et jura ipsius, attentatorum, omnem adhibeo ad opportunas defensiones et cognoscendam praestantiam, curam, nec desum consilio, excitatione Antistitibus ad vigilantiam, et pro possibilitate mea opportuno aere, ita ut ex parte mea pro re et interesse eodem cum schismaticis dignissimum Praelatum de Ritu Latino, virum tanti ingenii et experientia, qui ad evertenda jura et ostendendam veritatem perquam est gloriosus, quique sit utilissimus et authoritate non postremus, Ill.mum Zienowicz, Canonicum Samogitiae, Praepositum Mohyloviensem, Varsaviae Residentem, et partes meas jam expositione veritatis in verbo, jam in scriptis, typo iam per partem impressis, et brevi tempore pro sufficientia juxta exigentiam imprimedis et in lucem edendis, tenentem et deffendentem, veris et propriis expensis meis continuo ibidem circa praefatos labores reperiri facio. Hinc miror adeo Ill.mum Archiep.pum Polocensem[109] qui quoque ad hanc Provinciam obeundam certe est multum idoneus, semel atque iterum ab Aula Serenissimi Regis Poloniarum, D.ni Clementissimi, vocatum, rei familiaris angustia ab itinere suscipiendo deterritum extitisse, cum habeat pro sua mensa et honestate proventus, qui quamvis non excedant necessitates varias pro Archiepiscopali ipsius dignitate, attamen necessitatibus et residentiae Varsaviensi satis bene sufficere possunt. Et quia haeterodoxi inter alia praesertim in rebus Sedis ipsius Polocensis archiepiscopalis, tum Luceoriensis, Leopoliensis, et Premysliensis, quas ad se spectare volunt, nihil intentatum, prout a meis Varsavia informor, relinquunt, hinc dictus Ill.mus Archiepiscopus propriam rem propriis stipendiis deffendere tenetur, et nullomodo angustiis se excusare potest, sicut et alii, de quorum bono agitur Antistites.

(f. 188v) Est pro certo illud et cordi meo, ex quo hostium vires Ruthenae

---

[108] Georgius Konyskyj, Episcopus non unitus Bielarusjae, ab anno 1768 Archiepiscopus Mohiloviensis.

[109] Jason Jurosza Smogorzevskyj, Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), dein Metropolita Kioviensis (1780-1788).

meae Ecclesiae tangunt jacturam, verum quoniam tum singulariter prout supra expressi per Ill.mum Zienowicz, Canonicum, artes et calumnias schismaticorum refello et consequenter notabilem expensam habeo, tum subsequentes prevideo in eodem negotio, ad quod praeter Ill.mum Polocensem alii adhibendi rerum usu pollentes erunt, expensas, tum denique non tantis sum proventibus ecclesiasticis abundans, ut ex iis aliis Coepiscopis ad requisitiones eorum subvenire valeam, excusatum me propterea esse volo, quinimo enixe rogo, quatenus Excellentia Vestra Illustrissima ex motivo utilitatis et aequitatis ad supplices libellos Pseudo-Episcopi Mohyloviensis, junctis viribus cum Ill.mo Zienowicz, expugnandos, Ill.mo Archiepiscopo Polocensi venire authoritate Apostolica Varsaviam ibidemque Documenta in pignus D.no Slominski advocato data, perquam opportuna ad praesens, liberare commendare dignetur. Nihilominus facio convocationem futuram Vladimiriae in mense venturo Martii, die 9 ejusdem, ubi necessitate ingruente, praevio consilio, videbimus, qui ex coetu nostro expediendi et in contributione aliqua quatenus videbitur opportuna poscendi erunt, nunc vero Excellentia Vestra Ill.ma rem hujusmodi nostram protegere ac Ill.mum Zienowicz coadjuvare gratiis suis et interpositionibus non desinat. Credet mihi Excellentia Vestra Ill.ma, quod undique ego aliquid grave in Hierarchia et Archidioecesi mea ad agendam habeo, non tamen sine perfectione et sumptibus illud a me transmitto, et propterea quod Deo ter Optimo Maximo pro activitate et consumptione frustranea temporis respondere nolo, a multis inique infensus maneo, et praesertim iis, qui more praesentis saeculi privata bona adamarunt, offendere vero cum justitia alios nolunt, et ab aequitate sunt longiores. Illud ipsum intelliget Excellentia Vestra Ill.ma ex annexis a Decano meo Czehrynensi, intra fines Regni ac limites Moschorum manente, tum aliis a Missionario Apostolico scriptis sibi litteris, quanta Unio Sancta jacturas et persecutiones patitur, et quantas pro sustinenda eadem (f. 189r) per subadministrationem spiritualium personarum idonearum praesto diligentiam, sed haec quid praestat, siquidem in Catholicissimo hoc Regno Dispositores Patronorum, sive Haeredum et Collatorum, propter privatum commodum suum, ex quo Presbyteros pios, qui sibi respectivam jurisdictionem Moschoviticam spiritualem habere volunt, et in hunc finem cum dissoluto simplici populo, freti viribus Pseudo-Episcopi Pereiaslaviensis, errores juramento firmarent, et se conspirarunt, alias Valachos seu in Moldavia si fas credere consecratos spoliare, judicare et paenis praecipue criminalibus punire, unde quod bene se ex praemissis habent, et lucupletiores fiunt, adeo tum Dominis Haeredibus ne ullo modo personas a me datas admittant, ad Benefica et rudimenta fidei proponenda persuadere, tum per se ipsos non admittere et minari, ac ne contrarium voluntati eorum eveniat, rusticos ad deffendendos unanimiter errores animare solent, et consecrarunt, a D.nis vero Haeredibus libenter audiuntur, vel maxime eo motivo, quod et in Humanensi causa semper fuit allatum, et manet, quod nempe homines dispergentur. Quare dignabitur Excellentia Vestra Ill.ma Celsissimis Principibus, Lubomirski Palatino Braclaviensi, Jablonowski Palatino Posnaniensi, et Sanguszko Capitaneo Czerkascensi

scribere, quibus et ego toties quoties scripseram, ut praecipiant et mandent suis Dispositoribus in Bonis Czehrynen. Czerkassen. et Zabotynen. quatenus illas personas, quae a me missae erunt, bono animo suscipiant, et a Rusticis protegent. Visitatori quoque meo, quem missurus sum, vires, sine quibus nihil poterit efficere, suppeditent. Haec dum scribo responsum ad literas meas in Causa Humanensi nuper datas rogo, simulque felicissima omnia a Deo O. M. apprecatus, cum distinctissimo cultu et veneratione maneo

Ill.mae, Excell.ae et Rev.mae Dom.is Vestrae, Patroni Colend. obsequent. et humillimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp)

Die 1 Febr. 1766, Radomysliae.

P. S. - Significatum est mihi post scriptas praesentes, quod Serenissimus Rex noster Poloniarum, D.nus Clementissimus, in partibus Albae Russiae in Bonis Krzyczew, pro simili prout in Telepin, partibus Ukrainae nostrae, facto excessu, Judiciis Tribunalitiis Magni Ducatus Lithuaniae respectivas ad delictum paenas criminales infligendas, seu jam inflictas, demandavit. Quod si ita est, humiliter rogo Excellentiam Vestram Ill.mam, quatenus dignetur coram eodem Domino Clementissimo instare, ut clementer subscribat Rescriptum ad Ill.mum Regimentarium Ukrainensem, super quo curam habebit Rev.mus D. Zienowicz, Canonicus Samogitiae, quo Rescripto mediante idem Ill.mus Regimentarius cognoscat negotium Telepinense, delictaque reddat punita, quibus mediis facile viderentur alii timore perpulsi ineffabilem fidei veritatem confiteri, atque jurisdictioni se subiicere.

71.

Volodimiria, 13. III. 1766.

De quodam congressu hierarchico, de defensione Unionis, de iniuriis Clero illatis, de translatione dierum festorum, etc.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 118.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime,

Nescio prorsus qualem quoad negotia mihi duabus epistolis de 23 proxime elapsi et 6o praesentis mensis intimata debeam hic et nunc Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae dare resolutionem, ex quo pro 9a currenti convocato Illustrissimorum ac Reverendissimorum Coepiscoporum Suffraganeorum meorum et DD. Abbatum huc Vladimiriam congressu, nemo ipsorum, licetsi nonnulli minime fuerant, praeter Reverendissimum Dominum Coadjutorem meum hujus loci et Dominum Protoarchimandritam cum quatuor Abbatbus comparuit,[110] quae incuria, quamvis sit cum magna ignominia et laesione

[110] Agitur de s. d. Congressu Hierarchico, in quo interveniebant etiam Archimandritae cum Protoarchimandrita, ad tractanda negotia ecclesiastica.

jurisdictionis meae et non minus dispendio, in negotio cum Schismatico Episcopo, tamen sanando quosvis defectus, ex quo Curia Regia nullomodo pati potest ulteriorem in danda a nobis responsione moram, consentaneum duxi, quamvis contracto ad id debito, in subsidium laborum Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Polocensis hisce diebus Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Coadjutorem meum Vladimiriensem expedire, quorum ne sit inanis labor, aliorumque in tuenda Religione Catholica cura et studium, Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram humillime exorandam esse existimavi, ut in praefato Congressu mandato et consilio suae Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae factum per me pro subsidio dispartimentum benigne pro justitia aucthoritate sua approbare, illudque casu quo aliquis eoram renitens per me adstrictus recursum ad Tribunal Nunciaturae faceret, manuteneri dignetur.

Requisitoriales in literis missivis ad Illustrissimum Dominum Palatinum Kijoviensem, quatenus junctim cum Commissariis meis quasvis injurias Clero allatas suo inquirere demandet, expressis ad manus meas reverenter recepi, pro quibus summas gratias referendo spero me adhuc majorem obligationem contracturum, si id tutum circa validissimum Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae auxilium, suprema Serenissimi Regnantis nostri protectione effectum suum consequantur.

Negotium praetensae translationis Festorum non modo praesentibus, verum absentibus Illustrissimis D.D. Coepiscopis et Abbatibus statim communicare (f. 118v) non intermisi, a quibus qualem impost reportabo resolutionem, de illa certiorem Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram reddere non omittam, meamque hac in re sententiam aperire, in verum testimonium quod sim distinctissimo cultu

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae addictissimus et humillimus servus

F. Wolodkowycz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

Vladimiriae, die 13 Martii 1766.

72.

Volodimiria, 27. III. 1766.

De iniuriis Clero illatis in Palatinatu Kioviensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 110, f. 360rv.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.[111]

Summo desiderio continuo anhelans viva dare testimonia gratae semper recordationis Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae erga me benevolentiae maius haud possum pro illis manifestationibus eligere acceptabile tempus

---

[111] Nuntio Apostolico Varsaviensi, Antonio Eugenio Visconti (1760-1766).

quam intra imminentis Resurgentis Christi ferias impensissimo imo de intimis praecordiis ab eodem Victore Deo Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae apprecans vitam incolumen ac continuas et infinitas quibus ex illius gloriosa Resurrectione impletur catholicus orbis benedictiones divinas.

Ill.mus D. Palatinus Kijoviae, receptis ab Emissariis meis venerandis Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae litteris, promisit se ordinario cursore responsurum. Mihi vero rescripsit quasi minus intelligeret de quibus praetensionibus res agitur. Quare si responsum ab ipso advenerit, dignetur Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra eidem indicare rem totam versari circa iniurias a D. Ortynski praeterito eius Commissario, quem hucusque tuetur aliisque etiam modernis Oeconomis Clero illatis. Insubsistentiae vero modernarum Fundationum pendent a suprema Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae iustitiali moderatione, ut in eas aurem mentis suae benigne dirigeret, ne exinde, dum Parochi idonei nullomodo conservari videbuntur, salus populi alicui subsit casui aliaque innumera damna et praeiudicia ex subsequentibus eo exemplo similibus aliis in tam parva portione Dotationibus integrae Ruthenae Ecclesiae sequantur, quae omnia penetratiori Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae relinquens iudicio, profiteor quod sim distinctissima veneratione

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae addictissimus et humillimus servus
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp)

Die 27 Martii 1766. Vladimiriae.

73.

Korsun, 31. V. 1766.

De apostasiis in Ucraina, de motibus a non-Unitis excitatis, de iuribus Ecclesiae catholicae in regionibus Ucrainae, de pacificandis animis, et de aliis provisionibus in tuitionem Unionis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 201-202.

Felicianus Philippus Wolodkowicz Dei et Sanctae Apostolicae Sedis gratia Archi-Episcopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Protothronius Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Archimandrita Kijowopeczarensis.

Universis et singulis quibus praesentes notae esse debent, signanter Rev.dis Parochis, Vicariis, Commendatariis, Saecularibus, et Regularibus necnon Universo Populo intra Decanatus nostros Smilanscensi, Moszenensi, Crehrynensi et Korsunensi habitanti notum facimus. Qualiter die 7ma mensis Aprilis in Korsun anno nunc currenti infra expresso, peracto testium juratorum examine in causa et actione judiciaria occasione rebellionis Parochorum et Parochianorum contra Sanctam Unionem et jurisdictionem propriam spiritualem, sicut testimonia sonant, contra Fidem Sanctam commissae die 31 mensis et anni infra specificandi, publicatum esse seu lectum Decretum Consistoriale sequens, cujus motiva et rationes totumque factum siquidem inserere difficile est, ipsa tantum sen-

tentia definitiva exprimitur, quae est talis: Parillustris Rev.mus Officialis Generalis Metropolitanus Kijoviensis sedens etc. exauditis testium juratorum depositionibuse lectis et perpensis juribus ecclesiarum Smilanscensis, Czehrynensis, Moszenensis etc. Decanatuum, semper et interrupete in Unione existentium, evidentissimi demonstrantibus easdem ad Ill.mos Excell.mos et Rev.mos Dominos Metropolitanos Russiae in Unione Sancta existentes cum juribus suis et erectionibus spectare et pertinere (quae in Acta ingrossari demandavit), non attenta contumacia citatorum, ultra tempus solitae audientia expectatorum et non comparentium, quoniam clarius patet et deducitur ecclesias omnes et singulas intra decanatus Czehrynensem, Smilanscensem et Moszenensem etc. sitas, erectas et benedictas per Decanos locorum in Unione Sancta existentes, erectas vero acsi ab anno 1730 majori in parte et posteriori tempore, quibus taliter erectis et benedictis, quamvis necdum in opere fabricae suae essent consummatae, Rectores seu Parochos jam ab Ill.mis, Excell.mis et Rev.mis Dominis Metropolitis Russiae ad Sacros Ordines promotos introductos et installatos, jam in Moldavia consecratos praevia absolutione ad Archi-Dioecesim receptos et incorporatos, in supra memoratis Decanatibus provisos fuisse, iam vero nonnullos ejusmodi Parochos, posthabita jurisdictione propria et Unione Sancta, in Monasteriis nonunitis cum suis Parochianis conjurasse et ad id Monachos vulgo Czercy nuncupatos non Unitos intra eosdem Decanatus reperibiles ab Unione Sancta apostatas ad ejusmodi conjurationem et exinde rebellionem motivo incitamento fuisse, magisque culpabiles extitisse, jurisdictionem sibi ad id per iniquas literas usurpasse, maxime vero V. Melchisedech Jaworski Hegumenum Motrenscensem non unitum[112] hoc facinus impudens exequi studuisse, alios Monachos Valachos vagos qui sine ullo ordine vivunt et non in una communitate comprehenduntur quinimo per Pagos, Villas, Oppida vagantur, ut inter rudem Populum pestiferos errores loco doctrinae disseminarent et iisdem infuerent, scandalizarent misisse; ipsum vero V. Melchisedech Jaworski (f. 201v) ab incolis Ukrainensibus fine praedicandi Disunionem, aliquot decades Rublonorum ex singulis villis et Oppidis extorsisse cum Gente seu populo Ukrainensi, de quo fusius in Actis, cum Presbyteris aliquibus Valachis multa mala Deo et hominibus abominabilia patrasse, iniurias Parochis nolentibus conjurationem facere quod ipsis sine officio competenti non licuit innumerabiles intulisse, de quibus fusius in actis. Dominos dev.mos ut his omnibus indulgerent et quod magis illicitum est Personas ad Ordines non unitas promoverent pertraxisse et seduxisse, cum talibus vero et rudi populo rebellionem et conjurationem excitasse, promovisse; Proinde, Christi Nomine invocato, per hanc suam sententiam definitivam dixit, decrevit et sententiavit nullum jus habuisse V. Melchisedech Jaworski Hegumenum Motronicensem disunitum

---

[112] Ex hoc monasterio initium sumpserunt motus s.d. « hajdamacorum » in Ucraina contra dominos polonos et contra Ecclesiam Unitam, quae multa intulerunt damna personis et rebus; duces Hajdamacorum erant Maksym Zalizniak et Joannes Gonta, postea ab exercitu polono et moscovitico incarcerati et capite plexi.

ad ecclesias intra Decanatus Smilanscensem, Czehrynensem, Moszenensem etc. sitas, in Unione Sancta existentes, quinimo graviter peccasse incitando Presbyteros et Populum ad recessum ab Unione Sancta et ad pessimum schisma accessum et in id conjurationem, quo nec recipere uni Monacho nulla jurisdidctione gaudenti, quod magis per scritpa varia in eum finem allicere non licuisset. Pariter peccasse et alios Hegumenos monasteriorum disunitorum Populum rudem et Presbyteros ad ejusmodi conjurationem et juramenta pertrahendo et per alios sollicitando in eumque finem, in varios locos Monachos dimittendo, perinde clausuram claustralem, quae pro Monachis et Monialibus esse debet violando. Idcirco eosdem Monachos et vel maxime V. Melchisedech Jaworski punibiles esse adinvenit et quamvis posset etiam iure Disunitos pro involatione in alienum ovile et violatione jurisdictionis proprii Pastoris tum etiam inordinatis et non ad regulas sibi debitas compositis moribus aliisque factis, gestis, facinoribus et iniquitatibus in defectu qui ejusmodi corrigat secundum jura canonica supplere et poenas extendere secundum proportionem delictorum et excessuum, alios vero ex Monasteriis sine ullo jure et ordine commorantes expellere et exterminare, nihilominus ne statum religionis tangat, super his Venerabili Instigatori actionem cum illis ubi de jure reservavit cum illis tantum Monachis disunitis qui vel in Monasteriis abhinc habitabunt aut pertransibunt cum originalibus literis testimonialibus peregrinationis et necessitatis suae, ex quibus fidem perhiberent se esse honestos viros et non lupos rapaces ad devorandum homines. Alios vero aliter se gerentes sine testimonialibus authenticis vagabundos, ad Nundinas commeantes cum suis monialibus ibique cum Rusticis confidentiam contrahentes, tabernas visitantes, siquidem et in Unitis ista punirentur, captivare et Radomisliam ad carceres comportare ibique ad correctionem detinere demandavit, et ad eum effectum decem Instigatores deputavit eosque instrumento suo constituit. V. vero Melchisedech Jaworski Hegumeno Motronicensi, ut cum duodecem personis honestis et gravibus Radomisliae post intimationem sibi praesentis decreti, in spatio quatuor hebdomadarum pro contumeliosa per literas suas iniquas officii et jurisdictionis laesione deprecationem faciat et veniam exposcat obligavit, pro caeteris vero parem cum aliis actionem ipsi ubi de jure intentandam reservavit. Omnes (f. 202r.) et singulos Presbyteros et Monachos tam saeculares quam ad regulam obstrictos seu Valachos vel qualescumque in Monasteriis conjuratos et non conjuratos Parochiis impositos et curam animarum usurpatione gerentes absque ullo Documento in locis talibus (etsi habuerint susceptionis ordinum Literas firmatas) existentes non privilegiatos et non introductos, post spatium duarum septimanarum a publicatione seu intimatione praesentis decreti, si benevole non recesserint, captivare injunxit. Pari modo Venerabiles Patres in Monasteriis disunitis juratos impudenter viventes, si in spatio trium septimanarum a publicatione Decreti usque ad ultimum Radomisliam non advenerint, veniam non expetierint, ex tunc eosdem, prout jura canonica declarant declaravit et captivandos permisit, insuper vero ad judicia saecularia, quae illis competent, remisit; qui autem advenerint, humilitel veniam erroris suis expetierint, clementiam

iisdem pollicitus est; ne tamen quilibet conjuratorum debitam delicto aufugiat paenam, pro erigenda domo missionis maxime necessaria quingentas marcas exsolvere demandavit. Similiter ut supra principales rebellionis authores, Rusticos ex quavis villa, pago, oppidio et villagio ad judicia saecularia pro sumendis paenis remisit. Minus vero principales in Monasteriis disunitis conjuratos, si ex communitate suae cujusvis villae per duos emissarios in spatio trium septimanarum a publicatione decreti Radomisliam non direxerint et absolutionem per emissos seu emittendos non expetierint in exsolutionem etiam pro supra memorata domo Missionis magis necessaria quam monasterium disunitum Motronicense, pro quo Rublones contribuebant ex quolibet Oppido et villa, pro mille marcas condemnavit et reliquum poenae condonare appromisit; in casu vero huic non paritionis, pariter sicut et supradictos ad judicia saecularia remisit. Tantisper vero ne ullo modo et praetextu se in Regimen Ecclesiarum et Parochorum ingerant, injurias et violentias facere non audeant severissime inhibuit. Venerabiles Ioannem Woynarski, Valaviensem, Simeonem Radziwilski, ad praesens Niderowicz nuncupatum, Olszanensem, Parochos intrusos, non ab unitis Decanis introductos, siquidem illi contra decentiam status cum rusticis rebellibus cosaticis pugionibus vulgo Spisa nuncupatis armati, accessum ad Ecclesias impedire ausi sunt et praesumpserunt, iniquissimi sunt homines, eosdem ab Officio et beneficio amovit et pro excommunicatis declaravit, ad obtinenda alia beneficia in perpetuum incapaces reddidit, posessa vero ab illis pro vancatibus promulgavit, licentiam et facultatem alios habiles promovendi concessit, abjudicatos captivandos esse absque mora censuit, mobilia eorum omnia sequestrare permisit et ut eosdem D. Commissarius Smilanscensis suis oeconomis in spatio trium dierum ad Korsun ad officium comportare demandet voluit, et in eum finem eosdem Dominos ad judicium Consistorii Latini Kijoviensis adcitare mandavit. Quia vero et Communitates Valavien. et Olsanen. audacter imo temerario ausu contra (f. 202 v.) venientes prout et Telepinen multum peccarunt, proinde has Communitates praeter pares cum aliis poenas in exsolutione mille marcarum condemnatis divisim et distincte alias mille marcas pro Domo Missionis toties memorato sub rigore mandati cujusvis opportuni et necessarii ad exsolvendum obligavit. Caeterum Ecclesias omnes intra Decanatus Czehrynen. Smilanscen. Moszenen. sitas, violatas et coinquinatas, siquidem concives et Parochi conjurati a Communione Mysteriorum arceri debent et saeculari potius quam spirituali subesse jurisdictioni, obsigillare et claudere sera cujusvis villae et curiae statuit, donec reconciliatae fuerint ad exitum litis praesentis. Dominos Oeconomos locorum Gubernatores et Commissarios ne advenientes vagos Presbyteros seu conjuratos Disunitos, non habendo ad id ab officio praesenti facultatem, non admittant strinxit, et ad eum effectum hocce Decretum de verbo ad verbum in Ruthenum idioma translatum intra omnes supra memoratos Decanatus in modum instrumenti Universalis per villas et oppida publicare, Monasterio vero Motronicensi per extensum cum inquisitionibus et testium depositionibus demandavit. Jam vero contra D.nos Oeconomos in casu contraventionis actionem supra hac et in simul promissionem necessariam esse in judi-

cio seu foro illis competenti adinvenit et reservavit et ita ordinavit, disposuit, definivit et sententiavit ad arbitrium ipsius Illustrissimi, Excell.mi et Rev.mi loci Ordinarii. Et ita etc., omni etc. Praesens suum Decretum et causam patrocinio Sanctae Sedis Apostolicae, Serenisimae Majestatis totiusque Inclyti Regni Poloniae cum omnibus in eo circumstantiis attinen. et pertin. submisit, non solum sed et omni etc. Quod Decretum ut omnibus ad notitiam perveniat, Adm. Rev.dis Dominationibus Vestris mandamus quatenus Cursoria praesentes Literae meae ab Adm. Rev.do Decano loci missae in proprium Decanatum quanto citius fieri potest circumeant, necnon quilibet Parochus, perscripta propter se copia, ipsum originale non tenendo ultra duas horas ad vicinum Parochum, juxta conscriptum tractum, remittat. Ex copia vero in Ecclesia omnibus Parochianis publicet et id circa praesens instrumentum circa sigillum manu propria in meliorem fidem subscripsimus.

Datum in Korsun, die 31 Maii, 1766 anno.

74.

Volodimiria, 25. VI. 1766.

De confirmatione Capituli cathedralis Volodimiriensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 817, f. 425rv.

Illustrissime, Excell.me Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.[113]

Ad mandata Excellentiae Vestrae Illustrissimae, Reverendissimae in transmissa ad me epistola sub die secunda Junii praesentis expressa, omni qua debeo reverentia respondens, quemadmodum anno praeterito sensum meum Excellentiae Vestrae Illustrissimae, Rev.mae Dominationi Vestrae afferendo rem consentaneam et pro firmitate Capituli mei Vladimiriensis necessariam esse existimavi, ut facta pro dicto Capitulo a pie defuncto Hypatio Pociey, Praedecessore meo Vladimiriensi Episcopo,[114] Bonorum designatio et inscriptio Apostolica Authoritate approbetur, non secus ad praesens gratiam Ill.mae Rev.mae Excellentiae vesrae uti ejusdem Vladimiriensis Sedis Ordinarius imploro: quatenus mediantibus (f. 425v) gravissimis Ill.mae Rev.mae Excellentiae Vestrae officijs dicta confirmatio pro majori fundationis Pociejanae securitate subsequatur. Exemplar Authenticum dictae fundationis, cum exemplari transmissae a me Excellentiae Vestrae Rev.mae Ill.mae anno elapso super origine et statu Capituli Vladimiriensis Informationis, futuro Cursore ad manus Procuratoris mei, R.di Mokrzycki, transmittam cum mandato: ut eadem in

---

[113] Nuntius Apostolicus Varsaviensis.

[114] Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis (1593-1613), dein Metropolita Kioviensis (1600-1613); hic erat unus principaliorum auctorum Unionis Ecclesiae Ruthenae cum Sede Romana, et una cum Episcopo Luceoriensi Cyrillo Terleckyj Clementi VIII reddidit obedientiam et emisit professionem fidei catholicae, die 23 decembris 1595. Cfr. *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, ubi etiam paucae eius epistolae dantur, Romam missae.

Cancellaria Ill.mae, R.mae Excellentiae Vestrae deponat. Ipseque promptissimo ad omnes nutus animo, una cum omni debita veneratione maneo

Ill.mae, Excell.mae, Rev.mae Dominationis Vestrae addictissimus et humillimus Servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolita (mpr).

Die 25 Iunij 1766. Vladimiriae.

75.

Grodek, 18. VII. 1766.

De nominato Archimandrita Minscensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 110, f. 249r.

Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.

Quae de Patre Cornelio Soroka ab Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma mandata Cursore postremo accepi, diligenter adimplere satagam et ab impertienda dicto Abbatiali Benedictione abstinebo, id unicum ab Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma exposcens, quatenus me certiorem reddere dignetur, an ego circa consuetum processum de moribus et meritis eius cognoscere possum, an potius expectandum mihi sit, quid Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma ipsa super hoc negotio statuere et mihi mandare tandem omni devotione dignabitur; vereor enim ne iste Religiosus, a Benedictione Abbatiali repulsus, amicorum suorum opera apud Maiestatem et Minsitros Regios utatur ad urgendum suae promotionis negotium. Maneo tandem omni devotione et paratissimo ad quosvis nutus obsequio

Ill.mae, Excell.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae obsequentissimus ac humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp)

Die 18 Iulii 1766. Grodek.

76.

Volodimiria, 10. VIII. 1766.

Ut ipsi restituatur iurisdictio in noviter erectis parochiis in Ucraina.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 129.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[115]

Ad Literas Illustrissimae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae ad me 28 Aprilis datas, memini me debita cum observantia Illustrissimae Excellentiae Radomyslia, ubi tunc degebam, respondisse remque totam ad certas ex Urbe habendas informationes distulisse meumque exposuisse desiderium collo-

[115] Nuntius Varsaviensis, Antonius Eugenius Visconti.

quendi personaliter super pluribus negotiis cum Illustrissima, Reverendissima Excellentia Vestra, ubi Varsaviam pro imminentibus Regni Comitiis me contulero. Interea vero obsecravi gratiam Illustrissimae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae, ut restituar praeviae ordinariae meae jurisdictioni super novis per Reverendissimum Chelmensem Episcopum[116] erectis fundationibus, quibus ex puro libertatis ecclesiasticae et honestae Parochis providendae sustentationis zelo, non vero ex aliqua privata utilitalis aut odii erga quamquam ratione me opposueram. Quapropter omnem curam adhibebo ut dictae etsi tenues fundationes ad mentem Sacrae (f. 129v) Congregationis interpraetationi Tridentini Concilii praepositae integrae serventur ipsisque earum partium Parochis jura per me inviolata maneant quos omnes tamquam Diocesanos meos pari cum reliquis amore prosequar, id unicum ab Illustrissima Excellentissima Vestra vehementer oro, ut de ejus mandato Reverendissimus Chelmensis Episcopus librum numerum ordinationum continentem, Decreta erectionum, tum etiam reliqua, illas ecclesias et earum Pastores respicientia, acta et scripturas integre ad me transmittat, ut super his erectionibus novis iisque praepositis Parochiis per fatam informationem nancisci possum. Maneo tandem paratissimo ad omnes nutus obsequio

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae addictissimus
et obsequentissimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae

Vladimiriae, die 10 Augusti 1766.

(fol. 130: *manu Wolodkowicz:* Illustrissimi et Perillustres Abbates nolunt subsidium charitativum praestare. Volunt omnes esse exemptibiles, nisi Illustris Dominatio scribat ad Perillustrem Generalem, quatenus agat in Abbates ad exsolutionem debitam).

77.

Volodimiria, 28. VIII. 1766.

Petit ut ei transmittantur quaedam documenta in defensionem iurium Unionis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 204.

Illustrissime, Excell.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.[117]

Cum anterius mihi a Sancta Sede injuntum sit, ut ad removendos Disunitorum iniquos conatus unita vi et consilio cum Illustr.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra rem tuttam tractem, hisce est quod cum de 26 proxime elapsi mensis a meo correspondente Romano certior redditus sim de transmittendis ad manus Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae per Excellent.mum ac Rev.mum

---

[116] Maximilianus Ryllo, Episcopus Chelmensis (1759-1785). Hic anno 1763-1765, de mandato Nuntii Varsaviensis, processit ad erectionem plus quam centum paroeciarum in Ucraina, in regione Humanensi, in dominiis principis Potocki. Huic erectioni adversabatur Metropolita, ob praesumptam insufficientiam dotis.

[117] Nuntius Varsaviensis.

D. Cardinalem Praefectum Congregationis Propagandae Fidei Catholicae nonnullis ex Archivio ejusdem extractis cum informatione documentis, intentioni Schismaticorum et aliorum Dissidentium contrariis, cogor Illustr.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae obnixe supplicare, ut, postquam advenerint haec cum informatione Documenta, etiam mihi quibus refellendis eorum insultibus melius instructus sim per extensum communicare non gravetur. Quam gratiam uti certo obtinere spero, ita profiteor quod sim cum omnimoda observantia

Ill.mae ac Rev.mae Excell.ae Vestrae addictissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus (mp).

Vladimiriae, die 28 Augusti, 1766 anno.

78.

Volodimiria, 6. IX. 1766.

De revindicandis Bonis Mensae Metropolitanae a Dominis ea iniuste possidentibus, et respondet de obiectis sibi violentiis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89. fol. 132rv, 134.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Rem nimis duram et vix alicubi practicatam ex proxime praeteritis Comitiolis exortam non sine sensu doloris Illustrissiamae ac Reverendissimae Excelentiae Vestrae defero, scilicet quod Illustres et Magnifici Pocillator Regni et Capitaneus Nowogrodensis, fratres inter se germani, Czaccy, tum Magnif. Stecki, Capitaneus pariter Stawiscensis, cum aliis sibi cognatis et foederatis cum quibus ratione bonorum Mensae in diversis Regni subselliis habeo causas non paucis expensis motas et movendas, primo curarunt se in Nuncios pro futuris Generalibus Comitiis in diversis Territoriis Palatinatuum Kijoviae, Volhiniae et Czernichoviae ab equestri ordine eligi, postea vero ne quidquam cum ipsis tanquam Bonorum ecclesiasticorum detentoribus in dictis subselliis agere valeam, inter instructiones bono publico Reipublicae necessarias sibi ad promovendas tributas etiam tale punctum apponi, quo primitiva Fundatio pro nonnullis Bonis Archimandriae Kijovopeczarensis dicatis per olim Serenissimum Ducem Russiae Andream Juriewicz,[118] ante susceptum baptisma, Kitay, post susceptum vero ob nimiam in Deum pietatem slavonico vocabulo Boholubski nuncupatum, facta, per constitutionem Regni cassaretur, et circa Bona in eadem Fundatione quam magno sudore extra Patriam acquisivi enunciata praesentanei (f. 132v) possesores laici, ex quorum numero etiam praedictorum

[118] Andreas Jurievyj s. d. Boholubskyj, princeps Suzdalensis, ir Moscovia; hic inter annum 1157-1174 fortem influxum politicum exercebat in Regnum Russiae et in ipsam Kioviam, quam Urbem anno 1169 expugnavit et direptioni tradidit; ipse anno 1174 a suis subditis occisus fuit. Revera commorabatur saepe sapius in oppido s. d. Boholubove, unde et eius nomem Boholubskyj.

DD. Nunciorum sunt nonnulli, manutenerentur, hoc vel maxime motivo ne ordo equestris per Ecclesiasticos depauperetur, ac Metropolitanus Russiae paulatim per Decreta favorabilium sibi quorundam Tribunalium totum fere Palatinatum Kijoviensem et aliorum Districtus praeocupet, prout melius ex annexo hujus puncti excerpto patebit. Quare in re tam ardua et nimis odiosa materia, ne quid votis eorundem adversariorum, quod Deus avertat, eveniat, statim ac notitiam de ea conquirere potui, ad Illustrissimam ac Reverendissimam Excellentiam Vestram supplex recurro, ut hanc notoriam injustitiam auctoritate apostolica praeventive Suae Regiae Majestati ejusque Regni Ministris benigne exponere et ad obviandum praemissis quatenus in Domino visum fuerit protectionem Sanctae Sedis impetrare non gravetur. Obicitur mihi in eodem projecto quaedam injuriosa vicinitas et violenti tumultus in dislimitationibus practicati et respective cum Domino Stecki, Capitaneo Staviscensi, cui acsi meo mandato, quod Deus avertat, aliquot homines periissent et villa spoliata et conflagrata fuisset, ad hoc facile respondeo quod in similibus eadem via prout antecessores ante me faciebant et modo (f. 134) faciunt procedo. Si enim vim vi, habitis pro interesse meo prius Decretis et processu juris perducto, repello tunc pro talibus si dici promereantur violentiis habendo ordinariam viam mecum agendi, sed non per Comitia malitiose jura et fundationes cassandi, deinde ostendantur mihi quemcumque hujus reatus vel ei similis aliquam quae non datur convictionem vel decretum. Ideoque et assertio aliqout hominum interemptorum est falsissima et nunquam deducibilis, sed si sit vera, quare igitur in foro competenti mecum non agit, tunc statim experiretur justitiam. Quae omnia singulari Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae commendans protectioni, summa tandem ac distinctissima cum veneratione maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae addictissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp.)

Vladimiriae, die 6 Septembris 1766.

* * *

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 133rv.

Excerptum ex Laudo Palatinatus Volhinensis, Districtus Luceoriensis, anno 1766, die 27 Augusti statuto.

Quoniam Rev.mus Wolodkowicz, Metropolitanus Graeco-Unitorum pro oppressione status nobilis inventam copiam quasi Privilegii, a Principe quasi Kioviensi Kitay,[119] sub data anni 1159, in annis modernis porrexit ad Acta Kioviensia, Nobiles quosdam adcitabat, alios citare minabatur, et exinde, subveniendo integritati incolarum Palatinatus Kijoviensis, curabunt Illustres Nuntii

[119] Cfr. notam praecedentem. Revera etsi magnum influxum in res Kiovienses habuit nunquam tamen ipse personaliter magnum hunc principatum tenere voluit, sed aliis tradidit.

cassationem eiusdem Privilegii vigore Iuris. Non minus ab iniuriosis vicinitatis jurgiis, in discriminationibus variis in locis practicatis et principaliter recenter cum Illustri Stecki, Capitaneo Stravmiensi, non tantum occisionis aliquot hominum per edita mandata fuit causa, verum etiam villam desolare et comburere permisit, a quibus ut coarceatur.

E Palatinatu Czerniechoviensi et Districtu Vlodimiriensi, eodem anno et die.

Quoniam Rev.mus Metropolitanus Unitorum copias Archiducis Rutheni Kitay Privilegii (qui nunquam in Throno sedebat) post annos sexcentos porrigit eodemque porrecto ad Acta Castrensia, ubi variae inscriptae sunt Donationes, miserrimos Nobiles Czopowskie caepit ad ius provocare, et conatus faciendo pro omnibus bonis Palatinatus Kioviensis, in copia eiusdem Juris oblata expressis, ita se obligando, ut quando praevalentia notabilium proventuum ex bonis ad Metropoliam spectantibus Metropolitanus per Decreta, quae possit in faventibus Iudiciis Tribunalitfis obtinere, cum magna incolarum Palatinatus Kijoviensis Bonorum nobilium iniuria, curabunt Domini Nuntiii, ut haec copia nihil valens, nunquam in exsecutione existens, cassetur ac pro nulla agnoscatur.

79.

Volodimiria, 13. IX. 1766.

Refert de causa Cornelii Soroka, Nominati Abbatis Minscensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 110, f. 250rv.

Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.[120]

Nominatus non ita pridem ad Abbatiam Minscensem Admodum Rev.dus ac Religiosus in Christo Pater Cornelius Soroka, quaesivit a me prout de Iure benedictionem. Verum cum stante praeventione Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae ne benedicatur quousque de eius moribus et meritis iusto iudicio adhibito cognitum et decisum fierit, hic et nunc nihil habeam cum ipso ad agendum. Proinde ad dandam necessariam et opportunam iustificationem de praemissis eundem ad Ill.mam et Rev.mam Excellentiam Vestram remitto. Spem firmam, prout ex litteris a Relig.mo P. Provinciali de 27 iulii ad me datis aliisque circumstantiis conicio, ponens a quibusdam sibi obiectis facile evasurum. Nihilominus tamen quae respiciunt statum eiusdem Abbatiae, meum est Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae exponere; non deesse maximum propter universos scandalum et manifestam mentis piissimorum Fundatorum elusionem, quod Provincia Lithuana, secuto de anno 1752 obitu Rev.mi olim Lubieniecki, ultimi illius loci Abbatis, translata privata auctoritate ad aliud in ipsa civitate Minscen. situm monasterium tota et integra fundatione istius Abbatiae, ecclesiam ipsius magnis sumptibus post suburbium de latere cocto ibidem fundatam tanquam speluncam latronum absque ulla cura et reparatione, quo per hos annos

[120] Nuntius Varsaviensis.

quatuordecem amisso tecto, fenestris et ianuis vix non ad ultimam ruinam relinquent. Haec sunt quae pro huiusmodi status exigentia referre debui. Modo profiteor quod sim cum omnimoda veneratione et cultu indesinenti

Il.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae addictissimus et humillimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp)

Die 13 7-bris 1766. Vladimiriae.

80.

Berestia, 8. II. 1767.

Adpromittit auxilium et protectionem cuidam sacerdoti irregulari.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 138.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Multi excessus publici tam Parentis cum reliquo sanguine existente in saeculari statu quam commendati ab Illustrissima Excellentia et Reverendissima Dominatione Vestra Sacerdotis Gregorii Czerkiewicz, qui rejecta propria uxore, publici adulterii et concubinatus, porrecti veneni in oblatis hostiis ex populo quibusdam, et aliorum criminum reus convictus, ne scandolo sit populo, judicatus e Paroecia eiectus, quamvis ut indignum ab omni exclusum desiderent officio et beneficio, quem tamen Sacra Congregatio Propagandae Fidei praeposita magnopere miserata, Illustrissimae, Excellentissimae, Reverendissimae Dominationis Vestrae favoribus commendavit, qundem et ego mihi commendatum ab Illustrissima, Excellentissima, Reverendissima Dominatione Vestra paterno amplector affectu atque pro ea quam adferet emendatione morum, ubi constiterit absolutum ab iis irregularitatibus, quibus innodatus cum parente fuerat, daturum me certam opem appromitto, cum ea qua par et maxima submissione maneo

Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae addictissimum et humillimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus

Die 8 Februarii, 1767 anno. Brestae.

81.

Volodimiria, 29. IV. 1767.

Negat accusationes de violentiis et de felici progressu pacifcationis in Ucraina nuntiat.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 214.

Illustrissime, Excell.me, Rev.me Domine, Patrone Observandissime.

Eam animi significationem quam litteris Ill.mae Exc.mae Dominationis Vestrae expressam legi, ut plurimi facio, ita firmiter contestatum volo, me semper gratum victurum, tantum addicti atque faventis. Quae in quaerelis

perferuntur ad Ukrainam, gravem me extitisse intentatis minis administratori Capitaneatus Czerkaski atque quasi cultores praediorum vi a schismatico ad Unitum Ritum transire compellam, omnino falsa sunt; illud tantum pro ratione officii mei evincere et obtinere cupio, ut a schismaticis hocce calamitoso tempore occupatae ecclesiae, propulsis earum rectoribus, Ritui Unito legitimisque Parochis restituantur. Et certe Deus, qui unica spes nostra est, regni nostri rebus oportunus tutor aderit, fidemque collapsam redintegrabit.

Faustissimos successus, longaevamque incolumitatem precor perennique sum voto

Ill.mae, Exc.ae, Rev.mae D.s Vestrae addictissimus et observandissimus servus

F. Wolodkowycz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp)

Die 29 Aprilis 1767. Vladimiriae.

82.

....., *1. V. (1767)*

Transmittit quamdam epistolam ad Regem Poloniae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 86.

Excellentissime Domine.

Confidens gratiae et favori quod Excellentia Vestra semper ostendit mihi, meoque Ritui, audeo ipsam incommodare, ut dignetur reddere Serenissimo nostro Regi adnexam epistolam, ex cuius exemplo intelliget quid ipsum rogo simulque curare benignum promptum et favorabile responsum. Gratias maximas Excellentiae Vestrae tum ego, tum omnis episcoporum nostrorum coetus habiturum esse promitto. Interim etc.

1-a Maij

Minuta della lettera scritta nella stessa occasione dal Metropolitano al Vicecancelliere della corona[121]

83.

Volodimiria, ... V. 1767.

Litterae pastorales ad clerum et populum in Ucraina ne credat falsis apostolis et firmi maneant in S. Unione

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 210rv; fol. 211rv (alia copia).

Felicianus etc. Universo Clero Archi-Dioecesis Kijoviensis, Decanatuum nostrorum Czehrynensis, Smolanscensis, Mosznensis ceterorumque his Decanatibus finitimorum, gratia, dilectio et misericordia Domini Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi.

---

[121] Vicecancellarius Poloniae tunc temporis erat Andreas Modziejowski (1764-1767), den Magnus Cancellarius.

Non sine dolore cordis nostri Pastoralis pervenit ad nos notitia, qualiter die 14 Martii anno praesenti 1767 ex Cathedra Perejaslaviensi translimitanea editum sit Unioni Sanctae summe praejudiciosum instrumentum, per Ukrainam et Archi-Dioecesim nostram publicatum, plurimos vestrum,[122] nonnullos innocentis conscientiae Christi fideles scandalizans et in erroribus non pridem vobis persuasis, ad praesens confirmans. Hoc factum quali animadversione sit dignum in explicando non moramur, putamus enim vos orthodoxos Spiritu veritatis illuminatos, optime nosse (quam severe sanctionibus conciliorum generalium et provincialium interdictum sit, ne ullus in alienam messem falcem immittat, praesertim vero is, cujus jurisdictionem non modo fines Dioeceseos, sed etiam ipsi Regnorum termini separant, et quos maximum fides tota aeternitate jam dislimitavit). Proinde praetermittimus ea quae ad authores facti convincendos spectarent, remittendo totum ad remorsum conscientiae eorum, Vos tantum filios nostros in Spiritu (:prout id pertinet ad solicitudinem nostram pastoralem:) quaeremus, appellantes conscientiam vestram, ut nobis sincere (f. 210v.) respondeatis: quis in vos manus imposuit? per cujus ministrerium effecti estis participes potestatis a Christo Domino vobis conceditae, ad vestram, et aliorum per vos salutem? Cuinam circa susceptos a vobis Ordines fidelitatem et obedientiam in praesentia Dei, Judicis vestri futuri, juramento confirmastis, et in eadem adusque perseverastis? Speramus vos non aliter responsuros, nisi post Dominum Deum, Sanctam Matrem Catholicam Ecclesiam nostro id ministerio (:et alios favores vobis praestitos quos his non commemoramus:) adscripturos, aut si rem negare volueritis, nos ea omnia recommendationibus, institutionibus. Metricis consecrationis, necnon tam voluntariae quam contentiosae jurisdictionis exercitio, usu et posessione, aliisque literatoriis documentis palam probaturos et deducturos. Denuo vos quaerimus: quale nam habuistis ad id motivum, ut Fidem Sanctam Catholicam, quam in baptismo suscepistis, et per sacratissimum Confirmationis Sacramentum in vobis radicastis, nunc derelinqueretis? Exempla majorum vestrorum, et pietatem quam de parentibus vestris suxistis, neglexisseretis, gratiam Spiritus Divinissimi, circa impositionem in vos manuum nostrorum, non operantem fructus salutis vestrae reddidissetis ministerio vestro quo misericordiam Dei pro se, et aliis vestrae curae commissis implororaretis obicem posuissetis? Tunicam Christi inconsutilem scindessetis, et vos ipsos a communione membrorum Ecclesiae Catholicae separaretis? Dominum Deum, Patrem Vestrum, et Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam, nec non Vestrum Pastorem dereliquissetis ad exemplum filii prodigi? Charissimi, si fidem sanctam puram quaeritis, eam non inventietis alibi, nisi in Ecclesia Sancta, Romana, Catholica, per Christum Dominum in Petro fundata. Si temporales facultates affectatis? habuistis pro congrua sustentantione vestra beneficia

---

[122] Eparchia Perelaslaviensis trans Borysthenem sita sibi iurisdictionem adscribebat in omnes non Unitos etiam cis Borysthenem, in dominio Poloniae existentes. Episcopus Perejaslaviensis tunc temporis erat Gervasius Lincevskyj (1757-1769).

(eorumque redditum augmentum in clementia colatorum catholicorum sperate) et nunc ea habebitis, vel si volueritis sequi consilium aeternae veritatis, quaerite primum Regnum Caelorum et haec omnia adjicentur vobis. Ecce videtis, quia nihil est quod vos separaret a Sancta Matre Ecclesia, imo alliciunt ad Unionem renovandam imprimis salus aeterna, deinde timor paenarum aeternarum, et transgressio Legum Publicarum Patriae. Restat vobis adhuc exemplum filii prodigi, quem secuti estis in recessu a clementissimo suo Patre, ut eundem imitemini etiam in reditu. Credite autem quod mysticus ille Pater Caelestis suscipiet vos in laetitia, et inscribet in Librum vitae, unde vos ipsos delestis. Nos etiam summe venerando misericordiam Divinam, vos redeuntes cum maximo gaudio salutabimus per osculum pacis, et non modo recipiemus in humeros nostros, sed et in intimo cordis nostri pastoralis reponemus omnia que quae a Nobis expetieritis praestabimus. Nolite diffidere, chiarissmi, his promissionibus nostris,nos enim fidem servando Deo, et vobis servabimus intacte. Nolite, inquam, praetermittere tempus vobis desiderandum, quia nescitis diem, neque horam. Salus autem vestra plurimum est cara apud Deum. Convertimini in diebus vocationis vestrae, ne vos paeniteat in tremendo illo judicio Dei vivi, et ne audiatis illa horrenda Dei Judicis verba: « vocavi et renuistis », etc, tum etiam illa: « Sanguinem eorum de manu vestra requiram ». Satisfacite obligationi vocationis vestrae, qua vocati estis, ut praebeatis exemplum universo mundo, ipsimet convertendo se ad Dominum in corde contrito, plebem vestrae curae commissam, et exemplo vestro scandalizatam, in semitam veritatis reducite. Virtus Omnipotentis Dei, et gralia Divinissimi Paracleti, ut illuminent intellectum vestrum, et voluntatem inclinet, cum universo grege nostro exoramus, et praesentes solita cursoriaper Decanatus nostrae Archi-Dioecesis Metropolitanae Kijoviensis, ut ad omnium manu nostra subcripsimus sigilloque consueto communiri jussimus.

+ ..... Dabantur Vladimiriae, ad Cathedram nostram Episcopalem, die.... mense.... anno.

84.

Volodimiria, 6. VI. 1767.

De impossibilitate convocandi Capitulum Generale Basilianorum ob perturbatum statum Regni.

ASV, *Numz. di. Varsavia*, vol. 109, f. 149.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Ut certum est, instare tempus cogendi Capituli Generalis, octavo quoque anno ad electionem novi Generalis celebrari consueti,[123] ita de eo congregando

---

[123] Revera Capitulum Generale Basilianorum anno 1667 celebrari debuit, sed ob circumstantias politicas Regni Poloniae semper fuit procrastinatum et tantummodo anno 1772 locum habuit Berestae; interim Protoarchimandrita Hypatius Bilynskyj anno 1771 obiit.

officii mei commonere non omisi Perillustrem Admodum Reverendum Patrem Generalem; cum tamen status Reipublicae perturbatus, exercitus externus undequaque diffusus, tum Eques Polonus confoederatus, rerumque omnium caristia in tam calamitoso tempore, ab eo instituendo abstinere suadeant, aeque ad evitanda pericula viarum cum discrimine vitae subeunda a personis quae e dissitis quibusvis locis in hunc convocari debent, atque ut parcatur sumptibus, quos in hoc casu maximos fieri oporterit, tum ad evitandam perturbationem a Disunitis, qui in turbido non intermitterent attenti esse suis lucris, atque in evincendis quibusdam Monasteriis olim a Disunitis possessis molesti, proinde, ut consentiens votis potissimae partis id a me omni conatu exoptantibus, ejusmodi Capituli convocationem in aliud tempus, pacatius seponendam statuerim, cognitum cupio (f. 149v.) Illustrissimae Excellentiae Vestrae, atque, ut spero, non aliam ejus sententiam a mea fore. Ita constantis animi singificatione expressa, maneo pro semper

Illustrissimae, Excell.mae et Rev.mae Dom.nis Vestrae addictissimus
F. Wołodkowicz, Archi-ep.pus Metr. totius Russiae

Die 6 Iunii 1767. Vladimiriae.

(*f. 149*): Ill.mus, Excell.mus D.nus Nuntius Apostolicus.

85.

Volodimiria, 1. IX. 1767.

Petit protectionem Unioni et Unitis hisce temporibus perturbatis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia. e Ruteni*, vol. 9, fol. 672.

Eminentissimi, Reverendissimi Principes.

A prima renovatae sub Clemente VIII, Pontifice Maximo, Sanctae Unionis aetate, nullam Catholica Russia calamitatem experta est, quam ardentissimus hujus Sacrae Congregationis zelus a cervicibus nostris non dimoverit, Remque Catholicam turbinibus haeterodoxis agitatam in tuto non collocarit. Cum itaque in praesentiarum Dissidentium a Religione Catholica molimina, exteris armis protecta, integrae Religioni Orthodoxae non contemnendam hoc in Regno cladem minitentur, etsi non dubito Eminentias Vestras pro eximia, quam propugnandae Religioni afferre semper student ope, omnes sollicitudinis ad eam juvandam, et protegendam nervos intendisse, omittere tamen non possum, quin supplices Eminentiis Vestris preces exponam, ut negotium Sanctae Unionis, quod singulari quodam studio a Disunitis in discrimen trahitur, peculiari cura protectum esse velint. Deus Optimus Maximus Eminentias Vestras ad tutelam, et publicam Orbis Catholici felicitatem, diutissime incolumes servet, quod ardentissimis a Majestate Suprema votis exposcendo, singulari animi devotione jugiter maneo.

Eminentiarum Vestrarum humillimus, devotissimus et obsequentissimus servus

F. Wołodkowicz, Archi-Episcopus Metrop. tot. Russiae.

Dic 1 7bris, 1767 anno. Vlodimiria.

86.

Varsavia, 15. XI. 1767.

Ut protegatur Unio et ut monachis Basilianis inculcetur obligatio subveniendi parochis in cura animarum.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 9, f. 686-87

Emin.mi et Rev.mi D.ni, Patroni Col.mi.

Non dubitamus Eminentijs Vestris satis superque iam notum esse, quae quantaque indigna, in hoc calamitatibus oppresso Regno, Orthodoxa Religio, et praesertim nostra catholica Ruthena Ecclesia, patiatur, quantaeque ipsi persecutiones, tribulationes, damna, aerumnae, et pericula immineant. Ad ea avertenda, et integritati nostrae prospiciendum, egimus pro viribus, nihilque intentatum omisimus, quo leges ab Heterodoxis iniquissime conceptas, saeculi vero potentia promotas, a cervicibus nostris depelleremus. Sed cum, Deo peccata nostra puniente, vindictam a Sanctuario incipere, et Leges Religioni Catholicae durissimas institui, et ferme securim ad Sacrae Unionis radicem apponentes visum fuit permittere, Nos, ubi Divinam eius iustitiam devotissimo animo colimus, misericordiamque ferventer imploramus, rebus nostris, sub iniquis adeo legibus ad ruinam inclinatis, subvenire omni nisu, studio, labore, et impensis constituimus. Sed cum nullatenus decernere possimus, maiorne sit hodie necessitas et afflictio, quam inopia et miseria nostra? cumque ex motivis plenissime (f. 686v) permoventibus, attentis quoque dierum et inimicorum nostrorum circumstantijs, a Clero saeculari nihil quidquam adjutorij petere audeamus, Eminentijs Vestris supplices proinde humiliamus preces, ut scilicet Ruthenae Basilianorum Congregationi, cuius exemptio nostras pro Sancta Unione curas Pastorales vere antiquo auxilio et obsequio destituit, cuiusque complura Monasteria satis copiosis reditibus perfruuntur, pecuniam ex singulis Cenobijs, servata fructuum proportione, in unum conferre demandent, et Apostolico in his Partibus Nuntio committant, quatenus praefatos Monachos, suprema auctoritate, ad opem Religioni Catholicae hac saltem ratione ferendam, inducat, et pro necessitate compellat; Nos equidem, etsi longius Varsaviae moram trahentes, non modicis impensis gravemur, ex residuitate tamen proventuum nostrorum contribuere libenter in commune decrevimus, ut nullum nobis desit medium, quo rem Sanctae Unionis labentem omni quo possumus modo substinere valeamus. Cum vero aeque de Monasteriorum, ac Episcopatuum, et Ecclesiarum Parochialium securitate agatur, aequitas postulat, ut etiam Monachi communi periculo (f. 687) expositi, studia quoque et opes suas, ad communem salutem procurandam, afferant, praesertim cum hocce Unioni Sanctae obsequium minimo incommodo suo praestare poterunt. Veneratione profundissima constantique obedientia aeviterne manemus

Eminentiarum Vestrarum humill. et devot.mi Servi

F. Wołodkowicz, Archiep. Metropolitanus totius Russiae (mp)

JASON, Arch.ep. Polociensis.
SYLVESTER L. RUDNICKI, Ep. Exarch. (mpr).
LEO, Episcopus Leop. Coadiutor Metrop. t. R.
A. MLODOWSKI, Episcopus Bresten. Coadjutor Vladimirien. (mp).
Varsaviae, die 15 Nov., 1767 anno.

87.

Varsavia, XI. 1767.

Relatio de gestis in defensionem Unionis contra praetensiones non-Unitorum et in perturbato rerum statu in Ucraina, cum brevi deductione iurium in favorem Unitorum.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 9, fol. 691-693.

Relatio de omnibus gestis ab Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, alijsque Episcopis Ruthenis Unitis Regni Poloniae contra recentes postulationes Fidei, et Ecclesiae Catholicae plurimum noxias, a Ruthenis non unitis, et dissidentibus in extraordinarijs ejusdem Regni Comitijs de anno 1767 propositas.[124]

De gestis Confratrum nostrorum tempore praesentis tractatus in puncto pacificationis Dissidentium in religione conclusi ego infrascriptus Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae pro meo debito, eaque qua decet veneratione Sacrae Congregationi de Proaganda Fide sequentem in forma Diarij conscriptam communico Informationem, nimirum. Postquam universalibus Literibus Comitia pro die 5. 8bris incidentibus praemoniti fuissemus, in ijsdem praecipue de Religione, et praetensionibus Dissidentium fore acturum, invitatis a me per missivas epistolas confratribus Episcopis, ego vero voto, et exemplo praeeundo, cum Ill.mis Coadjutoribus meis, Metropoliae scilicet, et Episcopatus Vlodomiriensis, cum Polocensi Archiepiscopo, et Episcopo Luceoriensi ante initium Comitiorum Varsaviam pervenimus. Inchoatis feliciter Comitijs crebrior fama Dissidentibus favens nos induxit, ut die 8ª 8bris audientiam privatam a Serenissimo Rege exposceremus; in qua metum nostrum, quo perstringebamur occasione imminentium persecutionum explicavimus, et formidinem praecipue exinde provenientem, quod Episcopatus Leopoliensis, Luceoriensis, et Premisliensis a non Unitis inter praetensiones suas annumerati, summum Sanctae Unioni minarentur praeiudicium, exposuimus, supplicavi-

---

[124] In his Comitiis notatur praeprimis Georgius Konyskyj, Archiepiscopus Mohiloviensis qui varia porrexit Regi et Comitiis documenta, innixus favori Imperii Moscoviae. Huic actioni Hierarchia unita omnibus obstetit viribus; quaedam documenta fuerunt exarata nomine Hierarchiae ab Archiepiscopo Polocensi Jasone Smogorzevskyj; cfr. in editione eius epistolarum in *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. VIII, Romae 1965, sub anno 1766-1767.

musque eidem Serenissimo Regi, quatenus in Projecto limitationis Comitiorum, in quo integritas Religionis Catholicae generice praecustodiebatur, eadem etiam Ritui Graeco unito expresse, ut in anterioribus Constitutionibus Regni erat, de more praecaveretur. Responsum a Serenissimo Rege accepimus, ut in Divino auxilio spem collocaremus, animumque non desponderemus; quatenus vero Clausula praedicta in Projecto adderetur, curaturum se serenissimus Rex promisit.

Subscripto Projecto limitationis Comitiorum designati fuerunt ex Senatorio et Equestri Ordine omnium trium Provinciarum Regni Commissarij, quibus plena potestas tractandi, et concludendi in negotijs ad haec Comitia allatis, sola tantum approbatione Reipublicae reservata, commissa fuit. Hoc opus Commissarij designati die 5. 9bris aggressi sunt. (f. 691v) Die vero 7ª ejusdem mensis certiores nos facti, quod in ipso Commissionis initio examinanda erant Postulata dissidentium, accessimus Celsissimum Archiepiscopum Primatem Regni,[125] significando eidem, nos eo fine Varsaviae commorari, ut jura Sanctae Unionis, quae non Uniti Dissidentes in periculum adducere satagunt, propugnaremus, et ad eorum postulata responderemus. Quamobrem obsecravimus eundem celsissimum Primatem, quatenus, ea, quae ipsi a dissidentibus porrecta essent cum Iuribus eorum, si quae allegarentur, oportune nobis communicare dignaretur. Precibus hisce expositis respondens idem Celsissimus Primas omnia liberaliter pollicitus fuit. Sed cum ab aliis Commissarijs praemoniti essemus, studia non Unitorum eo maxime converti, ac tendere, ut illorum conatus, et scripta nobis non innotescerent, omnes curas, et sollicitudines adhibuimus ad ea, quae nobis occultari volebant, assequenda. Itaque acquisito non Unitorum scripto, prolixe Iura pro eorum parte exponente, ad tria principaliter capita restricto, nempe: 1⁰. Antiquitatis professionis illorum, quam ex fundamentis Religionis primitivam, de jure vero Patriae ab ipsa incorporatione Provinciarum Russicarum Regno Poloniae varijs Privilegijs donatam, et conservatam supponebant; 2⁰. Jurium sub Imperio Vladislai IV, et Joannis Casimiri Regum Poloniae[126] acquisitorum; 3⁰. Tractatus Grzymultoviani[127] inter Moschoviae Imperium, et solum Joannem III, anno 1686, conclusi, a Republica tamen Polona tunc primum de anno 1710 acceptati, et approbati.

---

[125] Lubienski Vladislaus, Archiepiscopus Gnesnensis et Primas Regni Poloniae (1759-1767).

[126] Vladislaus IV, Rex Poloniae (1632-1648), plura concessit in favorem dissidentium, praesertim in Comitiis electionis et coronationis (1632-1633), ut sibi benevolentiam captaret dissidentium; Joannes Casimirus, Rex Poloniae (1648-1668), in gravissimis angustiis Regni positus plura cedere et concedere debuit, praesertim in Pactis s. d. Zborovianis (1648) et Hadiacensibus (1658).

[127] Tractatus hic, qui s. d. « pacem aeternam » introduxit an. 1687, Dissidentibus eparchias Ucrainae occidentalis assecurabat, scil. Leopoliensem, Peremysliensem et Luceoriensem; tratatus hic non fuit tamen confirmatus, nisi postquam hae eparchiae iam accesserunt ad Unionem Perestensem, anno nempe 1692 — Peremysliensis, 1700 — Leopoliensis, 1702 — Luceoriensis.

Meditabamur solidam ad omnia haec responsionem, cum ecce de repente nobis innotuit, quod nobis inauditis, nec ad explicationem dd. Jurium admissis totum negocium intra aliquos dies concludetur, et ea propter articulos a Dissidentibus ea forma, et methodo jam esse compositos, ut super ijsdem DD. Commissarijs ad hocce negotium tractandum, et concludendum designatis nonnisi deliberare, non autem immutare liceret. Hujusmodi notitia, dictorumque articulorum nobis ab amicis communicatorum substantia eo magis nos exstimulavit ad exponenda, explicandaque oportune, atque in tempore Jura Sanctae Unionis, prout de facto bina scripta breviter quidem pro brevitate temporis, sed nervose exarata paravimus,[128] unum demonstrans ab ipso Fidei (f. 692) Christianae in partibus Russorum exordio non aliam extitisse Religionem, nisi unitate, et communione cum Sancta Romana, et universali Ecclesia conspicuam, eamque ut primo introductam, ita ad incorporationem usque Provinciarum Russicarum Regno Poloniae constanter perseverantem, uti plurimis exemplis ex probatissimis Authoribus, et publica fide receptis, imo etiam ipsis adversarijs in hoc scripto deducitur. Alterum scriptum continens summarium documentorum Ecclesiae unitae competentium, brevissimis animadversionibus, et Informationibus adornatum, ostendens, quod post incorporationem etiam Provinciarum Russicarum Regno Poloniae Unio Sancta in Ecclesia Ruthena vigebat, et hoc intuitu Privilegium Vladislai Jagellonidis anno 1443, mox post Florentinum Concilium, in eoque per Isidorum Metro politam receptam et promulgatam in Russia Unionem datum fuisse. Hoc Privilegio nullam Legem, aut Constitutionem, sive quodvis documentum anterius non Uniti produxerunt, per quae favor illis propter scissionem ecclesiasticam, et non-unionem concederetur. Ulterius succinte in eodem Summario primordia, et progressus renovatae Sanctae Unionis sub SS.mo Clemente VIII, Summo Pontifice, et arctioris Sanctae Sedi per subjectionem immediatam conjunctionis enarrantur. Tandem detegitur, qua arte, et methodo, quibus occasionibus, ac circumstantijs non-Uniti sub Imperio Vladislai IV, et Joannis Casimiri, Poloniae Regum, in statu Patriae acephalo, vel bellis, et tumultibus Cosaccorum agitato, nonnullos favores, quos nunc pro Lege sibi assumunt, acquisiverunt. Hanc etiam narrationem intrant rationes, et motiva, ex quibus praemissa jura pro firmis, et inconcussis haberi non possint. Postremo, maximum non-Unitorum fundamentum, tractatus nimirum Grzymultovianus propria, clara, et connaturali, ac ipsis verbis ex hoc Tractatu exceptis, nimirum: « *Salva integritate Fidei Sanctae Catholicae Romanae Ritus Latini, et Graeci iuxta statum, et conditionem, in quibus ad praesens reperitur* », interpretatur, et explicatur, taliterque praetensio non-Unitorum ad Episcopatus Leopoliensem, Luceoriensem, et Praemisliensem in toties dicto Tractatu comprehensos, qui tunc, quanto Respuplica Polona, hoc est anno 1710, eumdem Tractatum acceptavit, et approbavit in Unione cum Romana Ecclesia existebant, fundamentaliter eliditur. Haec bina scripta Se-

---

[128] Cfr. textum in *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. VIII, Romae 1965, pag. 40-55, nr. 19.

renissimo Regi, et Commissarijs ad Tractatum designatis communicavimus, quae adeo clementissimum Monarcham inflexerunt, ut demandaverit Ill.mis Cancellario, et Pro-Cancellario Regni, quatenus vocari ad Conclave Commissariorum nos permitterent. In obsequium Regiae voluntatis admissi nos ad Conclave (f. 692) ab hora nona matutina ad tertiam usque juxta gallicum Horologium pomeridianam sessioni attendentes, et omnia, quae in scriptis communicata fuerant, oretenus explicavimus, elucidavimus et informavimus, atque ut ea in recenti semper essent DD. Commissariorum memoria distincto scripto, synoptice omnia in se continente, in crastino commemoravimus, et recommendavimus omnes illas scripturas in latinam linguam interpretatas Ill. mo D. in his partibus Nuncio Apostolico.[129] Habita notitia Princeps Legatus Moschoviae, quod nos ad Conclave Commissariorum admissi fuerimus, commotus exprobravit Ill.mo Cancellario Regni, injuste cum Dissidentibus agi, quia Episcopis unitis pro Iuribus Religionis Catholicae perorare permissum fuerat, et insuper quaeque extrema nobis minatus fuit. Et ne per crebriores expositiones, ac informationes juste et aequum Partibus Catholicorum videretur suffragari, urgebat idem Princeps Legatus Moschoviae DD. Commissarios, quatenus Projectum propositionum a Dissidentibus porrectarum, in formam Tractatus redactum subscriberent. Et effecit, brevi siquidem mutato tantum stylo, adiectisque nonnullis subscripserunt.

Insuper in articulo unico, initio Tractatus posito, integritatem Religionis Catholicae in sequentibus Paragraphis praecustodiverunt. In primo, ut Religio Catholica Romana habeat titulum Religionis dominantis; 2do, ut secundum jura cardinalia Regni Rex sit Catholicus natus, vel vocatus, similiter et Regina; quod si vero contigerit Reginam non esse Catholicam, non coronetur; 3, transitus a Religione Catholica Romana ad alias Religiones Dissidentium sub poenis criminalibus, et exilij interdictus imposterum, exceptis ab hac Lege hactenus transgressis. Forum autem contra hujusmodi apostatas in Tribunali Regni, et magni Ducatus Lithuaniae in Registro ex termino pacto designatum; 4°, quia vero Dissidentes Evangelici ab anno 1668, quo tractatus Olivensis, fana sua, non-Uniti vero ecclesias ab anno 1680, quo Tractatus Grzymultovianus conclusus, intendebant a Catholicis recipere, etiam si illae jure conversionis ad Catholicos utriusque Ritus pervenerint possessionem, et idcirco actiones sibi in Iudicio mixto reservari, optarunt. Commissarij Catholici prospiciendo exinde ingens praejudicium Ecclesiae Catholicae maxime pro Ritu unito, id apud Principem Legatum Moschoviae vix effecerunt, quod etsi istas actiones simpliciter non amputaverit, annum tamen normalem 1717, non vero supra recensitos designavit, qui annus 1717 non potest jam suffragari (f. 693) non-Unitis ad movendam quaestionem de Episcopatibus Leopolien., Halicien., Luceorien., et Praemisliensi, sin alias in dubium vocandos. Praeterea id etiam favorem Catholicis praestitum concernere videtur quod decisum est, quatenus, in Livonia, Regno Poloniae subiecta, alijsque Provincijs in finibus Regni positis,

---

[129] Nicolao Serra (1760-1766).

in quibus hactenus praevaluit Religio Dissidentium, et Catholicorum sors erat inaequalis, abhinc perfecta aequalitas conservaretur.

Haec itaque est summa passuum nostrorum, et ipsi rerum eventus, quorum ut supra fidelem relationem Sacrae Congregationi de Propaganda Fide humillime praesento.

Humil.mus, dev.mus, et ob.mus Servus

PHILIPPUS FELICIANUS WOLODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae et E.pus Vlodomiriensis, ritus Rutheni uniti.

* * *

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 9, f. 690rv.
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, f. 232rv.

Brevis Synopsis Jurium, et rationum nuper ab Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, omnibusque Episcopis Ruthenis unitis in Regno Poloniae, fusius deductarum contra recentia postulata Ruthenorum disunitorum ac dissidentium, in Comitijs extraordinarijs dicti Regni de anno 1767 promota.[130]

Illa est antiquissima in Russia Graeca Orientalis Religio, quae juribus antiquissimis gaudet, et perfruitur; cum autem Religio Graeca unita antiquissima ab Vladislao Iagiellonide tributa sibi de anno 1443 jura possideat, quibus vetustiora a non unitis adduci non possunt, nec de facto adducuntur, pro antiquissima itaque reputari debet Religio Graeca Catholica; et quamquam haec a Graecis alienigenis Constantinopolitanis Emissarijs, (quales fuerunt Dionysius circa annum 1440 a Vladimiro Olgienide Kijoviae carceri perpetuo mancipatus, alter Gerasimus a Boleslao Swidrygaylone Vitepsci comprehensus, et ad regum damnatus[131]) variis tempestatibus jactata *fluctuare* interdum videretur, numquam tamen naufragium passa, et potiori prae reliquis extraneis confessionibus, a dominante Religione discrepantibus, libertate fovebatur. Illud de facto in dubium trahi nequit, antiquissima haec iura motivo reintegratae et constabilitae in Concilio Florentino unitatis, Ecclesiae Ruthenae tributa fuisse, cum tamen nullum etiam recentissimum Jus non Uniti producere valeant, quo illis intuitu diversitatis a Religione Catholica aliquis favor a Regibus Poloniae praestitus inveniretur.

Quae porro non-Uniti sub tempus rebellionis Cosaticae,[132] aut cum communem Matri suae Patriae, praesentaneis periculis expositae, opem ferre denegarent, lucrati sunt jura, haec uti per vim extorta, tamquam invalida, et minime obligantia reputari debent. Ipse Rex Vladislaus IV testatur, *quod puncta pacificationis* per conniventiam tantum, non in vim approbationis Jurium Schi-

---

[130] In his Comitiis quaerelae contra Ecclesiam Unitam ex parte non Unitorum et Moscovitarum motae fuerunt, quibus responsum datum fuit a Hierarchia Unita. De expositione iurium Ecclesiae Unitae; cfr' *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. IV Romae 1965, pag. 40-55, nr. 19.

[131] Metropolita Gerasimus fuit an. 1432-1435.

[132] Annis 1648-1658, sub duce cosacorum Bohdan Chmelnyckyj.

smatis confirmata sunt; confirmatio unice permissive admissa fuit; quandoquidem opponente se votis, et desiderijs non-Unitorum Republica nullatenus ad defensionem interituri procul dubio Regni deventum fuisset, uti numerosae Senatorum, Ministrorum, et Legatorum protunc interpositae protestationes indubiam fidem faciunt. Fides nos docet verbo Christi firmata, effectum Sacramentorum ex Suprema Sapientia, Providentia, et Auctoritate Institutoris pendentem esse indubium; omni tamen valore, et effectu ipsa etiam Sacramenta destitui per incussam formidinem, si eam vir caeteroquin firmus, (f. 690v) constans, et prudens subire cogatur.

Tertio. Pacta a Joanne III inita anno 1686, non obligabant Rempublicam usque ad annum 1710, quo haec primo volumini Legum inserta, confirmata, et servari sub certa ibidem adiecta clausula promissa fuerunt. Quis itaque facta examinare, et ea violati Tractatus nomine insimulare valebit, si haec prius contigerant, quam Tractatus robur, et juris obligatorij nancisceretur, utique actus delicti nomen acquirit, dum lege est posterior, et transgreditur fines a lege praescriptos.

88. - 89.

Varsavia, 20. XII. 1767.
15. I. 1768.

Assumptio Leonis Szeptyckyj in Coadiutorem et Administratorem Metropoliae Kioviensis in spiritualibus et temporalibus, cum assignatione reddituum.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 821, f. 205-209.
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 79-84.

Felicianus Philippus Wolodkowicz Dei, et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis, Abbas Kijovo-Peczarensis. - Ill.mo et Rev.mo Domino Leoni Szeptycki Leopoliensi, et Camenecensi Episcopo, Kijoviensi autem, cum futura successione, Coadjutori nostro salutem.[133]

Pastoralis Officii onus, Angelicis etiam humeris vere formidandum de Apostolicae Sedis mandato, a triginta septem annis, licet immeriti, ad haec tempora, pro possibili gerimus, quod cum ingravescente aetate, totque annorum laboribus attrita valetudine, non amplius, absque nostro graviori incommodo, propriis viribus ferre valeamus, cumque Jurisdictionis Nostrae exercitium per complures invicem a se dissitas Poloniae et Lithuaniae Provincias extendi, rerumque difficultates magis magisque in dies augeri perpendamus, optimo

[133] Etsi iam anno 1762 Leo Szeptyckyj in Coadiutorem Metropoliae nominatus fuit, tamen plenam iurisdictionem tantummodo hoc anno accepit, qua tamen per longum tempus gaudere non fuit ei datum, nam omnia fere a Metropolita retractata fuerunt, et lis de iurisdictione per plures annos perdurabat. De his testantur quam plurima documenta, quae sequuntur, usque ad annum 1774.

consilio in eam descendimus sententiam, ut Cleri et Populi curae nostrae praecommissi salute in tuto collocata, propriae quoque valetudini sufficienter provideamus. Ad aequiorem sententiae ejusmodi executionem, tutior non remanet nobis via, quam ut, pro antiquiori desiderio nostro, curam et sollicitudinem Pastoralem in effectu jam committamus Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae, quam proinde in Generalem universae per Polonas duntaxat oras Dioecesis nostrae quoad spiritualia Vicarium, et Locumtenentem nostrum, absque ulteriori dilatione, deputandam, eligendam, et constituendam esse duximus, veluti, remotis ante omnia Vicariis Generalibus ubicunque nostra hactenus auctoritate deputatis, praemissaque matura deliberatione, deputamus, eligimus, et constituimus, atque in ipsam omnia Pontificalium, et Jurisdictionis nostrae et delegatae Jura, libere et sponte, in Dei omnipotentis nomine, Praesentium tenore, et ex animo, transfundimus, cum plena libertate, ampla et generali administratione ac potestate omnes, et singulas causas, lites, quaestiones, et controversias beneficiales, matrimoniales, prophanas, criminales, spirituales, temporales, et mixtas, ac quascunque alias etiam similes, inter quascunque Personas ecclesiasticas et saeculares, Collegia, Conventus, Oppida, et Universitates, etiam contra exemptos Clericos saeculares sive regulares extra Claustra degentes, quacunque ratione, titulo, vel occasione, hactenus exortas, et quae inposterum exoriri poterunt, ac quarum cognitio ad nos de jure, consuetudine, vel alia quavis ratione, et quocunque Privilegio, etiam ex dispositione Canonica, etiam tanquam Sedis Apostolicae Delegatus (: quas omnes et singulas hic pro sufficienter expressis haberi volumus :) et (f. 205v) quascunque alias tum principales, quam incidentes, quandocunque devolutas, ac imposterum devolvendas, dictae autem Kioviensi Dioecesi spectantes et pertinentes audiendi, cognoscendi, decidendi, debitoque fine terminandi, ac in illis, tam per viam accusationis, denuntiationis aut inquisitionis ad instantiam Partis, etiam privatae Personae, seu Procuratoris nostri Fiscalis, aut quarumcunque Personarum, quam etiam ex Officio, quae nostrae subiacent jurisdictioni, et in quibus jus nobis competit, procedendi, ac procedi faciendi, nec non agendi, inquirendi, judicandi, sentendiandi, puniendi, mulctandi, incarcerandi, ac omnia et singula alia faciendi, et exequendi, tam contra Clericos saeculares, quam alias quascunque etiam exemptas ac privilegiatas Personas, etiam honorariis quibuscunque titulis insignitas et decoratas, quae ad nostram spectant jurisdictionem et in quibus quoad dictum Officium, tam de jure, quam de consuetudine etiam ex privilegio et dispositione Canonica, vel alias quomodocunque, qnandocumqne, et qualitercunque pertineant, delinquentesque ipsos perpetuo vel ad tempus, secundum quantitatem et qualitatem excessus seu delicti, ab eorum officiis, seu Beneficiis suspendendi, et interdicendi, privandi, ac etiam dispensandi, et poenas commutandi, revocandi, et mitigandi, ac moderandi; Quascunque etiam Ecclesias et Monasteria, Seminaria, xenodochia, aliaque loca, Populum ac Personas, ratione dictae Dioecesis nobis subditos et subdita, per se, vel per alios ad id omnino idoneos visitandi, corrigendi, et reformandi tam in capite, quam in membris, toties quoties opus fuerit, et prout juris ordo et

Canonica dispositio, atque legitima consuetudo dictaverit, Personas ad statum ecclesiasticum aspirantes seligendi, examinandi, ejsdemque Literas ad Juris Patronos testimoniales et commendatitias dandi, ad Ordines Minores, et Sacros Majores, servatis servandis promovendi, Ordinationes etiam dispensatis, si recta postulaverit ratio, Interstitiis, faciendi, Ecclesias, Capellas conservandi, et alia omnia Pontificalia in universa Kioviensi Dioecesi nostra exercendi. Damus praeterea plenam et omnimodam potestatem, dignitates, officia, ac omnia et singula Beneficia Ecclesiastica quaecunque cum cura, vel sine cura, saecularia, vel Regularia, etiam de novo creata, vel creanda, vacantia vel vacatura, quae ad Collationem, Provisionem, Praesentationem, Electionem, Institutionem, Confirmationem, quamcunque alterius generis despositionem nostram, de jure, consuetudine, vel quovis alio titulo, communiter vel divisim pertinet, (f. 206) et jure tam proprio, quam devoluto, auctoritate Apostolica, vel quavis alia potestate, a jure communi vel speciali nobis concessa, et quomodocunque spectantia, Personis tamen alias idoneis, ac praevio debito examine, ad formam Sacrorum Canonum approbatis, conferendi, et de illis providendi, et commendandi, atque Personas nominandas, praesentandas, et eligendas ad hujusmodi Beneficia servatis servandis, instituendi et confirmandi, prout melius de jure, vel consuetudine, statuto, sive Privilegio ac Constitutionibus, aliisque modis pertinet, et pertinere poterit quomodolibet. Insuper Rectores ad curam animarum idoneos deputandi, ipsamque curam eisdem committendi, ipsosque ad hujusmodi Beneficia institutos pro more admittendi, et in eorum corporalem, actualem ac realem possessionem inducendi, et ab aliis induci, mandandi, atque etiam Beneficia uniendi, Resignationes ex causa permutationis, vel simpliciter, faciendas, de quibuscunque Beneficiis ac Officiis, a quibuscunque Personis recipiendi ac admittendi, sicque resignata aliis conferendi. Literas quascunque commendatitias, testimoniales, dimissoriales, etiam sine reditu, tum quoque ad omnes etiam Sacros Presbyteratus Ordines, Personis dignis, servatis servandis, concedendi; Testamenta, Codicillos, et ultimas voluntates, prout de jure, approbandi, et in eis ac in aliis contractibus quibuscunque authoritatem ordinariam interponendi. Censuras Ecclesiasticas ferendi, excommunicatos, suspensos, et interdictos a jure, in casibus nobis permissis, absolvendi, super denuntiationibus seu Bannis ad contrahendum Matrimonium, ex causa legitima, dispensandi, illis tamen ante matrimonii consumationem, ad formam Literarum Apostolicarum novissime editarum, proponendis, Matrimonii autem contractum tempore prohibito permittendi, absente autem vel legitime praepedito, aut moroso proprio Parocho, alium Presbyterum in Literas substitutionis de nomine et cognomine specificandum, ad assistendum Matrimonio ex gravi et legitima causa substituendi; a casibus quibuscunque Sedi nostrae reservatis, absolvendi, et aliis Confessariis facultatem absolutionis delegandi, in irregularitatibus tamen non nisi occultis, nostraeque Jurisdictioni spectantibus, dispensandi, licentiam ingrediendi Monasteria Monialium in casibus, et pro Personis a jure designatis, (f. 206v) concedendi; Congregationes Dioecesanas indicendi, iisque praesidendi, aut Prae-

sidem in sui locum deputandi, vacantium Beneficiorum Administratores, Oeconomos, et Commendatarios deputandi, hosque revocandi; Coadjutores Rectoribus Parochialium imperitis et infirmis dandi; Fundationes novas etiam Beneficiorum quorumcunque, cum juris Patronatus praeservatione Fundatoribus, locationesque Bonorum vulgo Arendas, servatis de jure servandis, approbandi, admittendi; pias testatorum voluntates exequendi, easque in casibus, prout de jure, commutandi; post intestatos Clericos, servatis de jure servandis, disponendi; summas Ecclesiarum, Beneficiorum, Monasteriorum, et piorum Locorum censuales, ad effectum deportandi, et in alia Bona transferendi, consensum praebendi, in alienationibus tamen, ad formam SS. Canonum, auctoritatem praestandi, et Decretum interponendi, Literas Monitoriales in forma «significavit» pro rebus deperditis et clam subtractis concedendi; Clericos ad testimonium coram quovis judicio saeculari, non tamen in causis criminalibus, nec contra Personas Ecclesiasticas perhibendum, dispensandi; supplicationes publicas extraordinarias pro aliqua gravi necessitate indicendi; Literas Apostolicas nobis directas seu dirigendas aperiendi, et exequendi, Indulgentiasque a Sede Apostolica in perpetuum, vel ad tempus concessas aut concedendas admittendi, et publicandi; voluntatem puellarum habitu Religioso vestiri, sive monasticam vitam profiteri cupientium, explorandi; Confessarios saeculares, sive Regulares etiam Monialium examinandi, ad tempus approbandi, et facultatem eis concessam ex causa revocandi; Concionatores approbandi, eosque legitima ex causa suspendendi; Facultatibus, a Sede Apostolica nobis omni quinquennio concedi solitis, utendi, easque Presbyteris, praecipue Curatis, ad tenorem earundem facultatem, prudenter communicandi; libros imprimendos vel reimprimendos, praevia Theologorum censura, approbandi; Actuarios, Defensores Causarum foraneos, Decanos, Vice-Decanos, Cleri Examinatores et Instructores, ac reliquos quoscunque ad rectum Dioecesis (f 207) regimen necessarios Ministros, toties quoties opus fuerit, de Clero tamen Metropolitano, nec alias constituendi, eosque amovendi, imo etiam cum simili vel limitata potestate unum vel plures, pariter de eodem Clero in sui locum substituendi, et pro libitu destituendi, aliaque omnia super praemissis necessaria faciendi, gerendi, statuendi, ordinandi, et exequendi, quae vere legitimi Generales in Spiritualibus Vicarii, Officiales Locumtenentes, tam de jure, quam de consuetudine facere, exercere, ordinare, statuere possint, ac debeant, et quae tam ad voluntariam, quam ad contentiosam jurisdictionem, et ad forum sive iudiciale, sive poenitentiale spectant, ac pertinent, alias ea universa, sub nomine et sigillo propriis, sub expresso tamen Vicarii nostri Generalis titulo, subque omnino distinctis a Leopoliensi Cancellaria Actis et Ministris, gerendi et faciendi, quae nos ipsi, tam de jure, quam de consuetudine facere, et gerere possemus, quaeque etiam speciali indigerent mandato, dummodo non sint sequentia, quae nobismet ipsis mature et solenniter reservamus: videlicet, licentiam fundandi de nova radice utriusque sexus Monasteria, reformandi Tabellas Cathedratici auctoritate Praedecessoris nostri Opt. Mem. Floriani Hrebnicki olim stabilitas, immutandi pensiones pro Dioecesanorum Ministro-

rum sustentatione ex antiquo constitutas, subsidia charitatativa extraordinaria a clero petendi et exigendi, Clericos in sacris positos solemniter degradandi, Antimensia et Olea consecrandi, publicas Indulgentias largiendi, causas super Regularium sive professione, sive apellatione cognoscendi, Processus Promovendorum ad Episcopatus et Abbatias conficiendi, simulque eosdem consecrandi, aut benedicendi, denique in generalibus Monachorum Capitulis praesidendi, nec non consuetam Sedi Apostolicae de statu Dioecesis nostrae relationem transmittendi; in quibus taliter reservatis, ad nos immediate Ill.ma et Rev.ma Dominatio Tua recurrere, nobisque quolibet anno exactam Dioecesis nostrae relationem inscriptis transmittere omnino teneatur. In reliquis autem omnibus et singulis, etiamsi (f. 207v) specialiter hic non sint enuntiata, dummodo ex jure et consuetudine Vicariis Generalibus recte competant, neque inter modo reservata includantur, semel pro semper, omnem plenam nostram in spiritualibus potestatem et jurisdictionem ordinariam aeque ac delegatam Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae damus, concedimus, et impertimur, ad vitae nostrae tempora, quin unquam directe aut indirecte eandem interturbare, immutare, aut quoquo modo revocare valeamus. - Proinde universo Dioecesis nostrae Metropolitanae intra Regnum Poloniae consistenti Clero ac Populo, in virtute Sanctae Obedientiae mandamus, quatenus Ill.mam et Rev.mam Dominationem Tuam prompto ac benigno ubique recipiant animo, ac pro proprio et legitimo Vicario, Officiali, et Locumtenente Generali nostro recognoscant tibique in omnibus, juxta praemissa, obediant, et assistant. Promittentes omnia et singula ipsius dicta, acta, gesta pro rato, grato, firmo, semper habere et inviolabiliter servare. In quorum fidem Praesentes manu nostra subscripsimus, sigilloque proprio communiri jussimus.

Datum Varsaviae, in Palatio nostro, die 20 Mensis Decembris, 1767 anno. -

Felicianus, Archi-Episcopus Kijoviensis, Metropolitanus totius Russiae (mp) Locus Sigilli -

* * *

Alterius autem Instrumenti obloquentia est ejusmodi, prout sequitur. -

Felicianus Philippus Wolodkowicz Dei, et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis, Abbas Kijovo-Peczarensis. Ill.mo et Rev.mo Domino Leoni Szeptycki, Leopoliensi et Camenecensi Episcopo, Kijoviensi autem cum futura successione Coadjutori nostro, salutem. -

Ut recto nostrae intra limites Poloniae Dioecesis Kijoviensis gubernio aeque ac tot annorum laboribus attritae valetudini propriae consuleremus Jurisdictionem nostram, omneque in spiritualibus regimen cum (f. 208) titulo et officio Vicarii nostri Generalis, Ill.mae et Rev.mae Dominationi Vestrae, Literis nostris sub die vigesima mensis Decembris anno proxime elapso commisimus, et demandavimus. Cum autem nemo propriis militare stipendiis teneatur, cumque digna laboribus merces unicuique rependi debeat, Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae de congrua proinde sustentationis ratione providere matura cum deliberatione statuimus, veluti libenter id exequendo, remota ulteriori dilatione, quartam omnium Mensae Metropolitanae Bonorum

intra Poloniae Lithuaniaeque oras consistentium, ac etiam universae Dioecesanae Cathedratici nomine apellatae pensionis partem, eidem praesentium tenore, in modum Provisionis, assignamus, eamque intra quinque a data Praesentium Menses vere et realiter nos exdivisuros, ac in effectu tibi traditurос, sub fide, honore, et conscientia, omni meliori modo et forma, obligamur. Ut autem eiusmodi exdivisio, servata omni aequitate absque ulla fraude, citius faciliusque succedat, Perillustribus Adm. RR. DD. Antonio Modzelewski, Judici surrogato nostro Vilnensi et Alexandro Wackiewicz, Decano Zytomiriensi, ad infrascripta Commissariis nostris, ex nunc hisce literis specialiter demandamus, quatenus ipsorum primus intra duntaxat Lithuaniae Ducatum, alter vero intra Poloniae Regnum, una cum Commissariis per Tuam Ill.mam et Rev.mam Dominationem, pari numero et absque mora deputandis, junctim ad singula Bona, Vilas, Praedia, omnesque quolibet nomine appellatas, et ubicunque intra Poloniae, Lithuaniaeque fines respective situm habentes, Mensae autem nostrae Metropolitanae spectantes Possessiones illico se conferant, ibidemque Inventaria conficiant, Proventus omnes connotent, eaque omnia revisa, confecta, adnotata, ac intra quatuor Menses absoluta, nobis tuaeque Ill.mae et Rev.mae Do.ni, quo jussi fuerint, exhibeant. Conquisitis autem ejusmodi Inventariis nosmet ipsi omnia Bona, Villas, Praedia, et cujuscunque tituli Possessiones, et Proventus sic ut supra connotatos, in quatuor aequales partes fideliter et summa honestate, celeriter exdividemus, de quibus eam unicam, quam Ill.mae et Rev.mae D.ni Tuae pro arbitrio eligere placuerit, simul cum quarta Cathedraticae ex anno praesenti habendae Pensionis parte (f. 208v) in congruam Ill.mae et Rev.mae D.nis Tuae sustentationem, diebus proxime venturi Mensis Junii, statim, realiter, et effective trademus, consignabimus, et possidere concedemus, nihil quidquam ex dicta per Dominationem Tuam Ill.mam et Rev.mam eligenda quarta parte nobis reservaturi, nec ullo praetextu et ratione, directe vel indirecte, pacificam ejusmodi possessionem, regimen, dispositionem, et plenam Proventuum perceptionem interturbari; quin tamen ipsa, nobis insciis, Bona praedicta ullis Personis, in qualemcunque etiam temporaneam possessionem dimittere audeat.

Praeterea nostrum in hac Regia Urbe Palatium pleno Ill.mae et Rev.mae Dominationis Tuae usui ac commodo sponte et libenter, exnunc, cum omnibus juribus et emolumentis, cedimus, hac tamen, omnibus prudentiae et justitiae motivis svadentibus, lege solemniter adlecta, ut pro ejusdem Palatii reparatione, aut fabrica quacunque nihil unquam a nobis petere, vel exigere possit, nec nobismet ipsis, aut Episcoporum nostrorum cuipiam in quibusvis Ruthenae Hierarchiae negotiis huc delegando, liberam pro possibili mansionem negare, extero autem cuicunque gratis vel praetio concedere, aut ullum vel minimum Monachis Suprasliensibus in Capella Palatiali, ex piissima Praedecessoris nostri san.mem. Leonis Kiszka fundatione,[134] Divina Officia peragentibus incommodum vel praejudicium irrogare ullo colore ac modo valeat. Cau-

[134] Leo Kiszka, Metropolita Kioviensis (1714-1729).

sas quoque, modo Bona, Dioecesim, Ritum, et Fidem Sanctam respicientes in diversis Patriae, et Urbis Romanae subselliis, active a nobis caeptas, omnibus aequitati, statuique nostro magis consentaneis viis, semper etiam adhibito Ill.mae et Rev.mae Dominationis Tuae consilio, nosmet ipsi, curis et impensis duntaxat propriis, terminare curabimus, futuras autem quascunque et ubicunque lites nostro suique nomine conjunctim de nostro scitu et consilio inchoandi, prosequendi, amicabiliter componendi, et finaliter terminandi facultatem et potestatem omnimodam D.ni Tuae Ill.mae et Rev.mae damus per praesentes, atque pro legitimis earundem expensis, quarum liquidationem nobis pro semper reservamus, tres erogati sumptus partes ex Proventibus (f. 209) iam nobis supra reservatis exolvere promittimus; qua quidem fructuum proportione omni tempore adamussim servanda, etiam in futuris, mutuo tamen consilio nostro decernendis sive ad opportunam Ecclesiarum aedificiorumque Cathedralium reparationem et provisionem sive ad modernam praedialium fabricarum erectionem, sive demum ad communia Hierarchiae nostrae onera ferenda, sumptibus, constanter et omnino procedemus, trina videlicet Proventuum supra reservatorum parte, singulis hisce expensis debite liquidandis prompto animo, et sine ulla renitentia semper responsuri, quin Ill.mam et Rev.mam Dominationem Tuam trahere unquam et obligare valeamus ad nulla dispendia pro fabricis nostro arbitrio inchoatis et nondum terminatis, quas integro proprio sumptu continuare et perficere ex animo pollicemur. Cavemus denique ut, cum Deo benedicente ad Mensam nostram Metropolitanam rediverint quaeque avulsa, quarta eorundem portione Tuae Ill.mae et Rev.mae D.ni plene reservata, tres reliquae partes nobis omnimo spectent et referantur, utque ad omnia Dioecesis nostrae Beneficia soli Dioecesani nostri, exteris omnino exclusis, promoveantur. Haec sunt profecto quae omni jure, maturo consilio, ac sincera voluntate lubenter supra constabilivimus, ut scilicet rectae Dioecesanorum Administrationi sufficienter provideamus, Christi Patrimonium viriliter tutemur, condigno nostri Coadjutoris statui pro aequitate dignitateque prospiciamus, et demum propriae valetudini, quantum in nobis erit, aliquomodo consulamus. In quorum fidem Praesentes manu nostra subscripsimus, sigilloque proprio communiri jussimus.

Datum Varsaviae, in Palatio nostro, die decimaquinta mensis Januarii, Millesimo septingentesimo sexagesimo octavo anno.

Felicianus, Archi-Episcopus Kijoviensis, Metropolita totius Russiae (mp). - Locus Sigilli

Praesentem Copiam ex suo Originali transumptam, confrontatam et collationatam cum eodem suo Originali sano salvo et illaeso, concordare in omnibus attestor. In cujus rei fidem praesentes subscripsi et sigillo Ill.mi et Rev.mi D.ni D. Angeli Maria Durini, Archi-Episcopi Ancyrani et Nuntij Apostolici in Regno Poloniae, communivi. Varsaviae in Cancellaria Nuntiaturae Apostolicae hac die 19 Mensis Februarij, anno 1760.

Petrus Jaskrzewski, Publicus S. Auth. Apostolica
Notarius et Nunt. Apost. in Regno Poloniae
Cancellarius (mpr).

90. - 91.

Varsavia, 20. XII. 1767.
15. XII. 1768.

Documentum assumptionis Antonini Mlodovskyj in Administratorem in spiritualibus et temporalibus Episcopaus Volodimiriensis, nec non dispositiones de rebus et redditibus Mensae.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 821, f. 203-204v.
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 58-62.

Felicianus Philippus Wolodkowicz Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijovien. Halicien. et totius Russiae, Episcopus Vladimirien. Abbas Kijovopeczarien. Ill.mo et Rev.mo Domino Antonino Strus Mlodowski, Episcopo Bresten., Vladimirien. autem cum futura Successione Coadjutori nostro salutem.[135]

Pastoralis Officii onus Angelicis etiam humeris vere formidandum de Apostolicae Sedis mandato a triginta septem annis licet immeriti ad haec tempora pro possibili geremus, quod cum ingravescente aetete totque annorum laboribus attrita valetudine non amplius absque nostro graviori incommodo propriis viribus ferre valeamus, cumque jurisdictionis nostrae exercitium per complures invicem, a se dissitas Provincias extendi rerumque difficultates magis magisque in dies augendi perpendamus, optimo consilio in eam descendimus sententiam, ut Cleri et Populi curae nostrae praecommissi salute in tuto collocata propriae valetudini sufficienter provideamus. Ad aequiorem sententiae ejusmodi executionem tutior non remanet nobis via, quam ut prae antiquiori desiderio nostro curam et sollicitudinem Pastoralem in effectu jam committamus Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae; quam proinde in generalem universae Dioecesis nostrae Vladimirien. quoad spiritualia Vicarium et Locumtenentem nostrum absque ulteriori dilatione, deputandam, eligendam et constituendum esse duximus, veluti, remoto ante omnia Vicario Generali nostra hactenus authoritate deputato, praemissaque matura deliberatione deputamus, eligimus et constituimus, atque in ipsam omnia Pontificalium, et jurisdctionis nostrae ordinariae et delegatae jura libere et sponte in Dei Omnipotentis nomine praesentium tenore et ex animo transfundimus; cum plena libertate, ampla et generali Administratione, ac potestate omnes et singulas causas, lites, quaestiones et controversias Beneficiales, matrimoniales, prophanas, criminales, spirituales, temporales et mixtas, ac quascunque alias, etiam similes inter quascunque Personas ecclesiasticus et saeculares, collegia, conventus, et universitates, etiam contra exemptos Clericos saeculares, sive Regulares extra claustra degentes quacunque ratione, titulo vel occasione hactenus exortas, et quae in posterum exoriri poterunt ac quarum cognitio ad nos de jure, consuetudine vel alia quavis ratione, et quocunque Privilegio etiam ex dispositione Canonica etiam tanquam Sedis

---

[135] Idem dicendum ac in nota 133, relate tamen ad eparchiam Volodimiriensem.

Apostolicae Delegato (:quas omnes et singulas hic pro sufficienter expressis haberi volumus:) et quascunque alias tam principales, quam incidentes, quandocunque devolutas, ac in posterum devolvendus, dictae autem Vladimiriensi Dioecesi spectantes et pertinentes audiendi, cognoscendi, decidendi, debitoque fine terminandi, ac in illis tam per viam accusationis, denuntiationis, aut inquisitionis ad instantiam partis, etiam privatae Personae, seu Procuratoris nostri Fiscalis aut quarumcunque Personarum, quam etiam ex officio, quae nostrae subjacent jurisdictioni et in quibus jus nobis competit procedendi ac procedi faciendi, nec non agendi,inquirendi, judicandi, sententiandi, puniendi,muletandi, incarcerandi, ac omnia et singula alia faciendi et exequendi tam contra Clericos saeculares, quam alias quascunque etiam exemptas ac privilegiatas Personas, etiam honorariis quibuscunque titulis insignitas ac decoratas, quae ad nostram spectant jurisdictionem, et in quibus quo ad dictum officium tam de jure, quam de consuetudine, etiam ex Privilegio et dispositione Canonica, vel alias quomodocunque, quandocunque et qualitercunque pertineant, delinquentesque ipsos perpetuo vel ad tempus, secundum quantitatem et qualitatem excessus seu delicti, ab eorum Officiis seu Beneficiis suspendendi et interdicendi, privandi, ac etiam dispensandi, et poenas commutandi, revocandi, et mitigandi, ac moderandi. Quascunque etiam Ecclesias et Monasteria, Seminaria, Xenodochia, aliaque loca populum ac personas ratione dictae Dioecesis nobis subditos et subdita per se vel per alios ad id omnino idoneos visitandi, corrigendi, et reformandi tam in Capite quam in membris, toties quoties opus fuerit, et prout juris ordo et Canonica dispositio, atque legitima consuetudo dictaverit. Personas ad Statum ecclesiasticum aspirantes seligendi, examinandi, eisdemque Litteras ad Juris Patronos testimoniales et commendatitias dandi; ad Ordines Minores, et Sacros Majores, servatis servandis, promovendi, ordinationes, etiam dispensatis, si recta postulaverit ratio, interstitiis, faciendi, Ecclesias, Capellas consecrandi, et alia omnia Pontificalia in universa Vladimiriensi Dioecesi nostra exercendi, ac licentiam Pontificalium alijs Episcopis et viris usum Pontificalium legitime habentibus intra eandem impertiendi. Damus praeterea plenam et omnimodam potestatem dignitates, officia, ac omnia et singula Beneficia ecclesiastica quaecunque, cum cura vel sine cura, saecularia vel (f. 203v) regularia, etiam de novo creata vel creanda, vacantia vel vacatura, suae ad Collationem, Provisionem, Praesentationem, Electionem, Institutionem, Confirmationem, quamcunque alterius generis dispositionem nostram de jure, consuetudine vel quovis alio titulo communiter vel divisim pertinet, et jure tam proprio quam devoluto Authoritate Apostolica vel alia quavis potestate a Jure communi vel speciali nobis concessa et quomodocunque spectantia, Personis tamen alias idoneis ac praevio debito examine ad formam Sacrorum Canonum approbatis conferendi, et de illis providendi et commendandi, atque Personas nominandas, praesentandas, et eligendas ad hujusmodi Beneficia, sevatis servandis, instituendi, et confirmandi, prout melius de Jure, vel consuetudine, statuto sive Privilegio, ac Constitutionibus, aliisque modis pertinet et pertinere poterit quomodolibet. Insuper Rectores ad curam animarum idoneos deputandi ipsam-

que curam eisdem committendi ipsosque ad hujusmodi Beneficia institutos pro more admittendi, et in eorum corporalem, actualem, ac realem possessionem inducendi et ab aliis induci mandandi, atque etiam Beneficia uniendi. Resignationes ex causa permutationis vel simpliciter faciendas de quibuscunque Beneficiis, ac officiis, a quibuscunque personis recipiendi ac admittendi, sicque resignata aliis conferendi. Literas quascunque commendatitias, testimoniales dimissoriales etiam sine reditu, tum quoque ad omnes etiam Sacros Presbyteratus Ordines Personis dignis, servatis servandis, concedendi. Testamenta, Condicillos, et ultimas voluntates prout de jure approbandi, et in eis ac aliis contractibus quibuscunque authoritatem ordinariam interponendi. Censuras ecclesiasticas ferendi, excommunicatos suspensos, et interdictos a jure in casibus nobis permissis absolvendi. Super denuntiationibus seu Bannis ad contrahendum Matrimonium ex causa legitima dispensandi, illis tamen ante Matrimonii consummationem ad formam Literarum Apostolicarum novissime editarum proponendis, matrimonii autem contractum tempore prohibito permittendi, absente autem vel legitime impedito, aut magis moroso proprio Parocho alium Presbyterum i n Litteris substitutionis de nomine et cognomine specificandum, ad assistendum Matrimonio ex gravi et legitima causa substituendi; a casibus quibuscunque Sedi nostrae servatis absolvendi, et aliis confessariis facultatem absolutionis delegendi. In irregularitatibus tamen nonnisi occultis nostraeque jurisdictioni spectantibus dispensandi. Licentiam ingrediendi Monasteria Monialium in casibus et pro personis a jure designatis concedendi. Congregationes Dioecesanas indicendi, iisque praesidendi, aut Praesidem in sui locum deputandi. Vacantium Beneficiorum Administratores, Oeconomos et Commendarios deputandi, hosque revocandi. Coadjutores Rectoribus Parochialium imperitis et infirmis dandi. Fundationes novas etiam Beneficiorum quorumcunque cum juris Patronatus praeservatione Fundatoribus, locationesque Bonorum vulgo Arendas servatis de jure servandis approbandi, admittendi. Pias testatorum voluntates exequendi, easque in casibus prout de jure commutandi; post intestatos Clericos, servatis de jure servandis, disponendi. Summas Ecclesiarum, Beneficiorum, Monasteriorum, et piorum Locoru m censuales ad effectum deportandi, et in alia Bona transferendi, consensum praebendi, in alienationibus tamen ad formam SS. Canonum auctoritatem praestandi, et decretum interponendi. Litteras Monitoriales in forma « Significavit », pro rebus deperditis et clam subtractis concedendi. Clericos ad testimonium coram quovis Judicio saeculari, non tamen in causis criminalibus, nec contra Personas ecclesiasticas, perhibendum dispensandi. Supplicationes publicas extraordinarias pro aliqua gravi necessitate indicendi. Litteras Apostolicas nobis directas seu dirigendas aperiendi et exequendi, Indulgentiasque a Sede Apostolica in perpetuum vel ad tempus concessas aut concedendas admittendi et publicandi; voluntatem puellarum habitu religioso vestiri, sive monasticam vitam profiteri cupientium explorandi. Confessarios Saeculares sive Regulares, etiam Monialium, examinandi, ad tempus approbandi et facultatem eis concessam ex causa revocandi. Concionatores approbandi, eosque legittima ex causa suspendendi. Facultatibus a Sede Apostolica nobis omni quinquennio

concedi solitis utendi, easque Presbyteris, praecipue curatis, ad tenorem earundem facultatum prudenter communicandi. Libros imprimendos vel reimprimendos, praevia Theologorum censura, approbandi. Actuarios, Defensores causarum Matrimonialium, Promotores Fiscales, Vicarios, foraneos Decanos, Vice Decanos, Cleri Examinatores, et Instructores, ac reliquos, quoscunque ad rectum Dioecesis Regimen necessarios Ministros toties quoties opus fuerit constituendi, eosque amovendi, imo etiam cum simili vel limitata potestate unum vel plures in sui locum substituendi, et pro libitu destituendi. Aliaque omnia super praemissis necessaria faciendi, gerendi, statuendi, ordinandi, et exequendi, quae vere legitimi Generales in spiritualibus Vicarii, Officiales, Locumtenentes tam de jure, quam de consuetudine facere, exercere, ordinare, statuere possint, ac debeant, et quae tam ad voluntariam, quam ad contentiosam jurisdictionem, et ad forum sive judiciale, sive paenitentiale spectant et pertinent, alias ea universa sub nomine et sigillo propriis, sub expresso tamen Vicarii nostri Generalis titulo, gerendi et faciendi, quae nos ipsi, tam de jure, quam de consuetudine faceret gerere possemus, quaeque etiam speciali indigerent mandato, dummodo non sint sequentia, quae nobismet ipsis mature et solemniter reservamus, videlicet: Licentiam fundandi de nova radice utriusque sexus monasteria, reformandi tabellas Cathedratico olim stabilitas, immutandi pensiones pro Dioecesanorum Ministrorum sustentatione ex antiquo constitutas, subsidia charitativa extraordinaria a Clero petendi et exigendi, Clericos in Sacris positis solemniter degradandi, Antimensia et Olea consecrandi, publicas Indulgentias largiendi, Causas super Regularium sive Professione, sive Appellatione cognoscendi consuetamque Sedi Apostolicae de statu Dioecesis nostrae Relationem transmittendi. In quibus taliter reservatis ad nos immediate Ill.ma et Rev.ma Dominatio Tua recurrere, nobisque quolibet anno exactam Dioecesis nostrae relationem in scriptis trasmittere (f. 204) omnino teneatur. In reliquis autem omnibus et singulis, etiamsi specialiter hic non sint enuntiata, dummodo ex jure et consuetudine Vicariis Generalibus recte competant, neque inter modo reservata includantur, semel pro semper omnem plenam nostram in spiritualibus potestatem et jurisdictionem ordinarium aeque ac delegatam Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Tuae damus, concedimus et impertimur, ad vitae nostrae tempora, quin unquam directe aut indirecte eandem interturbare, immutare aut quoque modo revocare valeamus. Proinde universo Dioecesis nostrae Vladimirien. Clero ac populo in virtute Sanctae Obedientiae mandamus, quatenus Ill.mam et Rev.mam Dominationem Tuam prompto ac benigno ubique recipiant animo, ac pro vero et legitimo Vicario, Officiali et Locumtenente Generali nostro recognoscant, tibique in omnibus juxta praemissa obediant, et assistant. Promittentes omnia et singula ipsius dicta, acta, gesta, pro rato, grato, firmo semper habere, tenere, et inviolabiliter servare. In quorum fidem praesentes manu nostra subscripsimus, sigilloque communiri jussimus.

Datum Varsaviae, in Palatio nostro, die 20 mensis Decembris, 1767 anno.

Felicianus, Archiepiscopus Kijovien. Metropolitanus totius Russiae, Episcopus Vladimirien (mpp). (L.S.)

* * *

Felicianus Philippus Wolodkowicz Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijovien. Halicien. et totius Russiae, Episcopus Vladimirien., Abbas Kijovo-Peczaren.

Ill.mo et Rev.mo Domino Antonino Strus Mlodowski, Brestensi Episcopo Vladimiriensi autem cum futura successione Coadjutori nostro salutem.

Ut recto Dioecesis nostrae Vladimiriensis gubernio aeque ac tot annorum laboribus attritae valetudini nostrae consuleremus, jurisdictionem nostram, omneque in spiritualibus regimen cum titulo et officio Vicarii nostri Generalis Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae litteris nostris sub die 20 mensis Decembris anno proxime elapso commisimus et demandavimus. Cum autem nemo propriis militare stipendiis teneatur, cumque digna laboribus merces unicuique rependi debeat, Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae de congrua proinde sustentationis ratione providere matura cum deliberatione statuimus, veluti libenter id exequendo, remota ulteriori dilatione, quartam omnium Mensae Vladimiriensis bonorum, ac etiam universae Dioecesanae Cathedratici nomine appellatae pensionis partem eidem praesentium tenore in modum Provisionis assignamus, eamque intra quinque a data praesentium menses vere et realiter nos divisuros, ac in effectu tibi traditurus, sub fide, honore et conscientia omni meliori modo et forma obligamur. Ut autem ejusmodi exdivisio, servata omni aequitate, absque ulla fraude aptius faciliusque succedat, Ill.ri Adm. Rdo Domino Szyprowski, Capituli nostri Vladimirien. Procuratori ad infrascripta Commissario nostro ex nunc hisce litteris specialiter demandamus, quatenus una cum Commissario per tuam Ill.mam et Rev.mam Dominationem, absque mora deputando, junctim ad singula Bona, Villas, Praedia, omnesque quolibet nomine appellatas et ubicunque situm habentes, Mensae autem nostrae Vladimirien. spectantes possessiones illico se conferant, ibidemque inventaria conficiant, Proventus omnes connotent, eaque omnia revisa, confecta, adnotata, et intra quatuor Menses absoluta, nobis tuaeque Ill.mae et Rev.mae Dominationi quo jussi fuerint exhibeant. Conquisitis autem ejusmodi Inventariis nosmet ipsi omnia Bona, Villas, Praedia, et cujuscunque tituli Possessiones et Proventus, sic ut supra connotatos, in quatuor aequales partes fideliter, et summa honestate celeriter exdividemus, de quibus eam unicum, quam Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae pro arbitrio eligere placuerit, simul cum quarta Cathedraticae ex anno praesenti habendae Pensionis parte in congruam Ill.mae et Rev.mae D.nis Tuae sustentationem diebus proxime venturi Mensis Junii statim, realiter et effective trademus, consignabimus, et possidere concedemus, nihil quidquam ex dicta per Dominationem Tuam Ill.mam et Rev.mam eligenda quarta parte nobis reservaturi, nec ullo praetextu vel ratione, directe vel indirecte, pacificam ejusmodi possessionem, regimen, dispositionem et plenam proventuum perceptionem interturbaturi, quin tamen ipsa insciis nobis Bona praedicta ullis Personis in qualemcunque, etiam temporaneam possessionem dimittere audeat. Causas quoque modo Bona, Dioecesim, Ritum et Fidem sanctam respicientia in diversis Patriae et Urbis Romanae subselliis active a nobis

caeptas omnibus aequitati statuique nostro magis (f. 204v) consentaneis viis, semper etiam adhibito Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Tuae consilio, nosmet ipsi curis et impensis duntaxat propriis terminare curabimus, futuras autem quascunque et ubicunque lites nostro suique nomine conjunctim de nostro scitu et consilio inchoandi, prosequendi, amicabiliter componendi, et finaliter terminandi facultatem et potestatem omnimodam D.ni Tuae Illustrissimae et Reverendissimae damus per praesentes atque pro legitimis earundem expensis, quarum liquidationem nobis pro semper reservamus, tres erogati sumptus partes ex Proventibus iam nobis supra reservatis exsolvere promittimus, quam quidem fructuum proportionem omni tempore adumussim servando etiam in futuris mutuo tamen consilio nostro decernendis sive ad opportunam Ecclesiarum aedificiorumque Cathedralium reparationem et provisionem, sive ad moderatam praedialium Fabricarum erectionem, sive demum ad communia Hierarchiae nostrae onera ferenda sumptibus constanter et omnino procedemus, trina videlicet proventuum supra reservatorum parte singulis hisce expensis debite liquidandis prompto animo et sine ulla renitentia semper responsuri, quin Ill.mam et Reverendissimam Dominationem Tuam trahere unquam et obligare valeamus ad ulla dispendia pro fabricis nostro arbitrio jam inchoatis et nondum terminatis, quas integro proprio sumptu continuare et perficere ex animo pollicemur. Cavemus denique ut, cum Deo benedicente ad Mensam nostram Vladimiriensem rediverint quaeque avulsa, quarta eorundem portione Tuae Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi plene reservata, tres reliquae partes nobis omnino spectent et referantur.

Haec sunt profecto quae omni jure, maturo consilio ac sincera voluntate lubenter supra constabilivimus, ut scilicet rectae Dioecesanorum administrationi sufficienter provideamus, Christi Patrimonium viriliter tutemur, condigno nostri Coadjutoris statui pro aequitate dignitateque prospiciamus et demum propriae valetudini, quantum in nobis erit, aliquomodo consulamus. In quorum fidem praesentes manu nostra subscripsimus sigilloque proprio communiri jussimus. Datum Varsaviae, in Palatino nostro, die decima quinta mensis Januarij, 1768 anno.

FELICIANUS, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, Episcopus Vladimirien (mp).

(L.S.)

Praesentem Copiam ex sub Originali sano salvo et illaeso transumptam..... et collationatam cum eodem suo Originali concordare in omnibus attestor. In cujus rei fidem praesentes subscripsi et sigillo Ill. et Rev. D. D. Angeli Mariae Durini Archiep..... et auctoritate Nuntii Apostolici in Regno Poloniae Hac die decima nona mensis Februarij, anno Domini 1768.

PETRUS JASKRZEWSKI, Publicus Sacra Auctor. Apost. Notarius et Nuntiat. Apost. in Regno Poloniae Cancellarius.

92.

Varsavia,.... XII. 1767.

Responsum Metropolitani Regi Poloniae ad instructionem datam in materia administrationis Metropoliae Kioviensis ex parte Coadiutoris.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 45-47.

1°. Demandes que le Metropolitan de la Russie a presenté a S. Majesté sur le precis de l'instruction du Roi communiqué à ce Metropolitain.[136]

Le Metropolitain de la Russie à qui S. E. M. le Grand Chancellier de la Couronne a communiqué des points qui renferment le precis de l'instruction de Sa Majesté y aiant reconnu l'autorité les a lu avec tout le respet dû, de bon gré, avec resignation et toute la soumission possible placant toute sa confiance en la bonté et l'equité paternelle du Roi, ce qui le porte de se joindre humblement aux intentions de Sa Majesté en joignant ses representations a chacun des points summentionnés de la manière suivante:

Ad 1mum. Si c'est la volonté de Sa Majesté le Metropolitain de Russie ne manquera pas d'éloigner de sa résidence et d'auprès de lui les personnes suspectes et qui font tort à sa réputation, (f. 45v) après qu'elles auront étés convaincu du crime qu'on leur objecte n'évitant point les poursuites de la justice puisque ce n'est que par egard a leur mauavise situation et à leur conversion qu'il les gardoit près de soi.

Ad 2um. Messieurs les Coadjuteurs de la Metropole de Kiovie et de l'Eveché de Wlodzimir se sont contenté de la seule succession sans pretendre ma vie durant a aucun engagement par des transactions faites lorsque je les ai librement élus, dont copie est ci-jointe ce que M.r le Coadjuteur de la Metropole a confirmé plus emplement par un écrit de sa part qui se trouve aussi annexé et de plus le Saint Siège Apostolique a déjà resoud cette question que M.r le Coadiuteur de la Metropole avoit formé en declarant que (f. 46) le Metropolitain n'etoit obligé qu'au seul remboursement des depenses que M.r le Coadjuteur faisoit pour les interets du Metropolitain.

Ad 3um. Par égard aux intentions de Sa Majesté et par l'exactitude scrupuleuse a remplire sa volonté le Metropolitain de Russie accordera au Coadjuteur de la Metropole de Kijovie le quart des revenus et à celui de l'Eveché de Wlodzimir le tier des Evechés respectifs en argent comptant selon les inventaires des produits et contre un reçu de la part de M.rs les Coadjuteurs qu' ils recoivent cette rente qui leurs a été volontairement accordé avec reconnaissance et qu'ils ne pretenderont plus rien par la suite.

---

[136] Responsum Metropolitae Wolodkovycz ad desideria Regis Poloniae, data per Cancellarium Regni Poloniae, in materia cessionis iurisdictionis in favorem suorum Coadiutorum: Szeptyckyj et Mlodovskyj.

Ad 4m. Le Metropolitain de toute la Russie declare avec là meme connivence qu'il s'abstiendra de toute procedure offensive (f. 46v.) mais quant à la difensive il y ai toit autorisé par le droit de nature quoique il voudroit même en cela satisfaire a la volonté de Sa Majesté si elle veut bien par sa haute protection detourner toutes les occasions qui pourroient le provoquer a des procedures.

Ad 5m. Le Metropolitain de Russie a toujours eu grand soin des Eglise dont lui pourent rendre temoignage les Eglises Cathedrales de Chelm de Brzescie en Lituanie, de Wlodzimir avec leurs residences ainsi que celles de Vilna et de Minsk et les Basiliques en Ukraine avec les Couvents, de même il ne refuse pas à present de contribuer à proportion de ses revenues pour l'entretien des Eglises et de ceux qui deservent la Cathedrale ainsi que pour les depenses des procedures inmancablement necessaires pourvu que ces procedures soient intenté de son savoir et après en avoir prouvé l'immancable necessité (f. 47) en son nom et qu'il soit rendu compte des depenses pour les procedures et pour les Eglises.

Ad 6m. Le Metropolitain de la Russie ayant déjà fait des depenses pour le palais Metropolitain a Varsovie ne refuse pas de le continuer, mais les chambres qui y sont logeables ne suffisent pas pour lui quand il y vient demeurer.

Ad 7m. Le Metropolitain de Russie n'a jamais pensé et ne cherche pas même par cet exposé de se soustraire à la protection de Sa Majesté et au contraire il a une ferme confiance que par Sa Clemence la personne du Metropolitain, son honneur, sa réputation, sa jurisdiction et ses revenues seront à couvert.

Ad 8^{m} ad 12. Comme les points suivant puroissent recapituler les matières exprimes dans les points precedens le Metropolitain de Russie s'en rapportant a ses representations faites plus haut finit en répétant les mêmes assurances exprims dans le 7ème point.

93.

Varsavia.... XII. 1767.

Aliae explicationes datae Regi Poloniae de administratione Metropoliae Kioviensis ex parte Coadjutoris, Leonis Szeptyckyj.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia.* vol. 90, f. 48-50v.

2^{o}. Explication pour être annexe aux demandes du Révérend Metropolitain.

La somme pour M.r mon Coadjuteur lorsqu'il aura soin à mes interet ecclesiastique à l'état Hierarchique et a ceux qui regardent mes biens et non vaquera au siens propres et ceux de ses Collegiales sera une oeuvre de charité que j'offre en argent. Et par rapport aux calalmités de ces années il faut auparavant que j'ordonne à mon Commissaire général qu'il recoive les comptes du Commissaire de l'Eveché et q'il fasse un inventaire des revenus pour tout evenement car je sais que pendant ces temps de disete plusieurs fermiers ont

abandonné leurs fermes, d'autre ont obtenu des diminutions et par les même raisons le nombre des sujets aura diminué.

M.r le Coadjuteur ne doit pas se servire de ce don pour faire voir la prodigalité comme il a coutume afin qu'il ne laisse pas à son successeur ces detes à payer et il doit s'engager de venir lui même sur les lieu pour les condescences et qu'il ne s'excuse pas en (f. 48v) disant qu'il est malade.

M.r le Coadjuteur ne sauroit nier que pendant l'espace de ces années je ne lui nie pas envoie de l'argent pour soutenir les procedures, tant pour tous les crettemens ainsi que pour des presents aux avocats outre ceux que j'ai à mes gages quoique j'aie paié a part pour chaque conference et dans cette distribution je n'ai pas laissé que d'avoir eu du tout.

Ce que je fais c'est par conscience et en vigueur du serment de recuperer ce qui a été prise à l'Eglise et je ne le fais pas sans preuves mais soutenu par des documents des Archives, et comme les personnes qui tiennent les biens de l'église voudroient que la Fondation du Prince André Jurjewicz Kitay soit annuellé et qu'il y a déjà eu un decret pour eux favorable au Tribunal de Leopol par rapport au Village Czopowice qui appartient à Radomysl comme il paroit par l'exposé de M.r Sosnicki, Geometre de S. M .té (f. 49) de l'an 1593 le 24 Avril. Ces M.rs pour soutenir leurs allegations pretendent qu'il n'y a jamais eu du Prince Kitay, voila pour quoi j'annexe une information tiré des Croniques par la quelle il constate que le Prince Kitay était le petit neveu de Wlodzimir le Gr. et Son successeurs.

La Grand mère Caterine[137] est enteré auprès de Radomisl a Milhorod ou était leur Palais et une Eglise et a cette memoire on erige une Eglise à ce même endroit qui est prête à finir quoique M.r Charzewski Juge terrestre de Czerniechowie tienne un Vilage nommé Kiozkiry qui appartient à cet Eglise. J'ai été accusé pareillement au Saint Siège sous Benoit XIV par les PP. Jesuites mais Sa Sainteté ayant ecoutés les accusations contre moi et contre mon predecesseur. Le reverend Hrebnicki il repondit Kiszka et Szepticki ne vous a pas plu Hrebnicki et son coadjuteur ne vous plaisent pas, il font pourtant bien rendres leurs terres et la paix sera (f. 49v) retabli.

Il y a quelques années que j'ai repris les biens nommés Dydowszczyzna en suite du decret de Tribunal et j'en ai fait faire des limites dans ces biens Dydowszczyzna qui étoient nommés autrefois Domosielica fut ne le Prince Kitay qui pour sa grande devotion et les dons qu'il fesoit à l'Eglise étoit nommé le bien aimé de Dieu.

Il y a encore un village nommé Rosoch que je ne peu pas retirer des PP. Jesuites qui en sont possesseurs de mauvaise fois l'aiant acqui par la voie de rapine en temps d'hostilité tout comme il arrive à present dans le Palatinat de Kiovie.

On presume que la metropole a de grands revenus, j'ai fait venir étant Coadjuteur le Père Wasiutinski de l'Ordre de Saint Basile dans ma Province

---

[137] Catharina II, Imperatrix Moscoviae (1762-1796).

de Russie personne espere dans les affaires économiques et il 'a produit de revenu de tous les biens appartennants à la Metropole 48925 fl. 12 gr. Le quel inventaire (f. 50) des revenus a été produit a M.r le Grand Chancellier de la Couronne, je ne fais pas voir commet j'emploie cet argent car tout cela n'a qu'à être pour la glorie de Dieu et je n'ai pas d'autres intentions ni je ne tache d'accumuler pour faire des oeuvres pieuses.

Je suis entré en possession de mon Eveché de Wlodzimir lorsqu'il ne rapportait que 9000 fl. mais par sa bonne situation et l'industrie ainsi que les depenses que j'y ai fait je l'ai fait parvenir a 20000 fl. j'ai donné à M.r le Coadjuteur de cet éveché trois vilages j'en aurais donné d'avantage mais je depense beaucoup pour les batiments qui ne sont pas encore en bon état à Wlodzimir et je fais bâtir l'Eglise Catédrale à Brest tout nouvellement et des Seminaires mes predecesseurs se sont negligés et moi dans l'espace de peu d'années j'ai fait des grandes (f. 50v) reparations et j'ai intention de les continuer.

Enfin quoiqu'il y ait une bonne partie de l'Ukraine sur les frontieres qui se sous trait à ma jurisdiction je ne le regret pas car M.r mon Coadjuteur doit également que moi travailler à la Vigne de Jésus Christ.

* * *

Varsavia, 16. XII. 1767.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 52-53.

Instructio Rev.do in X.to Episcopo Premisliensi, Supremo Regni Cancellario, ad tractandum cum R. Metropolita Kijoviensi respectu infrascriptorum die 16 Mensis Decembris 1767 data.[138]

Quoniam remonstratio personalis, mentis, consilii voluntatisque Nostrae R. Metropolitae Kijoviensis respectu Personae, ac muneris ejus, longum tempus exigeret, hoc autem liberum modernis in circumstantiis Respublicae non habemus, volumus ideirco, ut Rev.dus Episcopus Premisliensis, Supremus Regni Cancellarius, eidem Rev.do Metropolitae repraesentet sequentia.

1.mo - Qualiter Nos ab initio ipso Regni Nostri habentes variis ex partibus relationes de dissonis Legi, et circumstantiis R. Metropolitae progressibus, tam in exercitio Iurisdictionis, quam etiam in observantia convenientiarum vocationi, et primatui in Ecclesia Ruthena Unitorum debitarum, doluimus interne super haec omnia. Nihilominus mansimus in indifferentia sperantes, quod S.a Sedes, bene jam informata de iis, quae aguntur in Kijoviensi Metropolia, providebit adeo efficaciter, ut neque Jurisdictio Metropolitae amplius faciat passus juri, prudentiaeque contrarios, neque R. Metropolita, undequaque linguis aliorum laceratus, praebeat ex se scandala. Caeterum dum ex relationibus Ukrainensibus audimus ipsum maximam dedisse occasionem Apostasiae

---

[138] Instructio Regis Stanislai fuit data Magno Cancellario Regni Poloniae, qui tunc temporis erat Andreas Mlodziejovski, Episcopus Peremysliensis (1766-1768), dein Posnaniensis. Primum fuit Vicecancellarius et dein ab anno 1767 Magnus Cancellarius Regni Poloniae (1767-1780).

tot millium hominum, tot ecclesiarum avulsioni ab Unione, jam autem id Nobis est haud ignotum, quod Magnus Rossiae Legatus habeat prae manibus authentica documenta variorum gestorum ejusdem R. Metropolitae, certe non alio fine, nisi ut ipsis utatur in ultimum Unionis exitium per publicam denigrationem primi in eadem Sacerdotis, ea propter non possumus jam in supradicta persistere indifferentia, ast novimus Nos esse obligatos qua Regem nempe Catholicum, et Patrem Populi Regimini Nostro a Deo concrediti ad arripienda ea media, quibus non modo Personam R. Metropolitae Nobis caram et acceptam ab ignominia, dedecoreque protegere, verum etiam jurisdictionem ejusdem in sua sphaera continere, ac ulteriori recessui ab Unione Rusticorum Ukrainensium occurrere quam efficacissime possimus.

2.do - Haec media in eo consistunt. Imprimis ut R. Metropolita a Residentia latereque suo Personas suspectas, famaeque suae nocentes amoveat. Deinde habens additos sibi a S. Sede Apostolica Coadjutores quoad Episcopatus Kijoviensem et Vladimiriensem, eosdem pro forma absque invocatione in adjutorium non teneat, sed generales suae jurisdictionis Vicarios in dictis rispective Diaecesibus creet, atque translata in eosdem semel jurisdictione non amplius se eidem sub ullo praetextu immisceat. (f. 52v) imo relinquat iis libertatem Regiminis in Spiritualibus secundum capacitatem, conscientiam, et occurrentias. Ipse vero unice saluti suae consulat inque plena tranquillitate vitam utinam quam longaevam ducat.

3.tio - Quia vero praetendi nequit, ut dicti Coadjutores propriis impensis serviant R. Metropolitae, laboresque pro eo subeant, non dubitamus eundem justum hac in parte futurum, et sic statim ac jurisdictionem Coadjutoribus committet, Kijoviensi prout ditiori quartam partem omnium proventum ex Kijoviensi, Vladimiriensi autem prout pauperiori tertiam ex Vladimiriensi Episcopatu assignabit.

4.to - Transfusionem plenam jurisdictionis hoc quoque sequi debet ut R. Metropolita ab ordinationibus in Presbyteros, eorundem institutione in Beneficia, atque a processibus omnibus ex occasione Fidei, Ritus, protectionis cleri, vindicatione bonorum ecclesiasticorum penitus sese abstineat.

5.to - Caeterum Coadjutores omnes Actus Juridicos sub titulo et nomine R. Metropolitae exercere debebunt ac ipsa quoque Antimensia sive Portatilia manu duntaxat ipsius subscripta Ecclesiis applicare et quotanniis relationem de statu Dioecesium eidem exacte in scripto reddere tenebuntur, ac demum, casu quo earum aliquis erit munus suum non recte exequens, talem deferendi Nuntiaturae libertatem et obligationem R. Metropolita habebit.

6.to - Quemadmodum autem persuasi sumus R. Metropolitam haud confundere eos proventus quos Parochi pro administratorum sustentatione annuatim contribuunt, cum suis proventibus, et cum Cathedratici pensione, ita RR. Coadjutores eosdem proventus non sibi applicare poterunt, ast quod quemque de iure, consuetudine et ordinatione concernit, id omne unicuique reddi debebit.

7mo. - Ut R. Metropolita Dominis Coadjutoribus, Kijoviensi quartam

et Vladimiriensi tertiam partem proventunm assignabit illico ducta proportione redituum ex bonis exdivisis pro Ecclesiastica Fabrica, pro Cathedralium provisione, pro Processibus Iuridicis omnino expendere erogareque tenebitur.

8vo. - Praeterea R. Coadjutor Metropoliae pro Palatio Metropolitano Varsaviensi, ultimae ruinae proximo, atque indilata reparatione indigenti quartam partem expensarum erogare tenebitur; porro R. Metropolita licet ex nunc, vitans incommodum circa Fabricam, idem Palatium R. Coadjutori cesserit, tamen mansionem in eo pro se liberam habebit, quoties Varsaviae esse voluerit. Constructio etiam Capellae circa hocce Palatium existentis, et utrumque nempe Coadjutorem modo supra expresso pertinebit (f. 53).

9no. - Haec media dum R. Metropolita amplectetur, intentionemque Nostram confidenter, aperte, et libenter sequetur, jam autem consilio, voluntateque supra declarata indilate, nimirum ante discessum Varsavia morem geret, eo ipso Personam, honorem, reputationem, jurisdictionem et proventus suos ab omni praeservabit jactura, Nostramque, si quid contra praemissa puncta attentatum fuerit, semper habebit protectionem. Quodsi autem sub praetextu deliberationis satisfactionem ejusmodi propositionibus prolongare, aut res in eo, in quo nunc sunt statu contumaciter sustinere praetenderit, ad Nos spectabit de hoc cogitare, ut omnia prout superius consuluimus effectuentur; jam vero R. Metropolita sibimet ipsi adscribet, dum se videbit infortunatum.

10mo. - Haec omnia R. Episcopus Premisliensis, Supremus Regni Cancellarius, nomine Nostro R. Metropolitae postquam repraesentaverit, tandem et hanc Instructionem Nostram monstrare eidem poterit, et ad Nos cum resolutione, qualem a R. Metropolita receperit, est rediturus.[139]

Datum in Castello Varsaviensi, die, mense et anno ut supra.

STANISLAUS AUGUSTUS, Rex.

94.

Varsavia, 16. I. 1768.

Responsa Metropolitani et praecautiones in causa administrationis Metropoliae Kioviensis et Eparchiae Volodimiriensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 73-74.

Resolutio a R. Metropolita ad praemissa data. Die 16 Ianuarii 1768 anno.[140]

Metropolita totius Russiae ante Serenissimi Domini Majestatem se humilians Puncta in Instructione Supremo Regni Cancellario non pridem data expressa, quemadmodum pro evidenti erga se respectu, atque pro verae de Bonis ecclesiasticis sollicitudinis argumento reputat, ac in profundissima cordis hu-

---

[139] Locutio Instructionis est personalis, nempe Regis Stanislai. Resolutio, de qua fit mentio, habetur in documento sequenti.

[140] Cfr. Instructionem praecedentem a Rege Poloniae datam, ad quam refertur praesens resolutio seu responsum Metropolitae.

militate agnoscit, ita plena cum gratitudine, ultro ac libenter infrascripta, ac consilium, et voluntatem Domini adimplenti modo eadem amplectitur.

Ad 1mum. - Unice pretio paterni Clementissimi Domini consilii atque studio occurrendi ulteriori impiae alienae famae lacerationi Metropolita personas ad fidem christianam conversas tanquam veras orphanas in Bonis episcopalibus locatas alias jam amovit, reliquas vero usque ad ultimam, recepto tamen prius ab iis de rebus familiaribus calculo, brevi se amoturum efficaciter pollicetur.

Ad 2dm. - Quamvis Coadjutor Kijoviensis juxta spontaneam sponsionem nihil quidquam non modo jurisdictionis, verum etiam proventuum a Coadjuto erat petiturus, tamen Metropolita unice ob ingravescentem aetatem, et attritam valetudinem libenter curas Pastorales in ipsius nec non etiam in Vladimiriensis Coadjutoris Personam transfundit, simulque hac in parte Domini Clementissimi voluntatem implet in annexis Vicariatus Generalis Instrumentis.

Ad 3tium. - Novit Metropolita neminem propriis stipendiis militare debere, ac proindo jam constitutis Vicariis tanquam pridem Coadjutoriae cum futura successione praerogativa ornatis providens necessariam sustentationem, quartam omnium respective Bonorum Mensae et proventorum partem motivo justi Clementissimi Domini consilii in instanti assignat, hocque fine spontaneam annectit obligationem.

Ad 4tum. - Aequali facilitate Metropolita procedendo potestatem ordinandi in Presbyteros, instiduendi ad Parochias, et omnes de Bonis Ecclesiasticis (f. 73v), de Fidei, Cleri et Ritus injuriis Processus promovendi jam Coadjutoribus plene concessit in Instumentis. Caeptorum tamen Processuum continuationem, et defensionem propriae personae quamvis ex jure naturae habeat libertatem sibi reservandi, nihil minus in hoc quoque vellet ex animo Metropolita paternis S.ae Regiae Majestatis intentionibus satisfacere, dummodo occasiones ad tam molestos Processus trahentes submoveantur mediante Majestatis Auctoritate, pro cujus interpostatione supplicat Metropolita.

Ad 5tum. - Libenter, impense, et liberaliter hucusque Metropolita ecclesiasticas et praediales continuabat Fabricas, pro necessitatibus Cathedralibus, atque Litis expensis erogabat, non renuat et nunc persistere in eadem alacritate, et liberalitate ducta proportione proventuum sibi (ut supra) relictarum, dummodo tales Fabricae absque excessibus, Processus autem ex sola necessitate, cum ejus scitu, sub ejus nomine promoveantur a Coadjutoribus, in quos proinde omnes prorsus actus iuridicos seorsivo transfundit Instrumento.

Ad 6tum. - Palatium hoc Varsaviense, quamvis jam notabilibus Metropolitae impensis auctum, cedit plene Metropolita Suo Coadjutori Kijoviensi, ea tamen lege ut (quoties aliqua Hierarchiae necessitas exigeret) libera sit ei et suis Episcopis tantum in eadem mansio absque praejudicio tamen et incommodo Coadjutoris, prout Instrumentum voluntati Majestatis conforme obloquitur.

Ad 7mum. - Nihil carius, nihil desiderabilius propter Metropolitam esse potest paterna, et nunquam promerita Regiae Majestatis memoria, consilio,

defensione, protectione, quorum omnium ulteriorem essendum, quod ubique, et semper cogitatione, corde totisque viribus atque fidelibus obsequiis, nec non intaminata fide vult, desiderat conaturque promereri. Sit jam primum debitae Clementissimo Domino obedientiae testimonium, atque argumentum humiliata ante Thronum Instrumenta.

Ad 8vum. - Praeminentia Metropolitae in Instrumentis praecustodita est conjuncta cum necessitate expressae, et de jure requisitae in omnibus spiritualis Jurisdictionis actibus, additiones titulorum Vicarii et (f. 74) conservationis seorsivae Cancellariae quod olim neglectum, plurimas in Hierarchia Ruthena causavit contentiones.

Ad 9num. - In iisdem instrumentis reservata sit Metropolitae etiam Potestas subscribendi, et distribuendi antimensia.

Ad 10mum. - Quoniam Metropolita res suas Pastorales nondum resignat, neque sine Beneplacito Romano resignare potest, igitur de statu Dioecesium suarum, et ipse scire, et temporibus praescriptis Sedi Apostolicae fidelem relationem transmittere tenetur. Quapropter omnimoda exurget necessitas, ut Coadjutores plenam, fidelem, et claram concrediti sibi Vicariatus relationem quolibet anno in Decembri proprio Coadjuto transmittant.

Non dubitat Metropolita de perfecta suorum Coadjutorem sibi gratitudine, et sinceritate, attamen providendo suae tranquillitati, atque integritati, ferventissimas Serenissimo Domino exponit preces, quatenus iisdem Coadjutoribus demandetur subscriptio sponsionum mutuo necessariarum sub litera: E. F., expressarum. Quae omnia partim nunc ad effectum perducit, partim se circa Festum S. Ioannis Baptistae in anno praesenti vere, realiter et immutabiliter perducturum Metropolita pollicetur, conscientiam Deo, honorem, honestatemque suam Majestati Regiae obligando subscribendoque se circa solitum sigillum manu propria. Datum Varsaviae, die 16 Januarii, 1768 anno.

95.

Bobruisk, 29. VI. 1768.

De luctuoso statu rerum in Ucraina et de impossibilitate congregandi Capitulum Generale Basilianorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 101.

Illustrissime, Excellentissime ac Rev.me Domine, Patrone Colendissime.[141]

Quamvis publica fama, quanta quamque horrenda peragantur in Ukraina, ad aures Ill.mae Excell.ae Vestrae pervenisse non dubitem, tamen de meo meaeque Dioecesis deplorato statu specialiter deferre necesse duxi. Primo quidem, auditis undique comminationibus, et periculis non modo bonorum, sed etiam vitae, coactus sum iis ex oris cedere. Me autem absente milites Moschovitici ex praeconcepto odio inde, quod homines mei assumpti fuerint in adju-

[141] Nuntio Varsaviensi, forsam iam novo, nempe Angelo Maria Durini (1766-1772).

torium Confederationi pro Fide S. pugnanti, condescenderunt in Bona mea Kijoviensia, unde Dispositores aliqui prae metu subterfugerunt, aliquos autem horrende verberatos et incarceratos ad Urbem Polonne miserunt, mobilia quaeque quantumvis abscondita, equos, frumenta aliaque id genus interceperunt et funditus oppida et villas devastarunt, ea occasione subditi rebelles effecti nequaquam obedire, et subditatus debita adimplere volunt. Et quod terribilius est, in Czerkascensi et Czehrynensi Capitaneatu, Smilanscensi, Zabotynensi, Lisianensi alijsque Tractibus rustici in unum conjuncti fere ad decem millia numero accedentes ad subscribendum schismati cogunt, Nobiles Sacerdotes aliosque tum Latini tum Graeci Ritus veram Catholicam fidem profitentes non parcendo etiam (. f. 101v) infantibus crudeliter trucidant, inter alios, ut nuper mihi delatum est, Sacerdotem unum palam profitentem Fidem S. et Unionem item Nobilem quendam cum uxore e sclopetis in medio Civitatis Fastow jaculando interfecerunt, in altero loco in contumeliam Sanctae Fidei Catholicae in una furca canem, judaeum, et sacerdotem suspenderunt; hic impiorum hominum numerus, et malitia adeo dilatata est, ut per Bohuslaviensem et Bialocerkieviensem Capitaneatus in Polesiam usque et Voliniam pervenerit, persequendo eos qui ex praedictis Capitaneatibus causa servandae vitae fugerunt, et si quos assecuti fuerint, perimere non verentur. In tanta itaque rerum tempestate qualiter sit procedendum, et quomodo pesti, ne ulterius dilatetur, obviandum, nec modum video. Vestra Illustrissima Excellentia dignetur consulere, et fortiter omni possibili modo succurrere, ne tantus Christi ovium numerus ab Ecclesia S. rescindatur et in aeternum perveniat exitum.

Capitulum generale[142] volui congregare, sed ob mox dictas rationes excusat se Rev.mus Protoarchimandrita, quod nec ipse, nec alii Patres facile convenire possunt; pro informatione ejus literarum copiam adnecto. Me gratiae, et affectui Ill.mae Excell.ae Vestrae commendando debita cum veneratione maneo

Ill.mae, Exc.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae

addictissimus et obsequentissimus servus

F. Wolodkowicz, Archiep. Kijov. Metrop. t. Russiae (mp)

Die 29 Julii, 1768 anno, in Bobruisk.

96.

Sereja, 3. XI . 1768.

Protestatio Metropolitae de violentiis in concedenda administratione Metropoliae et Eparchiae Volodimiriensis sibi illatis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 119.

Die 3 Novembris 1768

In Nomine Domine Amen. Cunctis pateat evidenter et sit notum quomodo anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo septingentesimo sexa-

[142] Celebratum fuit tantummodo anno 1772.

gesimo octavo, Pontificatu Sanctissimi in Christo Patr. Domini Nostri Domini Clementis Papae ejus nominius XIII, Anno ipsius undecimo, Indictione Romana I, Die vero 3tia Mensis Novembris, coram me notario Publico Actisque meis Publicis infrascriptis constitutus personaliter Illustrissimus, Excellentissimus et Reverendissimus Dominus Felicianus Philippus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis, Haliciensis et totius Russiae, Episcopus Vlodomiriensis et Brestensis, Abbas Kiovopieczarensis, Principalis, sanus mente et corpore existens omnibus melioribus quibus potuit ac debuit modis in et contra Illustrissimos et Reverendissimos Dominos Leonem Szeptycki, Episcopum Leopoliensem, Metropolis totius Russiae, Antonium Mlodowski, Episcopatus Vlodomiriensis Coadjutores, quam solemnissime manifestatus et protestatus est super eo: Quia dum, regnante Serenissimo Augusto Tertio, Rege Poloniae, variis Magnatum ac Procerum hujus Regni, signanter tamen Illustrissimi, Excellentissimi Domini antecedanei Nuntii Apostolici[143] instantiis ac precibus Illustrissimus Dominus Metropolitanus manifestans commotus extiterat, ut praefatos Illustrissimos manifestatos in Coadiutores suarum Metropoliae et Episcopatus Vlodomiriensis Ecclesiarum assumeret, quorum praecibus multum importunis annuendo dictus Ill.mus manifestans non aliter nisi praevia assecuratione eorundem de non interessando et immiscendo se ad regimen bonorum temporalium et spiritualium praefatarum Ecclesiarum deque non praetendendo quavis portionis solutione, quinimo praecedenti firma assecuratione ab iisdem Illustrissimis Manifestatis in verbo et in scriptis recepta super duntaxat titulari eorum Officio Coadjutoriae permansuro, eosdem Coadjutores titulares effecit, constituit et ordinavit Literasque Coadjutoriae absque quovis onere solutionis pensionis confecit ac subscripsit,[144] quibus stantibus dum et postquam is idem Illustrissimus Manifestans Varsaviae sub tempus Comitiorum in materia luctuosa dissidentium anno currenti mense Februario celebratorum commoraretur ac undequaque molestiis, turbationibus in persona sua ac Populo Dioecesum suarum pressus ac summe afflictus existeret, memorati Illustrissimi Manifestati, non considerata temporum praesentium calamitate, status universi spiritualium et saecularium deploranda in Regno Poloniae et M. D. Lithvaniae clade afflicti, Illustrissimo Domino Manifestanti majorem afflictionem addendo eundem ad scriptum quoddam super solvenda sibi quarta parte ex omnibus proventibus bonorum Metropolis suae et Episcopatus Vlodomiriensis, exercendaque per se ipsos in spiritualibus jurisdictione, cum adempta universo Clero obedientia stimulare et adigere praemeditarunt. Cum vero memoratus Illustrissimus Manifestans ad hujusmodi scriptum sese subscribere recusasset eorumque Manifestatorum conatibus urgentissimis se contrarium exhibuisset ac fine evitandae importunae eorum tentationis Varsavia abscedere voluisset, ipsi tamen Ill.mi Manifestati in executionem conatuum suorum ad superiores

---

[143] Antonius Eugenius Visconti, Nuntius Varsaviensis (1760-1766).

[144] Cfr. supra, sub dat. 20 decembris 1767 et 15 ianuarii 1768.

Magnates Comitiorum praefatorum Varsaviensium autores recursus fecerunt, et contra personam (f. 119v) Illustrissimi Domini Manifestantis eosdem Magnates incitaverunt, per quam comminatione imminentis mali, retentione in Civitate Varsaviensi Illustrissimi Manifestantis, et non permissa sibi libertate abscendendi ex eadem ad subscribendum praefatorum scriptum solutionis quartae partis exercendaeque jurisdictionis in spiritualibus coegerunt.[145] Quare praefatus Illustrissimus Manifestans quam primum locum sibi liberum residentiae suae in Plebanatu Serejensi, Dioecesis suae Metropolitanae fixae ellegeret, illico providendo indemnitati suae bonorumque dioecesum suarum, de nullitate ejusmodi scripti a se extorti, ac quorumvis gestorum iterum adque iterum manifestatus et protestatus est. Offerens se talia damna et praejuditia per memoratos Coadjutores suos illata coram Sancta Sede Apostolica expositurum illaque totis viribus vindicaturum, praesentibus testibus Joanne Czerniawski, Daniele Paskowski et Antonio Holownia. Datum in Residentia Serejensi Plebanali, anno, mense et die ut supra.

Et quia ego Notarius Publicus infrascriptus praeinsertam Manifestationem ad Acta mea publica suscepi eisque ingrossari feci, ideo praesens publicum transumpti, manu licet aliena mihi tamen nota, scriptum, mea vero subscriptum et sigillo quo in talibus utor communitum extradidi instrumentum rogatus et requisitus.

Datum in Residentia mea Sereiensi, Anno D.ni etc.

Joannes Georgius Hlebicki Iosefowicz
Apostolicus Protonotarius Decanus Simnensis,
Parochus Sereiensis et Merecensis.

97.

Sereja, 8. 1. 1769.

Querelae Metropolitae de violentiis et damnis sibi illatis a Coadiutoribus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 122-123v.

Illustrissime, Excellentissime et Rederendissime Domine, Domine, Patrone Observandissime.[146]

In his angustiis quibus permissione Divina undique circumdatus sum, hoc afflicti cordis mei invenio levamen, quod Consolatorem tribulationum mearum Illustrissimam, Excellentissimam, et Reverendissimam Dominationem Vestram habeam. Cui me, Ejusque piis orationibus commendando, super Ill.mos Coadjutores meos, dolorem ab iisdem mihi inflixum, Ill.mae, Excell.mae et Rev.mae Dominationi Vestrae expono. Licet illi bene sciverut me omnibus rebus, vestimentis, argento, auro, equitatu, aliisque ad victum et amictum

---

[145] Agitur de concessione, de qua sub dat. 20. XII. 1767 et praesertim sub dat. 15. I. 1768.

[146] Nuntio Varsaviensi, Angelo Maria Durini (1766-1772).

necessariis per Moschos spoliatum esse, et vix in veste unica a periculo Nesvisiensi evasisse, tamen dispositiones ad omnia Bona mea Metropolitana fecerunt, Oeconomos antiquos, et Administratores pro reddenda ratione proventuum sibi commissorum retineri in loco necessarios, alienarunt, et sucs constituerunt; Clerum universum, ne mihi obediens sit fomentarunt, et ad suam jurisdictionem in spiritualibus spectare demandarunt; residuum rerum mobilium, jumentorum, equorum, frumentorum, quae miles exoticus non rapuit, ipsi (f. 122v) acceperunt, mihique mentionem de his nullam fecerunt. Tantam ingratitudinem erga Personam meam ostenderunt, et ostendunt indies, ut conentur me inedia, turbationibus pressum, ab omnibus derelictum, vitam cum senectute brevi finire; quid pejus fraudulosius? Sciverant etiam illi quinimo tota Provinciae Lithvanae Nobilitas, qualiter ego anno elapso post mensem Februarium finitis Comitiis Generalibus Varsavia discesseram ad Archidioecesim meam, in qua in Palatinatu Kijoviensi, Districtu Rzeczycensi, dein in Palatinatu Novogrodensi pro viribus in spirituali Clerum meum disponebam, Nobiles Dominos ad defendendam Fidem Catholicam, ejusque Unionem non deserendam modis licitis hortabar, mensibus Augusti, Septembri, Octobri integris, in Civitate Nesvisiensi ipsa vel prope dum securum fuit, similiter Dioecesi mea, commorabar, ibique judicia, ac Ordinationes Cleri exercebam. Illi autem irrealibus et sinistris expositionibus suis, acsi fuissem extra Regnum, Decretum a Sede Apostolica emendicarunt;[147] nunc etiam, Dei gratia adjutrice, a primis (f. 123) Novembris anni elapsi in Plebanatu Serejen. Admodum Rev.di Jozefovicz, Parochi Serejensis et Decani Siemnensis, maneo securus in Dioecesi mea, qui locus est Palatinatus Trocensis, Dioecesis Vilnensis, Bona autem haereditaria Celsissimi Principis Radziwill, in quo loco ecclesiae meae Ruthenae sunt: ecclesia Abbatialis Trocensis, et ecclesia Parochialis Merecensis, super quibus multa testimonia mihi Nobilium et Spiritualium data, irrealitatem Coadjutorum condemnant. Inhibitio memorata non est adhuc intimata Illustrissimis Coadjutoribus, siquidem tantum Copia illius ad me pervenit. Super autentico intercepto, jussi adcitare autores huius interceptionis. Hac in re adjutorium, tuitionem, ac defensionem Ill.mae, Excellentissimae, ac Reverendissiame Dominationis Vestrae imploro.

Quoniam in Consistorio meo Vilnensi multae causae cum Religiosis Patribus Basilianis respectu administrationis Curae animarum saecularium, occupationis ecclesiarum Parochialium ad Clerum saecularem spectantium judicandae veniunt, supplico Ill.mam, Excell.mam ac Rev.mam D.nem Vestram, ne ab accessoriis decretis extradantur illis remedia ex Tribunali Apostolico, Rev.mo D.no Auditori suo commendari.

(f. 123 v.) RR. PP. Bernardinos Vilnen. S. Francisc. Obser., Viros eggregios, sanctitate ac regimine spirituali bene disposito pollentes, tuitioni, ac pro-

---

[147] Cfr. de hac administratione quasdam litteras S.C. de Prop. Fide, in *Litterae S.C. de Prop. Fide*, vol. V, pag. 135-138.

tectioni commendo ac me ipsum pristinae gratiae insinuo, debita cum venetatione manens

Ill.mae, Excell.mae et Rev.mae Dominationis V.rae

devot.mus et obseq.mus servus humillimus et exorator

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metr. t. Russiae (mp)

Die 8va Januarii, 1769 anno, in Civitate Sereja.

98.

Sereja, 15. I. 1769.

Petit protectionem Nuntii Apostolici ab exercitu moscovitico, bona Mensae suae vastante.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 125rv.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Patrone Observandissime.

Compertum esse puto Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae tum ex literis meis, tum etiam aliunde, qualiter omnia Bona mea absque ulla praecedente culpa, formata duntaxat praetensione, a militibus exercitus Moschovitici sunt desolata, qualiterve ego ab insidiis eorum fugiendo latebras quaerere coactus sum; et etiamnum sustentatione non dicam congrua, sed necessaria jam jam defficiente secure ad bona mea redire non possum. Ea propter ad Illustrissimam et Reverendissiamam Excellentiam Vestram recurro enixissime postulando, ut pro sua clementia dignetur intercedere ad Cell.mos Principes Czartoryskich, Cancellarium M. M. D. Litt. et Palatinum Russiae, ad quos etiam seorsivas (f. 125v) epistolas scribo ut ii sua Authoritate apud Celsissimum Principem Legatum Serenissimae Imperatricis Moschoviae efficaciter procurent, quatenus ego absque infestatione exercitus Moschovitici et cum securitate vitae in bonis meis residere valeam. Quod si consecutus fuero, semper memor gratus manebo debita cum veneratione

Ill.mae ac Rev.mae Excell.ae Vestrae

devot.mus et oblig.mus servus et exorator

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus, Metrop. totius Russiae (mp)

Die 15 Januarii, 1769 anno, in Oppido Sereja.

99.

....., *1769.*

De praesidentia in Capitulo Generali Basilianorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 126.

Peto resolutionem Ill.mae Excellentiae Vestrae in eo, quod Perillustris Reverendissimus Generalis Ord. S.B.M. cum toto Consultorio exigit a me, et optat ut futuro Capitulo omnino praesideam, sed hoc tempore nescio an sub-

sequetur Capitulum, quoniam ob numerum exercituum ubique locorum consistentium Patres convenire non possunt neque ego ipse hoc iter assumere valeo sine literis Passus Cell.mi Principis Repnin.[148]

100.

Minsk, 10. III. 1769.

Petit ut ei communicetur tenor Brevium Apostolicorum in materia administrationis Metropoliae et Eparchiae Volodimiriensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 129.

Illustrissime, Excell.me et Rev.me Domine, Patrone Observandissime.

Pluries jam ad Illustrissimam et Reverendissimam Excellentiam Vestram variis in negotiis literas scripseram, quas pervenisse ad manus certo scio, nullum tamen responsum ac resolutionem obtinui, quod adversariorum malitiae, qui etiam Roma datas ad me literas intercipere haud verriti sunt, adscribendum esse puto. Novi enim Illustrissimam et Reverendissimam Excellentiam Vestram cuique ad se recurrenti optatum non denegare effectum, ac proinde non dubito, quin et mihi pro singulari benignitate sua ab Il.ma et Rev.ma Excellentia Vestra data fuerint responsa. In fundamento ejusdem benignitatis, accepta notitia de emanatis in negotio meo cum Illustrissimis Coadjutoribus Brevibus Apostolicis, humillime obsecro quatenus tenorem eorum saltem in copiis transmitti ad me clementer faveat.[149]

Notum habeo quod Illustrissimi Coadjutores Romae probare non desinant, me extra limites Regni et Dioecesum mearum commoratum fuisse et etiam nunc commorari, sed Illustrissimae Excellentiae Vestrae ex praesentatis testimoniis satis constat, quam procul a veritate distent expositiones (f. 129v) eorum, ac proinde ruit motivum, ex quo administrationem Apostolicam Dioecesum mearum emendicarunt.

Speciali favori et benevolentiae me commendando, debita cum veneratione maneo

Illustrissimae, Excellentissimae ac Rev.mae Dominationis, Benefactoris mei singularissimi

addictissimus et obsequentissimus servus

Felicianus Wolodkiewicz Archiepiscopus, Metrop. totius Russiae (mp)

Die 10 Martii, 1769 anno Minsci.

---

[148] Etiam hoc anno Capitulum Generale Basilianorum locum non habuit, ob circumstantias politicas Regni. Litterae passus principis Repnin, Legati moscoviti̯ci in Regno Poloniae vix extradi potuerunt.

[149] Forsan agitur de Brevi sub dat. 20. VI. 1767; cfr. in *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 194, nr. 771.

101. - 104.

Minsk, 26. V. - 8. VI. 1769.

Series litterarum in quibus querelae exprimuntur et damna describuntur sibi illata a Coadiutoribus suis quoad famam et bona temporalia.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 827, f. 274-277.

Copia di lettere scritte al suo Agente in Roma da Monsig. Filippo Feliciano Wolodkowicz, Arcivescovo Metropolitano di Russia, e Vescovo di Vlodomiria.

Lettera 1ª in data dei 26 Maggio 1769, in Minsco, nella Metropolia.

Ill.me et Rev.me Domine.

Nescio an quispiam unquam tam se infelicem viderit, in quam deplorando statu ego me opera Ill.morum Coadjutorum constitutum esse experior. Equidem ab exercitu Moschovitico gravia damna illata esse mihi, pridem jam significavi; hic tamen cognita tandem et explicata per quosdam Ministros Regni innocentia mea desiit injuriare, nec quidquam adversi hisce temporibus minatur, sed licet si prout prius persequebatur, ita etiam nunc utpote inimicus persequeretur, sustinuissem utique; ast quia ii, qui Coadjutorum nomine gloriantur, et ex vi ejusdem nominis, ac muneris sui in omnibus circumstantiis juvare tenerentur, quosve ego, ut Divini Oraculi verbis utar, enutrivi et exaltavi, ii, inquam, prorsus spreverent me, istud quantumvis avidum pro gloria aeterna patiendi, pectus sustinere et ferre haud valet, praesertim cum in dies magis atque magis me opprimi, injuriari, contemni, et post supremam in hac Ruthena Provincia authoritatem eousque honorifice gestam in plenitudine ac declivio dierum meorum in opprobrium hominum, et despectionem plebis venire summo studio et conatibus nituntur. Certe non ignarus Ill.mus Leopoliensis de mea in hac praesertim Lituana Dioecesis meae parte non interrupta residentia, nihilominus continuo disponit, et Officialibus hujus Partis Lituanae sub rigore magno commendat, quatenus cum universo clero et populo, mihi etiam hic in Dioecesi praesenti, omnimo sint refractarii, sibi autem obedientes.

R.ndum Josephum Malinouski, antecedaneum surrogatum Polessiensem, ex justis causis, et rationibus evidenter deductis, legitime sub die 9ª mensis Iulij anno elapso ab officio surrogatiali (f. 274v) depositum, eidem officio restituit, et confirmavit, qui inter populum et clerum me omni authoritate et jurisdictione destitutum, nec unquam restituendum divulgat, superaddendo, quod id in mandatis habeat ab Ill.mo Coadjutore, prout ex ejus authenticis literis ad Decanos datis, et ad me ab iisdem transmissis luculenter patet. Sed eheu! quid est quod tantam mereatur poenam: si bene me gessi, cur caedor? si autem male, perhibeat testimonium de malo.

Objicit, et in suis etiam dispositionibus exprimit, me in discrimen ac periculum exposuisse Dioecesim; sed tanto clarius falsitas ista patet, quando luculentius ipse effectus probat, quod me disponente quantumvis aliquae villae, earumque Incolae rebelles effecti prope limites apostataverunt, tamen per mis-

sos a me electos sacerdotes verbi Divini praedicatione, Deo juvante, iterum conversi extiterunt. Nunc autem, proh dolor! quam multae ecclesiae, villae, et oppida avulsa, quamque numerosa in Partibus Ukrainae gens apostatavit! Difficile credo admodum tantae pesti jam dilatatae providere medicinam, arduumque tam ingenti vi sese opponere; interim saltem non indulgendum, ac approbandum foret. Sed cum Ill.mi Coadiutores mihi Ruthenae Gentis (non arrogantiae causa, sed pro negotii necessitate, ac justitia sic de me loquor) Primati, pro Sancta Catholica Fide, proque debita Summo Pastori, et Christi in terris Vicario, Pontifici Romano obedientia, zelo zelanti, Clerus cum Populo omni non obediat, numquid non evidens est scandalum? et exemplar rebellionis his praesertim luctuosissimis temporibus, in quibus vulgus omni jurisdictione eximi cupit, profecto si Ecclesiasticos, et quidem Dignitarios suo Primati adversantes viderit (prout jam videt) et eorum consilio resistere proprio Pastori licitum esse sibi persuaserit, indubitanter etiam supremae Potestati (f. 275) subesse recusabit, et ita tanto labore, cura, ac sollicitudine Antecessorum meorum, meique ipsius firmata, et propagata Fides (utinam falsa loquar) ruere, et prorsus extingui debebit, animaeque pretioso sanguine Christi redemptae, et eousque diligenter pastae et custoditae, aeternae perditionis supplicio tradentur. Et istud est quod diu noctuque animo mecum revolvens, copiosis lacrymis deploro, et cui ut Ill.ma Dominatio Vestra efficaci studio obviare dignetur quam citissime vehementer posco et obtestor.

Accepta notitia de obitu SS.mi Domini Nostri, illico, prout alias Ill.mae et Rev.mae Dominationi Vestrae significavi, processum publicum pro suffragiis animae ad universum clerum extradi, intimari, in ecclesiis publicari, et valvis earumdem affigi mandavi, Ill.mi autem Coadjutores non acceptari, et affixa exemplaria ejus fecerunt avelli. - Olea Sancta, quae in Cathedra Minscensi debito ritu consecrata pro Dioecesibus transmisi, non acceptanda, sed sua distribuenda disposuerunt.

Proventus (ut mihi jam pridem delatum) de Bonis anticipative perceperunt, ad me autem ne solidum comportarunt, de Bonis Lituanae Dioecesis, in quibus nunc locum consistendi habeo, quaeque satis exigua, et per continuum transitum exercitus Moschorum spoliata sunt, amovere intendunt, quamquam valde modicos ex iis reditus habeo, et nisi mei cognati agnatique sustentassent, jam emendicato ferme pane vivendum, aut prae penuria, ac ignominia moriendum foret. Ea propter millenis vicibus obsecro, ut Ill.ma et Rev.ma Dominatio Vestra rem totam Sacro Eminentissimorum Cardinalium Collegio exponere, et ab eodem, vel, faxint superi, a novo Summo Pontifice procurare remedium, quam citissime dignetur, vigore cujus ad pristinam authoritatem, et plenam jurisdictionem, ac possessionem Bonorum restituar, et reinducar.

* * *

(f. 275v) Lettera 2ª, in data da Minsco li 2 Giugno 1769.

Ill.me et Rev.me Domine.

Quae ab Ill.mis Coadjutoribus patior, sufficienter hebdomada praeterita significavi, nunc superaddo, quod etiam in hac Lithuana parte me turbare non

desinit Ill.mus Coadjutor Metropoliae; qui Clerum omnino a jurisdictione mea eximi studiose curat, Olea Sancta a se nuper ad hancce Lithuanam Dioecesim transmisit, distribuique, postquam ego mea distribuerim, mandavit.

Literas ad Sacram Congregationem paulo posterius hacce epistola, ad quam nunc responsum accepi, a me directas, spero jam pridem ad manus pervenisse, simulque confido, quod perspecta tandem injusta mei vexatione, miserebuntur Emin.mi Cardinales, modo Ill.ma et R.vma Dominatio Vestra constanter curam gerat, et enixe flagitet, quatenus Coadjutoribus omnino dicta administratio inhibeatur, ego autem ad pristinum restituar statum, et authoritatem.

* * *

Lettera 3ª, in data da Minsco li 8 Giugno 1769.

Ill.me et Rev.me Domine.

Ex praecedentibus epistolis meis satis compertum esse puto, quod Ill.mi Coadjutores mei eo summis conatibus nituntur, ut sese in perpetuum circa possessionem Bonorum meorum, et jurisdictionem manuteneri, et confirmari procurent. Ecquis non videt, ipsis administrationem Bonorum et Dioecesum provisionaliter, et in suppositione dumtaxat, ac si ego extra limites Regni, et Dioecesum forem, et quousque non redivero commissam, et in ea suppositione, ut mihi scilicet acsi et extra Dioecesim et Regnum manenti, medietatem proventuum comportent, injunctum esse, in hocque posteriori Apostolico Brevi principale esse, non ipsos in administratione confirmari, sed durante dumtaxat (prout falso coram Sancta Sede expositum fuit) (f. 276) absentia mea, et eorum administratione, mihi de honesta sustentatione providere, quod cuique legenti, et bene advertenti patet. Ipsis autem longe aliter interpretari placuit, fatentur quidem primo Brevi Apostolico administrationem durante absentia mea (quam actu fuisse omnino sibi universorum testimonia, et evidentia suadent) provisionaliter commissam fuisse, sed posteriori dicunt se confirmatos esse ita, ut quantumvis ego praesens intra Dioeceses fuerim, praedicta tamen administratio cessare haud debeat, quod praecipue Ill.mus Leopolien. divulgare per Dioeceses publicis Instrumentis, et Dispositionibus non desinit. Ex ratione quid secutum sit, expono.

Postquam Ill.mus P.M. Bulhak, Episcopus Pinscen. et Turovien, e vivis excesserit,[150] Rev.mus nominatus ejus Coadjutor Gedeon Horbacki scripsit ad me, ut eidem, Sede vacante dictarum Dioecesum, pro jure mihi uti Metropolitano competenti, administrationem committere dignarer; ego precibus ejus benigne annuendo, illico Instrumentum Administrationis quoad jurisdictionem extradi mandavi, literisque missivis informavi, ut ad me isthic Minscii penes Cathedram residentem, servatis servandis, pro obtinenda consecratione adveniret. Quid factum? Ill.mus Leopolien., accepta notitia de obitu Ill.mi Pinscen., ausu suo Ill.mo Coadjutori Vladimirien. administrationem praecommisit, et ad se uti administratorem plenam authoritatem Metropolitanam spe-

[150] Episcopus Georgius Bulhak Sedem Pinscensem rexit annis 1730-1769.

ctare promulgavit. Hinc Rev.mus Nominatus, non amplius facto ad me recursu, Leopolim discessit, ibique in Episcopum ordinatus, et institutus extitit. Quantam inde confusionem patior in confesso est; omnes enim pro deposito (sed ob quam quaeso culpam) habent, et judicant, Schismaticorum autem eousque processit malitia, quod me (ut nuper innotuit) non modo depositum, sed excommunicatum suis in Ecclesiis jussu Pseudo-Episcopi Mohilovien.[151] promulgant, et (f. 276v) declarant, idque non in alium finem, nisi ut tali promulgatione Populum seducent, et ad apostasiam alliciant. Etenim, dicunt, Metropolitanus, qui multum pro unione zelavit, omni authoritate, potestate, honore, modoque vivendi destitutus extitit.

Advertat ergo Ill.me et Rev.ma Dominatio Vestra quae ego mala in dies majora, atque majora fero, et diligenter curet efficax remedium. Quod millenis precibus postulando, maneo debito cultu.

* * *

Lettera 4ª, in data da Minsco li 22 Giugno 1769.

Ill.me et Rev.me Domine.

Non est finis miseriarum, sed augmentum; hac enim hebdomada accepi certam notitiam, quod Ill.mus Metropoliae Coadjutor omnia cujuscumque generis, et speciei pecora de Bonis Ukrainae intercipi, et Leopolim transduci mandaverit; quod grævius est, ejus nuper praetensus Officialis, Michael Prymowicz, condescendens in Ecclesiam Radomysliensem, ex eadem calices, Missalia, et id genus supellectilia ecclesiastica, renitente ejus ecclesiae Rectore, accepit, praetendendo omnia esse sibi debita, tum denique Archivum cum Documentis Bonorum, et Acta Consistorialia violenter a Cancellario extorsit. Quae et multo majora dum in Ukraina perpetrantur, idem Ill.mus Coadjutor incessanter disponit Officialibus Partis Lithuanae, ut mihi hic praesenti non modo non obediant, verum etiam omne regimen spiritualium et temporalium ex nunc impediant, talem esse dicendo Sacrae Congregationis dispositionem; istoque facto se exaltari, me contemni, et mendicari studiose sategit.

Nescio quid est, quod a Sacra Congregatione, ad quam fuse scripsi, ejusque Resolutionem non accipio, nisi forte quia literae non pervenerunt. Confido enim, quod perspecta tandem fraude et dolo adversariorum, me ampluis injuriari pro justitia non pateretur. Rogo igitur Ill.mam et Rev.mam Dominationem Vestram, ut ultimatam (f. 277) Resolutionem, praecipue si feliciter novus summus Pontifex eligatur, indilate procurare non intermittat, quam expectando maneo debito cultu.

P.S. — Insuper defero, quod postquam ego in locum R.ndi Mokrzycki, R.ndum Pocalojewski pro munere Procuratoris exercendo Varsaviam miserim eo fine, ut R.ndum Mokrzycki ad latus meum assumerem, Ill.mus Coadjutor Vladimiriensis ipsum penes se detinuit, et etiamnum post multas requisitiones ad me venire non permittit, et tamen deberet istud pro Justitia praestare, ego

---

[151] Georgius Konyskyj, ab anno 1768 Archiepiscopus Mohiloviensis non unitus.

enim praedictum R.ndum Mokrzycki promotione mea propriori in Collegio Pontificio Vilnensi educari, dein Varsaviae meo sumptu penes Tribunal Sacrae Nuntiaturae per tres annos in jure, ac aliis necessariis perfectionari curavi, et feci, et ad publicam assistentiam Clero non permittunt, tanta malitia ab ipsis praestatur.

105.

Przylepy, 20. VI. 1769.

Conqueritur de pessima administratione bonorum ex parte sac. Prymowicz.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 10, f. 102.

Copia di lettera di Monsignor Wolodkowicz, Metropolitano di Russia, à Monsignor Szeptycki, Vescovo di Leopoli, Coadiutore della Metropolia e Amministratore Kioviense.

Ho già risposto a V.S. Ill.ma e R.ma sull'interesse del denaro, che da me pretende il Signor Prymowicz. In aggiunta le dichiaro adesso di aver contro di lui dai Diocesani qualche decina di punti di accusa del valore di oltre due mila Ongari, ai quali punti dovrà egli rispondere. Non si rallegri pertando dei suoi seccento. Nulla ha avuto dal Padre, ne dalla Famiglia, perche col negotio di pelli non hanno potuto guadagnar molto. Ora può contare quattrocento mila fiorini. Ho inteso, che ne ha comunicati più di cento mila à V.S. medesima. In oltre dai 4 marzo 1767 ha egli successivamente tenuta la Cassa della Metropolia, e la mia propria, di cui non ha dato conto, ne ha avuta mia ricevuta. V'è perciò bisogno di tempo per prima giustificarsi avanti di me; e quando non debba nulla ne à noi, ne alla Diocesi, si potrà aver riflesso alla consueta pensione, se l'avrà meritata. Prima dunque di ogn'altra cosa si compiacia V.S. di aprirmi il suo sentimento, quanto le piaccia assegnare di annua pensione ai suoi Offiziali, onde à proporzione delle rendite osserviamo uguaglianza nel ricompensare le fatiche de nostri Ministri. Mi raccomando à miglior cuore, sottoscrivendomi con invariabile affetto e stima di V. S. Ill.ma e R.ma ad.mo Fratello.

F. Wolodkowicz, Arciv. Metropolitano di tutta la Russia

Di 20 Giugno 1769 da Przylepy.

106.

Berestia, 30. VIII. 1769.

De Capitulo Basilianorum procrastinato, de abusibus Coadiotoris Metropolitae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 109, f. 171.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Domine, Patrone Singularissime.

Intra limites Archidioecesis meae Metropolitanae non interrumptim et

continuo commoratus, accepi tandem notitiam de celebrando Capitulo Ordinis S. Basilii M. generali designata die 26 istius mensis ex prorogatione per Illustrissimam et Rev.mam Excellentiam Vestram facta,[152] Literisque specialibus missivis petitus pro eodem Capitulo fui a Rev.mo Proto-Archimandrita Provinciarum, ad quae petita, et vigore ordinationis Decretorum Sanctae Sedis Apostolicae tum Synodi Provincialis Ruthenorum Zamoscianae, Sess. 3ª, tit. XI: De Monasteriis et statu Monachorum, cap. 1mo, ibi: Praeerit autem primo huic Generali Capitulo Ill.mus et Rev.mus D.nus Metropolita etc., contuli me de oppido Minsk dicto Brestam, Praesidem ejusdem Capituli acturus.[153] Venerunt Patres Provincialis Lithvaniae et nonnulli Provinciarum Superiores, omnes autem approprinquarunt dicto oppido jus intrandi Capitulum habentes. Verum iteratam suspensionem, prorogationemque Capituli per Ill.mam et Rev.mam Excellentiam Vestram porrexit mihi in mea Tryszynensi, Brestae propinqua, residentia Religiosissimus Pater Provincialis Lithvaniae, qua ego debita, ut par est, cum reverentia accepta, vinctas manus placitis Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae dedi. Torqueor nihilominus ingenti cordis dolore quod, praeter notabiles expensas et damna non modica plurium Monasteriorum tum measquas perpessas deturbari ultra (ut non modo arbitror verum nemo est qui istud non videat) in jure in quo Decreta Sanctae Sedis Apostolicae integrum jus Praesidentiae Capitulis generalibus Metropolitis Russiae asseruerunt, Coadjutor Metropoliae meus intendit, qui vellet quoque ipsa et ad ultimum authoritate Metropolitana (f. 171v) me privare. Non ita enim pridem, anno currenti in mense Majo, sine consensu meo, in praejudicium et vilepensionem meam, episcopali charactere ad Cathedralem Pinscensem insignivit Ill.mum Gedeonem Horbacki eumdemque instituit[154] et quotquot modos inconvenientiarum poterit adinvenire, hos contra me una cum Coadjutore Vladimiriensi quaerit et opprimit. De singulis in singulari et in genere Lator praesentium, Officialis meus Kioviensis, quem summae benignitati Excellentiae Vestrae Ill.mae recomendo, sufficienter informabit, et ne hujusmodi inconvenientias fieri longius Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra patiatur, meque pene sius praesidentiae Decretis Apostolicis mihi assertum conservari efficiat, nec non proponendis nomine meo a praelaudato Kijoviensi Officiali favere dignetur, humiliter rogo, utque Capituli generalis celebrationem promoveat, impense obsecro, profundissima veneratione maneo

Ill.mae, Excell.mae et Rev.mae Dominationis addictissimus, obseq.mus et servus humillimus

F. Wolodkowicz, Archiep.pus, Metr. totius Russiae

Brestae Lithvaniae, die 30 Augusti, 1769 anno.

---

[152] Capitulum hoc locum non habuit nisi anno 1772.

[153] Capitulum hoc locum etiam tunc non habuit.

[154] Gedeon Horbackyj, Episcopus Pinscensis (1769-1781).

107.

Berestia, 30. VIII. 1769.

De Capitulo Basilianorum iterum procrastinato, et de abusibus Coadiutoris Metropoliae.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 10, f. 119rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi Principes, Domini, D.ni Protectores Singularissimi.

Labitur jam insigne tempus, quo Apostolicae Sedis gratia episcopali insignitus charactere in qua Chelmensi, qua Vladimiriensi Episcopatibus, ac Archiepiscopatu successive Kijoviensi promovendae Dei gloriae, augendaeque S. Unioni cum Sancta Romana Ecclesia operam meam pro viribus impenderim, gloriabarque semper validissimo eoque optimo Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum Patrocinio. Cui etiamnum summe confisus, negotium meum humillime expono. Imminente celebrando Capitulo Generali Ordinis S. Basilij Magni, designata labentis mensis 26 die, contuli me ex oppido Minsk Brestam, ejusdem Capituli acturus Praesidem, cum hocce Officium mihi competat per Decreta Sanctae Sedis Apostolicae ac Synodum Provincialem Ruthenorum Zamoscianam, Sess. 3ª, tit. XI: De Monasterijs et statu Monachorum, Cap. 1mo, ibi: Praeerit autem primo huic generali Capitulo Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Metropolita, et ad illud vocabitur Religiosissimus Protoarchimandrita etc. Venit quoque in dictam Civitatem Rev.mus Pater Provincialis Lituaniae Patresque de locis multum dissitis appropinquarunt laudato oppido, tum ipsi, tum egomet, inopia licet his in circumstantijs laborans, quibus Administrationem Metropoliae et Episcopatus Vladimiriensis Coadjutores sibi vindicando omni prorsus ad sufficientiam commodo me privarunt, nec de proventibus minimum aliquid mihi mittunt; insignes perpessi sumus itineris expensas. At incassum iverunt viales sumptus nostri, suspensum namque est ac prorogatum ab Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico Capitulum Generale, quam prorogationem cura et suggestu Coadjutoris mei Metropoliae factam arbitror, (f. 119v) imo nemo est qui non videat. Ille etenim simul cum Vladimiriensi Coadjutore agentes non tantum authoritate Metropolitana me privari vellet, sed etiam Praesidis Capituli cum eadem authoritate, solis Metropolitis competenti, Officium in se assumere. Quaerunt apertissime propria, non vero quae essent Christi, in eumque finem et oppressionem mei, non ita pridem, currenti anno, in mense Majo, me inscio et sine ullo consensu Gedeonem Horbacki in Episcopum Pinscensis Cathedrae Coadjutor[155] Metropoliae circa assistentiam Vladimiriensis Coadjutoris consecravit, de quibus gestis aliisque inconvenientiis Rev.mus Abbas Stefanini conceptis verbis Eminentiis Vestris

---

[155] Agitur de Leone Szeptyckyj, Metropolitano, et Antonino Mlodovskyj, Volodimiriensi Coadiutoribus.

Rev.mis nomine meo profitebitur. Instantissimis proinde precibus obsecro, quatenus Eminentiae Vestrae Rev.mae demandent celebrationem Capituli Generalis, meque penes Jus Praesidentiae Decretis Apostolicis mihi assertum conservare, Episcopum Pinscensem pro installatione seu Sacra ad me remittere, et tam consecrantem quam consecratum monere, in integroque Juri meo Metropolitico et possessioni Bonorum restituere dignentur. Quam gratiam demisissime millenis vicibus expostulans, in osculo sacrarum Purpurarum maneo

Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum obedientissimus et infimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus, Metr. totius Russiae (mp.)

Brestae Lith., die 30 Augusti, 1769 anno.

108.

Berestia, 6. X. 1769.

De Joanne Mokrzyckyj, de abusibus Coadiutoris Metropoliae, de querelis contra gesta Coadiutorum et de resolutione conferendi se ad bona Mensae suae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 135.

Illustrissime, Exc.me ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Singularissime

Cum primum de speciali benignitate Illustrissimae Vestrae Excellentiae erga humilitatem meam Reverendus Dominus Gregorius Mokrzycki, Officialis meus Kijoviensis, litteris suis mihi significasset, illico sincera studia mea converti, ut provolvam me profundissime ad pedes Ill.mae Vestrae Excellentiae, et persolvam gratias summas pro omnibus ejus beneficiis propter immeritum, per praesentes missivas. Haec dum facio, humillime insimul precor, ut in signum strictissimae subjectionis meae, de manibus dicti Officialis, pellem ursinam albam dignetur acceptare, quam mitto.

Officialis mei praeexpressi patruelis Reverendus Joannes Mokrzycki, qui expensis meis per aliquot annos Varsaviae fuit educatus detinetur nunc Vladimiriae a Coadjutore meo Vladimiriensi, mihi autem summopere est necessarius ad causas nonnullas gravioris momenti, in quibus iste Clericus bene est istructus, si itaque foret possibile, ut Excellentia Vestra Illustrissima subscribat mandatum de manumittendo, imploro.

Illustrissimus Coadjutor, Leopoliensis Episcopus, neo-consecratos per me Presbyteros in Kijoviensem Dioecesim, per se, et sua substituta Officia, suspendit a Divinis, et nimis persequitur, prout patebit ex annexo memoriali, sub N° 1°, ab iisdem Presbyreris mihi transmisso originali. Itidem igitur supplico aliud mandatum, ne ultra (f. 135v) inquietentur miserrimi veri Uniti Sanctae Matri Romanae Ecclesiae.

Quale seu in quibus terminis mox praeteritis diebus ministerio Regni nomine meo fuit porrectum memoriale, et quid ad illum respondit Eximius Dominus Supremus Regni Cancellarius, patebit ex annexo N° 2°.

Mitto Officiali meo toties dicto puncta pro extendendo memoriali et porrige-

ndo Excellentiae Vestrae Illustrissimae,[156] meo singularissimo Benefactori, contra Coadjutores, quod etiamsi prolixum foret, non dedignabitur sua Excellentia Illustrissima illud animo gratioso excipire.

Deus ipse videt, qui me judicaturus est, quod jam non habeo, unde cum inservientibus mihi quomodocunque vivam, adeoque nisi brevi tempore recepero Resolutionem Sanctae Sedis Apostolicae in negotio cum Coadjutoribus, debebo omnino ad bona mea, quae occuparunt Coadjutores, festinare; timeo tamen unicum, ne videar aliquomodo quidquam me acturum contra dispositiones ejusdem Sanctae Apostolicae Sedis, cui infinite totum me consecro, quemadmodum in obsequiis Excellentiae Vestrae Illustrissimae permanere volo, atque ideo hac in re consilium quaero. Denique cum profundissimo cultu maneo.

Ill.mae, Excell.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae, Patroni Singularissimi,

humil. Servitor

F. Wołodkowicz, Archiep. Metrop. totius Russiae (mp.)

1769, die 6 Octobris. Brestae Litt.ae

109.

Berestia, 14. XI. 1769.

Manifestatio Metropolitae contra suos Coadiutores de abusibus et iniuriis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 120-121.

Copia manifestationis Ill.mi Metropolitani contra Ill.mos Coadiutores factae anno Domini 1769, die 14 Novembris in Castro Bresten.

Coram Officio Actisque praesent. Castrensibus Publicis Bresten. comparens personaliter Excel.mus, Ill.mus ac Rev.mus Dominus Felicianus Philippus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolita Kyiovien. Halicien. et totius Russiae, Prothotronius Episcopus Vladimirien. et Bresten. nomine suo in et contra Ill.mos et Rev.mos Dominos Leonem Szeptycki, Episcopum Leopolien, et Camenecen, et Antoninum Mlodowski, Bresten. ac respectivarum Dioecesum suarum Metropolitanae Kyioviensis et Episcopalis Vladimiriensis et Brestensis Coadiutores, reassumendo omnes quasvis querellas, praetensiones et iniurias, tam antiquiores quam recentiores, per quasvis principaliter agentes et subordinatas personas, modo qualicumque et praecipue inferius nominando sibi illatas, et non obstante quovis impedimento pro vindicandis iniuriis et praetensionibus obviandoque omnimodae integritati suae, bonorum et iurisdictionum suarum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tum fructuum ex honis provenientium, ne subsequenter vel minimum patiantur detrimentum, eosdem coram Officio et Actis Authenticis omnibus melioribus quibus de iure vel praxi, forma ac stylo, melius, efficatius, et validius potuit ac debuit potestque ac debet modis, solemniter et solemnissime questus, protestatus et mani-

---

[156] Nuntio Varsaviensi, Angelo Maria Durini (1766-1772).

festatus est et super eo, quia ipsi Ill.mi Manifestati in oppressionem, iniurias, prostitutiones, ac summa gravamina Excel.mi Domini Manifestantis a multis abhinc annis laborantes, captatis nonnullorum Praesbyterorurm et Dispositorum eidem Manifestanti infensorum animis ab iisdemque consulto procuratis et obtentis falsis litteralibus expositionibus, acsi Bona Mensae Metropolitanae et Episcopalis Vladimiriensis, tum iurisdictio in spiritualibus et temporalibus periclitetur, et acsi Excel.mus Dominus Manifestans post limites in praesenti calamitate Regni se moveret, in fundamento earum expositionum cum aliis simul suis a veritate alienis narratis in anno immediate praeterito 1768, die 28 Augusti, Romae, obreptitie, in summum sui et iurium suorum praeiudicium, sine omni iusta causa, Resolutionem seu Decretum ad suas supplicationes factas, a Sancta Sede Apostolica intuitu administrationis Metropoliae Russiae et Episcop. Vladimiriensis obtinuerunt,[157] cui resolutioni innixi, praeter omnem debitum ordinem, non servatis de iure et iustitia servandis, non intimata eadem resolutione, neque quomodolibet exequuta, clandestine Bona Mensae Metropolitanae et Episcopalis Vladimiriensis invaserunt, iurisdictionem utramque nulliter fundarunt, ac intromissionem coram Actis castrensibus Zytomirien. et Vladimirien. inscripserunt, personas sibi Manifestanti infensas et interessatas in Officiis et Dispositionibus instituerunt, ulterius vero procedendo, Causas quae sunt iuris Metropolitici et Actiones peragunt et cognoscunt, fructus ex bonis percipiunt, a quibus Manifestantem excludunt, crescentias evehunt in propria, animalia educunt, eadem Bona contractibus arendatariis favore suorum consanguineorum et in personas eorum factis onerant et onerarunt, iisdemque consanguineis sylvas scindere et destruere permittunt, subditis census annuos gravaminose augent proindeque eos propellunt, scriptis suis per intra Regnum honorem et bonam famam Manifestantis denigrant, aliaque inexplicabilia per se ipsos et per substitutos gravamina et damna adferunt, imo attulerunt, ita ut toties dictus Excell.mus Dominus Manifestans ad pauperrimum pervenerit statum, et non modo honeste, sed etiam nullomodo cum inservientibus sibi vivere et sustentari habeat. Cum autem supra fatum Decretum Sanctae Sedis Apostolicae fuerit expetitum inchoata iam causa per exportationem a Sancta Sede Apostolica super praetensis cessionibus, inhibitionis, resigillatae et detentae per quemdam Admodum Reverendum Alexandrum Wackiewicz, Decanum Zytomiriensem, ad praesens vero ex parte Ill.mi Leopolien. Episcopi Bonorum Ucrainensium Metropoliae Commissarium constitutum, et tandem legitime intimatae, cum Rescripta Apostolica sint iis viis obtenta ab Ill.mis Manifestatis, quibus, illis mediantibus, fraus et dolus patrocinari non debeat, cum executio Decretorum seu Rescriptorum Apostolicorum, iuxta notissimas iuris dispositiones, non aliter nec alio modo fieri debeant, nisi recognita et verificata clausula, si videlicet preces veritati innitantur, cumque preces ad supra laudatum apostolicum Decretum contineant in se clausulam ulterioris beneplaciti

---

[157] In S.C. de Prop. Fide quaestio haec tractata fuit ample die 18 Julii 1768; cfr. *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. IV, pag. 238-241, nr. 1312.

et provisionis, ideo idem Manifestans iteratis vicibus, obviando cuivis suae integritati, de nullitate omnium actorum et gestorum Manifestatorum queritur, manifestatur, opponit ac excipit, salvis salvandis et praecustoditis praecustodiendis. Et quia secundum subalternam appellationalem dispositionem Romae 1-ma februarii anno currenti 1769 Ill.mis Manifestatis, intuitu solutionis medietatis redituum pro sustentatione manifestantis datam, demandata desuper eiusdem dispositionis executio nullum effectum realem adusque sortita, eapropter de necessitate suae sustentationis, accedente ad id alia necessitate, cognitionis videlicet damnorum suorum quemvislibet, subsecutorum praeparationisque Regestrorum ad Bona Mensae suae tam Metropolitanae Kyiovien. quam Episcopalis Vladimirien. se festinaturum, salva in toto Sanctae Sedis Apostolicae auctoritate suprema (cui cum ea omni qua par est reverentia se strictissima obedientia submissum sentit et in perpetuum submissurum) affert, et declarat. Ne itaque supponatur in posterum ab adversis aliquid supremis dispositionibus adversari et super his accusetur, vel inquietetur iterum iterumque de diligentia Manifestatorum quasque necessitates supra fatas ullis attentatis et attentandis sit quaesiturus cavet et promittit, eiusdemque manifestationis, cautionis et promissionis augendae, minuendae aut meliorandae reservata et praecustodita sibi facultate, seque in parata porrecta copia manu propria subscripsit.

110.

Berestia, 16. XI. 1769.

De iniuriis sibi illatis a Coadiutoribus conqueritur easque describit.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 827, f. 282rv, 285.

Eminentissimi et Rev.mi Principes, Domini, Domini Clementissimi.

Quantas afflictiones patior satis longo tempore ab Illustrissimis Coadjutoribus meis nemo est qui non videat. Ad eum quippe ausum et gradum progressa est malitia eorum, ut me ubique locorum gratis et sine omni causa denigrarent, ac omni prorsus commodo et authoritate privarent, satis de his scripsi Rev.mo Domino Abbati Stefanini, cui Eminentiae Vestrae Rev.mae benignas praebere aures non dedignentur.

Dicti Illustrissimi Coadjutores in oppressionem, immanes prostitutiones praejudicia, ac summa gravamina mei a multis ab hinc annis laborantes, captatis infensorum mihi animis, ab ijsdem consulto procuratis et obtentis falsis literalibus expositionibus acsi Bona Mensae meae Metropolitanae, et Episcopalis Vladimiriensis, tum jurisdictio in Spiritualibus et temporalibus periclitetur, et acsi ego post limites in praesenti calamitate Regni me moverem, in fundamento earum expositionum cum aliis simul suis a veritate prorsus alienis narratis, in anno immediate praeterito 1768, die 28 Augusti, Romae obreptitie, in summum mei et jurium meorum praejudicium, Decretum Administrationis Bonorum praefatorum et jurisdictionis in spiritualibus obtinuerunt. Cui innixi, praeter omnem debitum ordinem, non servatis de jure et justitia servandis, non intimato eodem licet provisionaliter tantum concesso Decreto neque quo-

modolibet executo, clandestine Bona mea Metropolitana et Episcopalia Vladimiriensia (f. 282v) invaserunt, jurisdictionem utramque nulliter fundarunt ac intromissionem coram Actis castrensibus Zytomiriensibus et Vladimiriensibus inscripserunt, Personas mihi infensas et interessatas in officiis et dispositionibus constituerunt. Ulterius vero procedendo, causas quae sunt Juris mei Metropolitici, et Actiones peragunt ac cognoscunt, fructus ex bonis percipiunt, a quibus prorsus me excludunt, crescentias evehunt ad propria, piscinas evacuant, et animalia educunt, eadem Bona contractibus Arendatoriis favore suorum Consanguineorum et in Personas eorum factis onerant et onerarunt, ijsdem consanguineis sylvas scindere et destruere permittunt, subditis census annuos gravaminose augmentant proindeque eos propellunt, suggerunt contra me viliores etiam Personas, aliaque inexplicabilia per se ipsos et per substitutos gravamina et damna adferunt, quod ad pauperrimum et infelicissimum pervenerim statum et non modo honeste, sed etiam nullo modo cum inservientibus mihi vivere et sustentari valeam.

Super praemissis ac aliis feci praeteritis mox diebus recentem manifestationem in qua aperui extunc intentionem suam discendendi, cogentibus necessitatibus, ad Bona Metropoliae Kijoviensis et Episcopatus Vladimiriensis, sine ullis attentatis adusque factis et faciendis, propter Authoritatis Apostolicae reverentiam quae cordi meo infinita adest. Verum quoniam eodem tempore accipio notitiam (f. 285v) quod Illustrissimi Coadiutores cumulant homines, et consanguineos suos, ut me non admittant, appello humiliter ad Eminentias Vestras Rev.mas hac cum expositione: An Coadjutoribus meis fraus et dolus? An mihi ultima miseria et status infinite deterioratus idque motivo Fidei S. et reverentiae Apostolicae, accedente ad id malitia et privato interesse Coadjutorum patrocinari debeant? Nolo ego extrema quaerere media, ut afflicti passim faciunt, quia firmam spem in gratiis Eminentiarum Vestrarum Rev.marum colloco, quod abjectum me erigere atque ad pristina jura et possessiones restituere non praetermittent, de quo humillimas preces renovo prestolandoque has gratias, quae meas afflictiones sublevare valeant, in osculo Sacrarum Purpurarum maneo

Eminentiarum Vestrarum Rev.marum infimus suppedaneus et continuus Exorator

F. Wolodkowicz, Archiep., Metropolitanus totius Russiae (mp).

Die 16 9. bris, 1769 anno. Brestae Lithuaniae.

111.

Berestia, 16. XI. 1769.

Gratulatur Pontifici Clementi PP. XIV de evectione ad summam Episcopatus, et de luctuoso suo statu et Ecclesiae suae ob praeiudicia a Coadiutoribus patrata.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 827, f. 295-296.

Sanctissime ac Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

Divinitus collata Sanctitati Vestrae Pontificia Dignitas mensuram laeti-

tiae, animi alacritatem tantam tribuit mihi, quanta est magnitudo et consideratio supremi Vicariatus Christi. Isthic ego Divinae voluntati, et Providentiae ejus sanctae, quae omnia disponit suaviter, quaeque non permittendo Ecclesiam suam et populum fidelem in diuturna orbitate versari, dedit nobis Vestram Sanctitatem Ducem et supremum Pastorem, quo nos ad aeternae salutis portum, eadem Providentia et misericordia Divina praeeunte, perducat, publicas reddidi gratiarum actorias orationes; utque deinceps Sanctitatem Vestram induat virtute ex alto, corroboret spiritu sapientiae, fortitudinis, consilii, ac pietatis, ut inter tantos fluctus et procellas horum temporum S. Petri navem, Ecclesiam videlicet Sanctam feliciter ac diuturne semper incolumis gubernet, et dissitos ab Ecclesia in unum Ovile aggreget, ut tandem aliquando vocem Pastoris unius omnes audiant, et ipse oro, et populo supplicationes et preces fundendas indixi. Haec dum pro modo gratulatoriae Vestrae Sanctitati offero, filialem insimul obedientiam Optimo Patri, studium, fidem et observantiam perpetuam voveo et profiteor.

Lugubrem et deplorandam status mei faciem, ad quam Domini Coadjutores Metropoliae Russiae, Leo Szeptycki, Leopoliensis, et Episcopatus (f. 295v) Vladimiriensis, Antoninus Mlodowski, titularis Brestensis, Episcopi, perduxerunt personam meam, serio mihi contemplanti, vel animo prorsus despondendum esset, vel extrema (: ut afflicti passim faciunt :) media forent amplectenda, nisi ultima spei meae anchora, in paterno Sanctitatis Vestrae sinu collocata, labentem me erigeret. Ad eum quippe progressa gradum dictorum Coadjutorum malitia, ut non modo gratis et sine omni causa ubique locorum personam meam denigrarent, verum etiam omni auctoritate et sustentationis modo, ad ultimam paupertatem perducendo, privaret. Quapropter, Beatissime Pater, preces humillimas fundo, ut, auditis benigne Rev.mi Domini Abbatis Stefanini pro parte mea factis et faciendis expositionibus et motivis, dignetur Sanctitas Vestra Decretum provisionale Apostolicum Administrationis et Episcopatus Vladimiriensis et Metropoliae Russiae pro praefatis Coadjutoribus, Romae sub die 28 Augusti 1768 anno editum, tum cessiones emunitas vi et potentia quartae Bonorum Mensalium partis, et Jurisdictionis spiritualis circumscribere mandare, meque ad pristinam Authoritatem, Jura, et possessiones restituere. Praestolabor gratiam Sanctitatis Vestrae, quae meas afflictiones tollere prorsus valeret. Et (f. 296) interea Apostolicam Benedictionem humiliter implorando, cum sincera ac filiali devotione Sacros exosculor Pedes atque maneo

Sanctitatis Vestrae Scabellum pedum et indefessus Exorator

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus, Metrop. totius Russiae (mpr).

Die 16. 9bris, 1769 anno. Brestae Littuaniae.

112.

Kupieczovia, 28. XII. 1769.

Gratias agit de litteris acceptis et petit adiutorium in afflictionibus suis.

APF, *Scritti rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 10, f. 139.

Eminentissime et Reverendissime Princeps, Protector Amplissime.[158]

Literae Eminentiae Vestrae postquam ad me pervenerint, incredibili in afflictionibus meis fuere mihi solatio, quibus Eminentia Vestra et jus meum Metropoliticum in Capitulo indicendo tueri, et necessitatibus, imo potius exigentiae meae providere per commissionem negotii Ill.mo Nuntio Apostolico gratiosissime dignata est. Ago itaque infinitas Vestrae Eminentiae, Protectori meo amplissimo, gratias ea qua par est animi devotione, enixeque supplico, ut etiam juribus meis ac bonis mediante Sacrae Congregationis judicio restituar. Commendans me iterum atque iterum respectui, precor Deum Optimum Maximum, ut Eminentiam Vestram incolumem foveat ac sospitem, maneoque obsequiosissimo cultu

Eminentissimi et Rev.mi Principis, Protectoris amplissimi
humillimus et obsequentissimus Servus et Exorator
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus, Metropolita totius Russiae (manu propria).

28 Xbris 1769, in Kupieczow.

113.

Kupieczovia, 28. XII. 1769.

Petit auxilium ut ipsi fiat iustitia ex parte Coadiutorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 147.

Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine, D.ne, Patrone Colendissime

Eximia Ill.mae Excell.ae V.rae cura ac sollicitudo quibus apud Sanctam Sedem Apostolicam negotium meum Ill.ma Excell.ia Vestra tueri dignata est, cum me strinxerit ad summas eidem agendas gratias, tum ad implorandam rescripti Sanctae Sedis, contra DD. Coadjutores meos emanati, quam citiorem executionem. Dignabitur itaque Ill.ma Excellentia Vestra pro jure suo amplissimo authoritatem suam interponere ad eosdem DD. Coadjutores, in ordine pro duobus annis persolvendae medietatis proventuum, mihi a Sacra Congregatione persolvi injunctae, qua ratione summae meae tenuitati ac indigentiae succurreretur. De caetero ut sim quoque juribus meis ac bonis restitutus, Ill.mae Excellentiae Vestrae singularem protectionem exposco, ut ea mediante in Sacra Congregatione preces meae celeriorem eventum sortirentur. Interim enixissime me favoribus Ill.mae Excellentiae Vestrae commendando, maneo propensissimo ac sincerissimo cultu

Ill.mae, Exc.mae et Rev.mae Dominationis V.rae
addictissimus et obsequentissimus servus
F. Wolodkowicz, Archiep. et Metrop. totius Russiae (mp).

28 Decembris 1769, in Kupieczow

---

[158] Ut videtur, Em.mo Praefecto S.C. de Prop. Fide, Josepho Maria Castelli (1763-1780). Cfr. litteram Congregationis de dat. 18. IX. 1769, in *Litterae S.C. de Prop. Fide*, vol. V, pag 145, nr. 2266.

114.

(*Varsavia*), ... *1769.*

Memoriale de causa vertente inter Metropolitam et Coadiutores, petitur ut circumscribatur potestas Coadiutorum eique ipsi restituatur iurisdictio ablata.

ASV, *Arch. di Varsavia*, vol. 90, f. 136-137.

Memoriale ex parte Excellentissimi Metropolitae totius Russiae Ministerio Regni per R. Mokrzycki, Officialem Kijoviensem, porrectum, ex Polonico in Latinum transumptum.[159]

Non propriae voluntatis Interpres aut Rector, sed Emissarius Excellentissimi Domini Metropolitae totius Russiae, Gregorius Mokrzycki, Officialis Kijoviensis R. G. U., nihil quidquam aliud agere, aut dicere in negotio sui Pastoris valet, quam quod in mandatis habet. Ex ea itaque obligatione exponit sequentia:

Excellentissimus Dominus Metropolita totius Russiae assumendo Illustrissimum Episcopum Leopoliensem in Coadjutorem Metropolis (pariter et alios) non aliter eidem inscripsit Coadjutoriam, nisi dato sibi Reversali, quod ad vitae tempora Excellentissimi Metropolitani nullum regimen aut fructus praetendet, sed sola duntaxat successione et titulo Coadjutoriae contentus erit.

Tali in manus Excellentissimi Metropolitani dato reversali, Illustrissimus Coadjutor obtinuit oportunam sibi a Sancta Sede Apostolica Sacram, in qua S. Apostolica Sedes expresse definivit, quod quousque vixerit Metropolita, eousque Illustrissimi Coadjutores non modo nullum fructum exigere a suo Coadjuto, sed nec in Regimen ullum temporale aut spirituale, sub ullo pretextu, sese ingerere debebunt.

Dicti utrique actus innixi summis Authoritatibus; Authoritate Regia, quoniam, dato Reversali, Coadjutor praesentatus seu nominatus extitit; Authoritate autem Sanctae Apostolicae Sedis, quoniam haec confirmando Reversale inhibuit Decretali suo Illustrissimis Coadjutoribus regimen et unico titulo ac successione contentos esse voluit et mandavit.

Itaque Supremae Paternae Authoritates praedictae ut in perpetuum inviolabiles serveutur, postulat humiliter Excellentissimus Metropolita.

Anno 1767 porrectum fuit Excellentissimo Metropolitano excerptum, acsi ex Instructione Palatinatus Kijoviensis, plenum denigrationis honoris ejus, ac authoritatis Metropolitanae, penes quam expressa fuit praecautio (f. 136v) quod si nollet cedere Jurisdictionem et quartam partem bonorum Coadjutoribus, tunc istud ipsi sperandum foret, quod Celsissimo Cracoviensi et Ill.mo Kijoviensi Episcopis accidit.[160]

---

[159] Epistola haec expressam mentem Wolodkowicz exprimit et proinde inter eius epistolas est ponenda.

[160] Cajetanus Soltyk, Episcopus Cracoviensis (1757-1782), et Josephus Zaluski, Episco-

Tam gravis in constantem cadens virum metus commovit Metropolitam ad subscribendam Coadjutoribus Jurisdictionem et quartam bonorum partem, qui idem Metropolitanus successive de nullitate subscriptionis protestatus est.

Praeter hanc protestationem requisivit a Palatinatu Kijoviensi informationem, unde nam Instructio ejusdem Palatinatus emerserit ad denigrandum honorem illius, accepit rescriptum quod Palatinatus nunquam illum denigraverit, nec de Instructione sciat, imo authoritatem reputationem labores convenientissimos, et exemplares circa gregem et in Ovili Christi sibi concredito veneratur, nec vult ut ad vitae tempora Excellentissimi Metropolitani quiquam alius regimen ejus gerat.

His ita stantibus, infert Excellentissimus Metropolitanus quod non alius quispiam, nisi ejus Coadjutores adinveniunt modos ad imminuendam, et infringendam, verius prorsus tollendam Metropolitae authoritatem, et bonam in Patria famam. Eapropter nullo modo subscriptis transactionibus seu cessioni Jurisdictionis et quartae partis bonorum acquiescere vult. Spe firma confisus, quod quidquid non sponte subscripserit, circumscribetur omne pro justitia a Sancta Sede Apostolica, secus enim ipse semet suspicioni objectorum subiiceret, ac quasi pro veris agnosceret, et in posteritatem temporum se suumque munus et characterem diffamaret. Fama autem honorque dignitatis ejus carior ipsi vita est. Secus sin fecerit exueretur exercitio Ordinis sui Episcopalis, quod est contra patetica Jura Ecclesiastica et Canones, nisi se inhabilem prorsus agnosceret, alias stante habilitate peccaret, non laborando circa gregem suum.

Humiliter proide supplicat Ministerio Regni, ut non in finem Confirmationis toties dictarum transactionum subscriptarum, verum in finem Circumsriptionis earum, et restitutionis ipsum ad pristina jura authoritate paterna suprema simul et Ministeriali adjuvetur, et Sanctae Sedi Apostolicae commendetur.

(f. 137) Reverendus Procurator Illustrissimi Coadjutoris Metropoliae praesentavit Ministerio Copias literarum et dispositionum Excellentissimi Metropolitani ad Bona Episcopalia Vladimiriensia, juxta quas dispositiones, quia non occupabit Illustr'ss'mus Metropol'ta Bona s'ne resolut'one Sanctae Sed's Apostol'cae, prout putant Illustr'ss'm' Coadjutores, certus ex'stens Officialis, infert per eas tantum certiorare eosdem Illustrissimos Coadjutores, Clerum et Subditos suos, quod in visceribus Dioecesum suarum reperiebatur et etiam nunc reperitur, idque tollendo rumorem, acsi nunquam idem Pastor venturus foret Vladimiriam.

* * *

Responsum Excellentissimi Domini Supremi Regni Cancellarii,[161] ex Polonico in latinum traductum, datum Excellentissimo Domino Metropolitae.

Magnas ago gratias Illustrissimae Dominationi Vestrae pro constanti

---

pus Kioviensis (1758-1774), ab exercitu moscovitico incarcerati et in Moscoviam deportati fuerunt, ob eorum oppositionem miris et minis Gubernii moscovitici, in res polonicas sese immiscentis.

[161] Andreas Mlodziejowski, Cancellarius Regni (1767-1780).

fiducia in vera mea erga Illustrissimam Dominationem Vestram addictione et aestimatione, praecipue cum hae a longe non modo explicari non possunt, verum praevento consideratae animo corruptae apparere solent.

Gaudeo admodum, quod noverim Rev.mum Officialem, cui post Umanensem historiam ex vi amicitiae erga Illustrissimam Dominationem Vestram curavi suffragari, ut saltem cum vita in tutiores posset transire partes. (a)[162]

Nota a) Excellentissimus Dominus Supremus Regni Cancellarius tot pro Officiali praestitit gratiae, quod, post Humanensem historiam, ubi omnibus rebus ab Haydamacis Casacis spoliatus, pedester aufugit, scripsit eidem Officiali, quatenus ad Providentiam Divinam patienter ferat omnia.

Debeo prudentiae ejusdem Reverendissimi Officialis testimonium, utque eandem Illustrissima Dominatio Vestra semper in aestimatione habeat sincere precor.

Tractavi ex obligatione Illustrissimi Magnifici Domini Notarii Magni Ducatus Litvaniae, et expositione Reverendissimi Officialis de recuperatione noti depositi, quae certe subsequetur, sed quam cito? determinare difficile, ex quo spolium istud non sub commenda Illustrissimi Domini Weymar nec sub Legatione moderna factum est. Hi praeclari viri prompti ad praestandam justitiam non possunt mandare extradi cum quid et quare sit factum ipsos lateat, ast quam primum accipient super praemissis informationem, illico quod est proprium, Illustrissima Dominatio Vestra recipiet. (b)

Nota b): Anno praeterito 1768, ultimis Augusti, Exercitus Moschorum duas cestas obsigillatas deposuit apud Patres Basilianos Brestenses Lithvaniae, in secreto, ad datum tamen Reversale a Superiore Moschis, cum obligatione, quod dictas cestas nulli nisi commendae quae deposuit ad requisitionem extradet. Dominus Metropolitanus, cum resciverit de hoc facto, fecit recursum ad Excellentissimum Supremum Regni Cancellarium, ac ad alios Ministros. Ad instantiam itaque Ministerii appromisit Legatus Magnus dictas cistas aperiri jubere, et quae essent in illis res Metropolitanae, eidem restituere. Tandem habito consilio cum Supremo Regni Cancellario, recusavit.

Nihilominus mandatum et permissionem Legati de extradendis praedictis cestis obtinuit aliis viis Officialis Metropolitanus, una et biletum ut sub nullo praetextu ab exercitu idem Metropolita inquietetur unquam; de quo nescit adhuc Regni Cancellarius. Quod magis, retulit Legatus Moschoviae non se, sed Cancellarium contrarium esse Metropolitae.

Porrexit mihi idem Reverendissimus Officialis in scriptis Memoriale ex parte Illustrissimae Dominationis Vestrae intuitu contrarietatis quoad Illustrissimos Coadjutores, et consequenter desideria ut Illustrissima Dominatio Ve-

---

[162] Adnotationes sequentes sunt manu Wolodkowycz datae, et certam redolent acrimoniam adversus Cancellarium Mlodziejowski.

stra ad integritatem iurisdictionis et percepta (f. 137v) redituum restituatur. Sed fateor Illustrissimae Dominationi Vestrae, quod non informaverit bene eundem suum Ministrum de omni, prout res se habuit, et quid et quare nam factum sit. Nam non scripsisset, quod Illustrissima Dominatio Vestra instructionibus Palatinatus Kijoviensem tremefacta et adducta fuit ad complanationem cum praedictis Praelatis.

Nota c): Non fuit Memoriale datum in his terminis quos refert Excellentissimus Cancellarius, verum in his: quod compillata fuit instructio, et declaratio monstrata, acceptionis Personae Metropolitanae.

Potius Illustrissimae Dominationi Vestrae suaderet ut Serenissimo Domino pro paterna vere circa honorem et Personam Illustrissimae Dominationis Vestrae sollicitudine, et non permissione scandali, quod super totam Hierarchiam ex factis Metropolitani emanaret,

Nota d) Quae essent talia facta nemo scit; generales autem assertiones, nihil probant, jam autem sola ista, acsi non permissio scandali significat coactionem ad cessiones subscriptas Coadjutoribus.

velit esse gratior. Passum Romam factum prorsus a re difformem Authoritati Majestatis derogantem amendet,( )

Nota e): Non placet Recursus ad Sanctam Sedem Excellentissimo Domino Regni Cancellario.

Varsaviam reparando id, quod minus consulte attentatum, condescendat, Serenissimo Domino semper candidam animam et cor benignum habenti justificetur, eandem pro laesione deprecetur, et a turbatione minus oportuna liberari curet. Prout idem ipsum et ego Illustrissimae Dominationi Vestrae svadeo, et honore ac conscientia mea spondeo, quod adventus Varsaviam ipsum non penitebit. Satisfaciet sibi et Coadjutoribus in cunctis quaerelis. Non opus est apparentia et expensis, non enim sunt de tempore, opus nonnisi dispositione interna ut acquiescat, et ad voluntatem Dei vivat cum honore et tranquilitate. Sperans quod Illustrissima Dominatio Vestra acceptabit amicabile consilium, consequenter se salutare isthic concedet; prolixius non scribo, finio potius eo quod, ut nemo magis, sincero affectu et aexistimatione maneo Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae vere addictus frater et humilis servus.

Mlodzejowski, Ep. P. C.S.R. - Die 21 Septembris 1769 Varsavia.

Post haec propria manu Excellentissimi Domini Supremi Regni Cancellari superaddita sequentia: - Nolit Ill.ma Dominatio Vestra admittere in animum suum malevolas relationes et ostentationes, nam hae multorum malorum extiterunt causa. Neque attendunt quidnam consonum sit Ill.mae Dominationis Vestrae conscientiae et honori, sed quod ipsis interesse et passio dictat.

115.

... (*1769*)

Denuntiat male facta cuiusdam Malinowski et ordinat ut in carcerem mittatur.

ASV, *Arch. Nunz di Varsavia*, vol. 89, fol. 267 rv.

Felician Philip Wolodkowicz pur la grace de Dieu et du Saint Siege Arch-Eveque Metropolitain de Kiovie, Halicz et de toute la Russie, Eveque de Wlodzimir et de Bresc, ecc.

Salut aux Reverends Doïens Curés Coadiuteurs Vicaires et tous les Ministres qui sont en éxércice de leurs fonctions. Nous avons apris avec beaucoup douleur que le Curé de Malaszkow, et de Udziesk Joseph Malinowski aprés avoir été cité à l'instance de l'Instigateur depuis qu'il a été déposé de la charge de Fuge surrogue de Polesie pour l'etre ingéré dans les Gouvernement de se Dioecése de Polesie en engageant le peuple de se soustraire à la jurisdiction des vrais Pasteurs, pour s'etre servi d'armes de tout espece contre differentes personnes, ce qui est positivement contraire aux loix, et pour differents torts et violences exprimés dans le Proces, ne voulant pas comparaitre il a été averti trois fois selon les droits et apres ces admonitions etant reconnû contumace et déclare excommunie au lieu de reconnoitre les fautes et de s'en abstenir il ajoute malice à malice au grand déshonneur de l'etat ecclesiastique, et scandal du peuple; il rassemble du monde pour surprendre notre Official (f. 267v) auroit surement été la victime de la haine s'il n'avoit pas decouvert le complot, il garde ses gens dans sa maison et tache d'en augmenter le nombre en ramassant de toute part les armes pour leur defense. C'est pourquoi voulant obvier au mal dans son commencement et pour qu'il n'en resulte pas de consequences plus facheuses d'autant plus que le nombre des haydamaques se multiplie nous avons resolû de le faire arreter comme faisant des revoltes et nous Vous ordinnons a Vous autres soumentionnés, sous l'obeissance que Vous Nous devés, et sus peine d'excommunication, d'arreter le susdit Malinowski et de Nous l'ammener quand meme Vous devriés Vous servir de l'aide de laiques sans portant causer du scandal. En foi de quoi, ecc.

Felician ArchEveque

116.

....., *18. I. 1770.*

Elenchus et summa perceptorum a Metropolita in pecunia et rebus, a suis Coadiutoribus.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 827, f. 302 rv.

Regestrum eorum, quae stante Administratione Apostolica percepit et recepit D. Metropolitanus a D. Mlodowski, Coadjutore et Administratore Vladimiriensi.

1°. - A.D. 1769, 1 mis Aprilis, recepit transmissae sibi Varsaviam peccuniae paratae sex millia Florenorum Poll. Dico .....N°. 6000.

2°. - Anno eodem, in Augusto, ipsemet Ill.mus Metropolitanus, postquam advenerit ad villam Tryszyn dictam, duas naves frumentarias cum frumento et mercibus varii generis Gedanum expeditas intercepit, neque defluitationem continuare permisit, quae naves cum suis contentis justi valoris erant Florenorum Poll. quindecem millium quingentorumque. Dico ..... N°. 15500.

3°. - Anno eodem, in bonis Tryszyn dictis, per tres menses residens, tam ex rebus ex fundis provenientibus, quam etiam ex pecunia percepta, praeter foenum et alios labores rusticales idque per totum tempus Florenorum Poll. mille septingentorum septuaginta septem. Dico ..... N°. 1777.

4°. - Anno eodem, in bonis Kupieczow residens, a die 7ma Xbris ad diem 18vam Januarij, percepit absque ullis praeviis quietationibus Florenorum Poll. quingenta octodecem. Dico ..... N°. 518.

5°. - Foeni non tantum in bonis Kupieczow, sed etiam et in aliis Villis consumpsit suis equis grandes cumulos quatuordecem, praeter aliam magnam ejusdem foeni quantitatem in stabulis depositam, efficientis currus sexcentos. Igitur currum unum aestimando, praesertim moderno cariori tempore, Florenis sex, hinc summa pro toto ascendit ad Florenos ..... N°. 3600.

(f. 302v) 6to. - Non computando labores rusticorum dierum 888 per supra memoratum tempus pro necessitatibus Ill.mi Metropolitani exercitos, hoc solum innuo, quod homines mei studio fuerint pro tunc expulsi ex dictis bonis, ne ea quae acta sunt in oculis agantur eorundem. Neque scire possum expensam crescentiae aliarumque rerum, ob easdem rationes.

Quapropter summa integra tam pro rebus quam in paratis ab Ill.mo Metropolitano ex Episcopatu Vladimiriensi percepta, a die nempe 1ma Aprilis anni 1769, ad diem 18vam Januarii 1770 , quae hic et nunc sciri et conscribi potest, ascendit in toto ad Florenos Poll. viginti septem millia trecentos nonaginti quinque. Dico ..... N°. 27.395.

117.

Radomyslia, 10. III. 1770.

De itinere Metropolitae in Ucraina et Volhinia et modo quo fuit acceptus in illis partibus, nec non de querelis Coadiutorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 143.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime[163]

In anterioribus expeditionibus meis et humillimis precibus ad Suam Illustrissimam Excellentiam datis Sanctaeque Apostolicae Sedi expositis luculenter explicavi, et ipsomet effectu comprobavi, quam tranquile et pacifice per integrum Administrationis Apostolicae tempus me gessi, et quum inposterum ad resolutionem usque ejusdem Sanctae Sedis Apostolicae in eadem tranquilitate et patientia permanere vehementer optassem. Postquam venerim ad Bona Episcopatus Vladimiriensis nihil quidquam pretendi, nisi ad mei et inservientium mihi sustentationem necessaria, requirendo et expectando eam, quam ante, et nuper Eminentissimus Cardinalis Castelli, Sacrae Congregationis Propaganda Fide Praefectus, exsolvendam demandavit proventuum medietatem.

[163] Probabiliter epistola haec data fuit Nuntio Varsaviensi, ut deducitur ex ipso textu.

Sed cum Illustrissimi Coadjutores non modo praedictam medietatem exsolvere recusarint, verum etiam me ipsum superbo animo excipi, verbis asperis affici, male et sine ullo respectu tractari a suis dispositoribus permiserint, et insuper ac si ego in finem cujusdam rebellionis homines congregaverim promulgaverint (quae promulgatio etiam ad aures Ministerii Regni tum Generalium Exercitus Moschovitici pervenit), coactus fui de loco moveri et in oppidum Polonne dictum ad Commandam Moschorum pro explicatione super modo, et ante perperam expositis discedere, ne nimirum aliquam infelicitatem novam a Moschis experiar. Capto itaque consilio cum Illustrissimo ac Magnifico Domino Czacki, Pocillatore Regni, fui tandem Laticzoviae apud (f. 143v) Celsissimum Principem Rumiancow, Excercituum Moschorum Supremum Mareschalcum, apud quem tantas animadversiones erga personam meam inveni, ut non modo gratissime suscipiens, verum etiam pro praesidio, ut sim in itinere tutior, octo homines dedit. Cum illis hominibus cum ad proxime manentem in Palatinatu Kijoviensi dignitate praeditum amicum condescendissem, patriotae ejusdem Palatinatus, accepta de meo adventu notitia, obviam fecerunt, ultro invitantes ut ipsos visitare, et in hocce Palatinatu ac Dioecesi ex ratione quod praesentia Pastoralis avertendae sese dilatanti disunioni multum profectura sit, commorari faveam. Hoc motivo cum prope Radomysliam accederem, omnia paratissime acturus, et aliquam ab amicis cohabitantibus in misero ac deplorando meo statu consolationem et sustentationem quaesiturus, praeprimis in eo itinere, quo discedendum erat, inveni pontes dejectos, dein alia via cum jam in ipsum oppidum Radomysl nuncupatum et ad Residentiam appropinquaverim, conspexi ducentos circiter Casacos, lanceis, bombardis oneratos, aliaque armatura militari instructos, de Bonis Metropoliae collectos, et ordinatos, ut mihi accedenti sese fortiter opponant, et ad Residentiam non admittant, qui tamen conspecta mea persona arma deposuerunt, humilemque reddentes venerationem illico et palam professi sunt, se coacte congregatos et dispositos esse ad opponendum omni modo adventui meo, simulque cum congregatis Radomysliensibus et aliorum Bonorum incolis, oblato sponte pro consuetudine istius orae in signum subiectionis pane et sale, a Regimine Commisariorum et Dispositorum Illustrissimi Coadjutoris (f. 144) eximi, et in protectionem ac dispositionem accepi humillimis precibus postularunt. Quid huic rei faciendum erat? Si me illorum petitiones acceptare et ipsos in Regimen recipere non posse dixerim, profecto, contempta mea persona dataque fide divulgationi partis Illustrissimorum Coadjutorum (quod sci licet pro semper omni Regimine et jurisdictione destitutus nec unquam restituendus sim) cum summa ignominia de Residentia expellerent, et fortassis etiam ipsa privarent vita, tam enim ferventi animo a substitutis Illustrissimi Coadjutoris Metropoliae susceptus sum, ut si homines congregati in ipsorum sensum ire velint, non multum confidendum, imo potius formidandum foret. Super quo distinctae personae, pro tunc lateri meo assistentes, praestabunt quolibet tempore testimonium. Hac ex ratione, tum etiam ex eo quod aliter sustentationem ob inobedientiam Illustrissimorum Coadjutorum Sanctae Sedi

Apostolicae in exsolvenda proventuum medietate habere non possem (hucusque enim ex asse praeprimis proprio, dein accommodato vixi, quo dispensato nihil superfuit, quam in prostitutionem status et personae meae mendicari), accepi sine ulla tamen violentia pretacta Metropoliae Bona in possessionem meam. Praeterea, intra mox praeteritos dies, in spiritualibus negotiis Clerus numerose recurrit contra ipsum etiam Metropoliae Coadjutorem ejusque substitutos conquerendo, cui ita recurrenti satisfacere obligatum me esse sentio et propter multas gravissimas rationes, praesertim ob praesentiam et activitatem pastoralem contra (f. 144v) propagatorem disunionis, id non modo utile, sed etiam necessarium video. Haec dum necessitate compulsus ago, non dubito quin Sancta Sedes Apostolica persuasa sit, me aliter procedere non potuisse, cujus supremam aucthoritatem cum summa veneratione integro vitae meae cursu colerem, tum praesentibus palam spondeo et profiteor, quod tanquam filius obedientissimus omnia ejus mandata ita veneror, ut nihil unquam vel minimum, quod contrarium esse agnoscam, agere imo nec cogitare praesumam, sed potius cunctis nutibus obsequentissimus et promptissimus existam, in quo speciali benignitate ac clementia ejus omnem spem et confidentiam firmiter collocem, ad quam quidem tanto facilius consequendam protectionalem gratiam Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae humilliter imploro, ut nimirum sua aucthoritate intercedat ad Sanctam Sedem Apostolicam, quatenus sublata provisionali administratione, me clementer penes jurisdictionem spiritualem et possessionem Bonorum manutenere dignetur. Quod vero spectat ad praetensiones meas contra Illustrissimos Coadjutores et si quas ipsi etiam econverso habere possent, ad justissimum judicium Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae devolvendum esse et vehementer cupio, et enixissime rogo, ubi mea innocentia et summa Sanctae Sedis reverentia, ipsorum autem discordiae et eidem Sanctae Sedis inobedientia clare patebunt. Si quid autem contra me, ad sinistras expositiones, Illustrissimi Coadjutores exportaverint, istud eousque ad effectum deduci Illustrissima et Reverendissima Excellentia Vestra pro benignitate sua non permittere dignabitur, quousque de innocentia mea Sancta Sedes Apostolica plene informata non extiterit.

Haec dum expono, continuis precibus pro sua incolumitate Deum ter Opt. M. exorando, maneo cum distinctissimo cultu et summa veneratione

Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae

humillimus et ossequissimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus, Metropolitanus totius Russiae (mp)

Radomysliae, die 10 Martii 1770.

118.

Radomyslia, 10. III. 1770.

De eodem itinere ucrainensi Metropolitae ad bona Mensae suae.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 827, f. 350-351 v.

Eminentissimi ac Reverendissimi Principes, Domini, Domini Clementissimi.

Satis compertum est Eminentiis Vestris Rev.mis ex praecedentibus meis

epistolis, et ipsomet effectu comprobatum, quam tranquille et pacifice per integrum Administrationis Apostolicae Dioecesum mearum tempus me gessi, et quam sincere ad Resolutionem usque S. Sedis Apostolicae in eadem patientia permanere optarem.

Ad celebrandum Capitulum generale Monachorum Basilianorum condescendi Brestam, ubi per notabile commoratus tempus, cum ex praedio istius loci Tryszyn nuncupato, ob continuum jam confoederati, jam Moschovitici exercitus transitum depauperato sustentari haud valeam, contuli me ad Bona Episcopatus Vladimiriensis pro faciliori tum mei, tum inserventium mihi sustentatione; sperando ab Ill.mis Coadjutoribus comportationem demandatae ab Eminentiis Vestris Rev.mis proventuum medietatis, quam iam ipsi non modo exsolvere expresse recusarint, verum etiam me ipsum superbo animo excipi, male et sine respectu tractari a suis substitutis et Dispositoribus permiserint, et insuper, acsi ego in finem cujusdam rebellionis homines congregaverim, promulgarint (:quae promulgatio etiam ad Aures Ministrerij Regni, tum Generalium exercitus Russorum pervenit:), coactus fui de loco moveri et in oppidum Polonne nuncupatum, ad Commendam Russorum pro explicatione super modo et ante perperam expositis discendere, ne nimirum aliquam infelicitatem novam ab eodem exercitu experiar. Capto itaque consilio cum Illustri ac Magnifico Domino Czacki, Pocillatore Regni, fui tandem Latyczoviae apud Celsissimum Principem Rumiancow, Exercituum Russorum Supremum Marescalcum, a quo tantas animadversiones erga (f. 350v) Personam meam accepi, ut non modo me gratissime susceperit, verum etiam pro praesidio, ut sim tutior, octo homines dedit. Cum illis hominibus cum ad proxime manentem in Palatinatu Kijoviensi dignitate preditum amicum meum condescendissem, Patriotae ejusdem Palatinatus, accepta de meo adventu notitia, obviam fecerunt ultro invitantes, ut ipsos visitare, et in hocce Palatinatu et Dioecesi (ex ratione quod praesentia Pastoralis avertendae sese dilatandi disunioni et populo in catholica fide firmando multum profutura sit:) commorari faveam.

Hoc motivo cum prope Radomysliam accederem omnia pacatissime acturus, et aliquam ab amicis cohabitantibus in misero ac deplorando meo statu consolationem et sustentationem quaesiturus, praeprimis in eo itinere, quo recte discendendum erat, inveni pontes dejectos, dein alia via cum jam in ipsum oppidum Radomysl et ad Residentiam appropinquaverim, conspexi ducentos circiter Casacos, lanceis, bombardis oneratos, aliaque armatura militari instructos, de bonis Mestropoliae collectos, et ordinatos, ut mihi accedenti sese fortiter opponant, et ad Residentiam non admittant, qui tamen, conspecta mea Persona, arma deposuerunt, humilemque reddentes venerationem, illico et palam professi sunt, se coacte congregatos et dispositos esse ad opponendum omni modo adventui meo, simulque cum congregatis Radomysliensibus et aliorum Bonorum Incolis, oblato sponte pro consuetudine istius orae in signum subjectionis pane et sale, a regimine Commissariorum et Dispositorum Illustrissimi Coadiutoris eximi, et in protectionem ac dispositionem propriam accipi humillimis precibus postularunt. Quid hic rei faciendum erat? Si me illorum petitio-

nes acceptare, et ipsos in regimen recipere non posse dixerim, profecto, contempta mea Persona, dataque fide divulgationi Partis DD. Coadjutorum (:quod scilicet pro semper omni regimine et jurisdictione destitutus, nec unquam restituendus sim:), summa cum ignonimia de Residentia (f. 351) expellerent, et fortassis etiam ipsa privarent vita, tam enim ferventi animo a substitutis D. Coadjutoris Metropoliae susceptus fui, ut si homines in ipsorum sensum ire velint, non multum confidendum, imo potius formidandum foret. Super quo distinctae Personae, pro tunc lateri meo assistentes, praestabunt quolibet tempore testimonium.

Hac ex ratione, tum etiam ex eo, quod aliter sustentationem ob inobedientiam Eminentiis Vestris Rev.mis DD. Coadjutorum in exsolvenda proventuum medietate habere non possem, (:hucusque enim ex asse praeprimis proprio, dein accomodato vixi, quo dispensato nihil superfuit quam in prostitutionem status et Personae meae mendicari:) accepi sine ulla tamen violentia praetacta Metropoliae bona in possessionem meam. Praeterea, intra mox praeteritcs dies, in spiritualibus negotiis Clerus numerose recurrit contra ipsum etiam Metropoliae Coadjutorem ejusdem Ministros conquerendo, cui ita recurrenti satisfacere obligatum me esse sentio, et propter multas gravissimas rationes, praesertim ob praesentiam et activitatem Pastoralem contra propagationem disunionis id non solum utile sed etiam necessarium video.

Haec dum necessitate compulsus ago, non dubito quin Eminentiis Vestris Rev.mis persuasum sit, me aliter procedere non potuisse, quarum authoritatem cum summa veneratione integro vitae mea et praesertim Pastoralis muneris cursu colerem, tum praesentibus palam spondeo et profiteor, quod tanquam filius obedientissimus omnia earum mandata ita veneror, ut nihil unquam vel minimum, quod contrarium esse agnoscam, agere, imo nec cogitare praesumam, sed potius cunctis nutibus obsequentissimus et promptissimus persistam inque speciali Benignitate ac Clementia Eminentiarum Vestrarum Rev.marum spem et confidentiam omnem firmissime collocem, qua mediante, ut, sublata provisionali (f. 351v) Administratione, me penes jurisdictionem Spiritualem et possessionem Bonorum manutenere dignentur, humillimis precibus imploro.

Quod vero spectat ad praetensiones meas contra DD. Coadjutores, et si quas ipsi etiam econverso habere possent, pro cognitione Ill.mo Domino Nuncio Apostolico Eminentiae Vestrae Rev.mae committere faveant, ubi mea innocentia, et summa S. Sedis reverentia, ipsorum autem discordiae et eidem S. Sedi inobedientia clare patebunt.

Firma spe confisus, clementissimam Eminentiarnm Vestrarum Rev.marum Resolutionem prestolabor, pro quarum incolumitate Deum ter O.M.enixissimis precibus exorando, penes osculum Sacrarum Purpurarum profundissima cum veneratione maneo.

Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum infimus suppedaneus et continnus exorator

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae mpp.

Dic 10 Martii 1770. Radomysliae.

119.

.....,2.IV. 1770.

Admonitio et correptio Coadiutoris Metropoliae ex parte Coadiuti.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 152.

Ex Epistola Illustrissimi Metropolitani, sub die 2 Aprilis, ad Ill.mum Coadjutorem Metropoliae scripta.

Declaratio haec Suae Ill.mae Dominationis, quod sit Apostolicus Administrator in spiritualibus et temporalibus, est vera fomentatio, quam omnes homines pro nihilo reputant. Ego emanatae ante Decreta inhibitioni inhaerendo ipsemet regam et administrabo, quia certe Primatiali Dignitate in Statu Hierarchico Metropolitana non sum privatus. Quapropter velim, ut Ill.ma Dominatio mihi obedientiam praestet, et non amplius fomentet Clerum nec Monitionales Literas ad ipsum scribat. Quare medietas mihi cum clausula «detractis oneribus», assignata? cum ego nulla habeam debita, omnes igitur proventus me concernunt, et non medietas, etc.

120.

Radomyslia, 26. V. 1770.

De redintegratione Metropolitae et de ulterioribus conaminibus Coadiutorum eam impediendi.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 10, ff. 204-205.

Eminentissimi et Reverendissimi Principes, Domini, Domini Clementissimi.

Decretum Congregationis Generalis Eminentiarum Vestrarum R.marum, habitae die 2da Aprilis anno feliciter moderno,[164] multo laetitior, ingentique gaudio affecit me. Revera, quippe, non mediocriter exultavi, cum deprehenderim Oraculum istud Eminentiarum Vestrarum Rev.marum, Dominorum meorum Clementissimorum, erga me favorabile, pro summa benignitate et aequitate editum intuitu reintegrationis meae, tam quoad jurisdictionem, quam quoad administrationem Bonorum in utraque Ecclesia Kijoviensi et Vladimiriensi, necnon intuitu Decreti, die 28 Augusti anno adhuc 1768, favore DD. Coadjutorum meorum emanati, revocationis. Gratias ago Omnipotenti Deo meo, quod me a tantis tamque maximis oppressionibus, sub tempus hodiernae infelicissimae Regni nostri calamitatis, passis, liberavit, invidiamque ac insidias DD. Coadjutorum cohibuerit. Dolebam quidem ac doleo, quod iidem Coadjutores, quemque zelum meum in aliam interpretati sunt partem, sed tamen in dolore hujusmodi, ad exemplum et doctrinam patientiae Domini, volentis Apostolos suos habere dignos, qui pro nomine Jesu contumeliam paterentur, libenter per-

---

[164] Cfr. *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. V, pag. 11-17, nr. 1319, et *Litterae S.C. de Prop. Fide* vol. V, pag. 151, nr. 2275.

sisto. Parcat ipsis Deus, mihi autem vel maxime superest omni studio ac conatu, in humilitate non ficta, infinitas Eminentiis Vestris Rev.mis, Dominis meis Clementissimis, ea qua par est animi devotione, persolvere gratias; quod non dedignati sunt diutius permittere adversis crescere in malitiis suis, mihi nocivis, et denique continuo precari Deum ter Optimum Maximum, ut Eminentias Vestras R.mas ad maximum orthodoxae fidei, et Christianae Religionis commodum et augmentum, diu ac diutissime servet incolumes, ac sospites.

Expono praeterea Eminentiis Vestris Reverendissimis, quod Dominus Coadjutor, Leo Szeptycki, Episcopus Leopoliensis, non desinit adhuc quaerere modos, quibus me ubique locorum denigrare et opprimere posset, quapropter, sub die 20 Aprilis, anno currenti, in Castro Kijovien. Zytomiriae, plenam erroribus (f. 204v) et laesionibus Personae meae fecit contra me manifestationem, quod id ipsum molitur alter Dominus, Antonius Mlodowski, Vladimiriensis Coadjutor, ut ejusmodi adinventis modis, mortem mihi accelerarent, damna, et proventus perceptos per spatium Administrationis detinerent, et non retituerent, ac privatae suae satisfacerent, et tandem ditiores fierent. Quare ego humilio Eminentiis Vestris R.mis preces meas, ut quoties contra me consurgent, toties Eminentiae Vestrae R.mae iisdem, tanquam interessatis, fidem praebere non dignentur. Jam vero quod spectat damna patrata per illos, et perceptos insignes proventus, de quibus ego nihil quidquam percepi, has praetensiones supremae piissimae protectioni, et dispositioni Sanctae Sedis Apostolicae, atque Eminentiarum Vestrarum R.marum, una mecum subijcio, et ut hoc negotium paratum pro liquidatione, et executione ad Ill.mum Dominum Nuntium Apostolicum remittatur, vehementer expostulo.

In negotio Cathedralis Capituli Vladimiriensis, ejusque Praelatorum, incumbit mihi Eminentiis Vestris Reverendissimis succinctam saltem sequentem praebere informationem. Capitulum Vladimiriense fundatum est ab Ill.mo Domino olim piae memoriae Hypatio Pociey, totius Russiae Metropolita, et Episcopo simul Vladimiriensi, constans tribus Personis: Decano, Archi-Diacono, et Cancellario, reliquis Vicariis, quod ab Antecessoribus meis neglectum, et vix non prorsus extinctum fuit. Tandem ego, obtenta Cathedra Vladimiriensi, perspectis omnibus juribus et fundationibus, approbationibus Serenissimorum Regum Poloniarum, ejusmodi Capitulum restaurandum et ad normam Capitulorum formalium Ritus Latini reducendum esse duxi; eoque motivo R.P. Dominum Romanum Wyhowski, qui per aliquot annos Officialatum Braclaviensem honorifice gessit, tandem Romae in negotio Hierarchico per triennium morabatur, in Archidiaconum anterius, in (f. 205) anno autem elapso 1769, R.P. Dominum Gregorium Mokrzycki, qui in Archi-Dioecesi Metropolitana Kijoviensi, obeundo munus Officialis Generalis, in his praesertim turbulentis, ae luctuosis temporibus cum discrimine ipsiusmet vitae, fidei integritatem tuendo, et negotia tam Archi-Dioecesim, quam Dioecesim Vladimiriensem concernantia ingenti labore ac studio pertractando, non modo in Archi-Dioecesi et Dioecesi praedicta, sed etiam apud memet ipsum utriusque Pastorem, praeclare posuit merita, in Cancellarium elegi, promovi et institui. Domi-

nus vero Antonius Mlodowski, Coadiutor meus Vladimiriensis, Rv.do Stephano Lewinski, Dioecesano Leopoliensi, non nisi ex eo, quod Vasaviae degens, stante Administratione, negotia contra me promoveret, sibi gratificato, contulit eundem Cancellariatum, ipsumque Vicariis nullum jus habentibus installari, et introduci fecit. Quare ut idem Rv.dus Levinski, utpote immeritus, et alienae Dioecesis ac Pastoris alieni Presbyter et Persona, ad suum titulum Canonicum Vicariatus Cathedralis Haliciensis relegetur, jam vero R.P. Dominus Gregotius Mokrzycki circa hunc Cancellariatum Vladimiriensem manuteneatur, enixissime Eminentias Vestras R.mas, Dominos meos Clementissimos, rogo. Licet etenim ego eundem R.P. Dominum Gregorium Mokrzycki, stante jam Administratione, installare feci, attamen praeterquam quod habuit a me ante aliquot annos appromissum eundem Cancellariatum, insuper ejusdem Installationem pro admissione et corroboratione ad Sanctam Sedem Apostolicam remisi, quod nullatenus Administrationi adversari videtur; et quia Proventus trium Praelatorum Cathedralis dicti Vladimiriensis Capituli tenuissimi sunt, decem millia proinde Florenorum Polonicalium, quos inscribit R.P.D. Gregorius Mokrzycki pro augendis proventibus pauperimo Capitulo, circa gratiam et benignitatem (f. 205v) Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum, poterit prodesse. Purpuras deinde Sacras Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum deosculor, profundissimoque cultu, ac constanti obedientia, aeviterne maneo

Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum

infimus Suppedaneus et Exorator

FELICIANUS, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae (mp).

Die 26 Maij, 1770 anno. Radomysliae

121.

Radomyslia, 26. V. 1770.

De redintegratione Metropolitae et de ulterioribus attentatis Coadiutorum.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 10, f. 208-209.

Eminentissime et Reverendissime Princeps, Domine, Domine Clementissime.[165]

Quemadmodum grave ac molestum nimis mihi fuit persecutiones, tribulationes, damna, aerumnas et pericula per aliquot annos sustinere, ita post tot tantasque afflictiones incredibile solatium in corde meo habetur, cum mediante efficacissima Eminentiae Vestrae Rev.mae clementia et protectione, per Decretum Sacrae Congregationis Generalis Fidei Propagandae, sub die 2da Aprilis anno currenti habitae, ad plenam jurisdictionem meam, et Bonorum administrationem extiterim restitutus. Infinitas itaque Eminentiae Vestrae Rev.mae iterum iterumque, ea qua par est animi devotione, refero gratias, quod non de-

[165] Praefecto S.C. de Prop. Fide, Josepho Castelli (1763-1780).

dignata est humilitatem meam ex sinu singularis profectionis suae excludere. Quibus gratijs Eminentiae Vestrae Rev.mae, Protectori meo Amplissimo respondendo, quid amplius facere debeam, quam continuo precari Deum ter Optimum Maximum, ut eam diu et diutissime incolumem ac sospitem foveat, caelestique sua ope perpetuo roboret, atque custodiat. Et haec est animi mei devotissima propensio. Haec dum scribo, humillimas (f. 208v) ex nunc fero supplicationes, quatenus Eminentia Vestra Rev.ma, ulteriori tractu temporis, necessitatibus meis pro justitia et aequitate fovere, pravisque ac prorsus a veritate alienis accusationibus Dominorum Coadjutorum meorum, aversari velit. Illi enim nunquam resipiscent a suis consuetis contra me injustissime compillatis propositionibus, quia hoc modo incessanter me torquere, et persequi, consequenter mortem mihi accellerare, ut ditiores per succesionem fiant, cupiunt. Ad quem effectum ut satisfaciant suae contra me praeconceptae malitiae et volutati, sub die 20 Aprilis anno hoc feliciter moderno, in Castro Zytomiriensi, Dominus Leo Szeptycki, Metropoliae Coadjutor, plenam laesionibus ac erroribus facere Manifestationem in contra Personam meam non erubuit, ut ita sensim viam sibi ad futuras pararet cavillationes. Praeterea movent et suggerunt fere quotidie distinctas etiam Personas et in dignitatibus constitutas, ad offensam in me, ut sibi et suis prosint privatis. Interessati iidem DD. Coadjutores eo magis nunc veniunt (f. 209) ac esse videntur, quo magis ipsa Iustitia et aequitas postulat ab ipsis restitutionem perceptorum ex Bonis meis Metropolitanis fructuum, ac damnorum illatorum per suos Administrationis annos, quam ego restitutionem summae Eminentiae Vestrae Rev.mae clementiae, protectioni, et signanter pijssimae dispositioni una mecum ipso ad pedes provoluto subijcio, atque circa osculum Sacrae Purpurae maneo profundissimo cultu et obsequio

Eminentiae Vestrae Rev.mae

infimus Suppedaneus et cont. Exorator

FELICIANUS, Archiepiscopus, Metrop. totius Russiae (mpr).

Die 26 Maij, 1770 anno. Radomysliae. Emin.mus Cardinalis Castelli, Praefectus S. Congregationis P. F.

122.

Volodimiria, 4. IX. 1770.

Petit ut ei transmittatur textus cuiusdam epistolae qua ipsi inhibetur exercitium redintegratae iurisdictionis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 184.

Ill.me ac Rev.me Domine.[166]

Epistolam die secunda praesentis de Sluck datam, die hodierna recepi, ad cujus contenta respondens exprimo Dominat. Vestrae, quod ab Ill.mo, Excell.mo D.no Nuncio Apostolico in Regno praesenti commorante nullam adusque

[166] Leoni Szeptyckyj, Coadiutori Metropoliae, ut patet ex contextu et adnotatione.

habeo in originali epistola certitudinem de hac epistola Em.mi Domini Cardinalis Secretarii Status, quam lego in copiis hujus Castri; hanc etiam uti in se est perpendens, non intelligo ut Decretum S. Congregationis Propagandae Fidei, non pridem pro parte mea, annuente Sanctissimo Domino, latum cesset. Cum legitur in eadem epistola, quod Sanctissimus Dominus non recedet a voluntate sua, quam eidem Decreto Sacrae Congregationis Propagandae Fidei adnexit, quod antequam per contrarium decretum ab eadem Sacra Congregatione Propagandae Fidei totaliter non fuerit resultatum, adusque ego eidem insistendo, in hoc fundamento et non aliter regimine tam in temporalibus quam spiritualibus pacifice actualiter apprahensum, ad illud capescendum Dominationem V.ram non admittam. De quo realiter et justissime Dominationem Vestram certiorando, sine violentiis, tumultibus, quorum initia D.ni Vestrae sunt manifesta, velit Dominatio Vestra resolutionem Sedis Apostolicae expectare, cum hac expressione me subscribo.

Ill.mae, Rev.mae D.nis V.rae addictissimus Frater

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolita

Die 4 Septembris, 1770 anno. Vladimiriae.

(*f. 184v*) Epistola Ill.mi Metropolitani ad Episcopum Coadiutorem et Administratorem, per Dominum Rotomski transmissa.

123.

Volodimiria, 5. X. 1770.

Epistola D. Metropolitani cum se armaret contra Administratorem Apostolicum, ubi multa agit de ope a Marczosnikow, extranei exercitus commendantis, sibi appromissa.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 201; fol. 202 rv (polonice)

Monsieur.[167]

Literas per Sabadinum recepi in Myszow. Mittebam Dominum Bykowski, sed ibi liberos a militari obsequio homines non reperit, quos omnes confederatio intercepit; habent adhuc decem homines, qui a confoederatis fugerunt, et hi sunt in obsequio Aulae; ob securitatem, et pro consensu scribendum est ad Dominum Straznik, proinde jam mea nulla capacitas potest capere.

Tormentum bellicum ad duas colubrinas transmisi. Quod Worona obstinate vecturas dare renuat, haberet magnam rationem Perillustris locum tenens eos compellere, uti rebelles, et nonnullos ipsorum posset captivare, inveniret penes illos arma, et deberet aliquod Duces insigniores conducere in Polonne, aut Olykam. Quomodo possemus per Dominum Locutenentem etiam nostros incarceratos eliberare, id auctoritti et dexteritti D.nis Vestrae comendo.

---

[167] Domino Wierzbicki, Regenti terrarum Volodimiriensium; agitur de rebus spectantibus recuparationem iurisdictionis et bonorum.

In dimissione Bonorum tenutoribus utique Dominationi Vestrae recomendavi dimissionem, propter Perillustrem Judicem, Rokitnicam, propter Dominum Josephum et D.no Starostae, per Illustrem Vice Capitaneum expecto pro Festo Rosarii.

Credo quod Dominus Iskra non monstrabit mandatum a Domino Venatore vel quopiam altero. Leopoliensis apud Illustrissimum Obozny Regimentarium aliquid tentavit, sed durum habuit responsum: Adorate Patrem vestrum, et dignitatem Primatialem; hoc ex Posta Poricensi accepi: fuit tentatio sed sine lucro; haec caterva per Dominum locum tenentem posset dispelli; cum enim advenissent pro exigendis vecturis, ad portam non fuerint admissi nec porta aperta, donec cum amunitionibus se absconderint intra fornaces in hortis et stabulis festinanter, et se ipsos abscondebant; non credo ut a dandis vecturis habeat libertationem Leopoli missam, cum altiores ordinationes de vecturis disponant.

Si ultro se exponerent et obicerent, tunc et Rusticos conservare 50, aut 60 cum expeditis falcibus. Secundum literas Varsavienses: ut nos defendamus, ego consulerem Domino Starostae ut aliquot Nobiles habeat pro testimonio, vel ut Dominus locum tenens duos milites det pro locatione; ad captandam ejus gratiam poterunt expendi 20 aut 30 Rubli, ut haec nubes dispergant. Maneo D.nis Vestrae

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Metrop.

Dat. 5 Octobris, 1770 an. Vlodimiriae.

(Domino Wierzbicki, Regenti terrarum Volodimiriensium...)

124.

Volodimiria, 7. X. 1770.

Refert de quibusdam dissidiis et altercationibus, et de suis inimicis etc.

ASV, *Arch. Nunz di. Varsavia*, vol. 90 f. 205; f. 206-207 (idem polonice).

Monsieur[168]

Literas Dominationis Vestrae recepi cum litteris Domini Josephi, quaerulantes contra Presbyteros. Cum itaque modo propter velocem reditum Sabadini citationes expedire non possum, postea transmittam.

Gaudeo quod sit fremitus Voronae; utinam unus alteri cervicem frangat. Dominus autem locum tenens utinam eos dispergat et a crapula revocet. Dominum autem Skompski cum nonnullis aliis utinam ad Olykam conducat ut facilius nostri Casaci eliberentur; quem ad finem pulverem et plumbum mitto. Augeat Deus vires. Utinam ipsi nobis dent occasionem.

Habeo hic plurimos pro possessione obtinenda mihi molestos, adeo ut ferme ad numerum capillorum capitis ascendant, ultro paecunias offerunt, et

---

[168] Ut videtur eidem Domino Wierzbicki, ac in nota 167.

dant et jurgant; magna turba fugentium ex Ukraina, cupientes in sylvis possessionem habere; jam enim et Tartakoviae porta infecta, et hic etiam metum incutiunt, et a possessione quaerenda absterret. Ego ipse a catarro indicibiliter dolores patior adeo, ut nec manducare possum, nec cerevisiam ad gustum reperire; mittite mihi saltem sagenam arcam aut doliolium. Quae hic paratur, imo in tota civitate, est adeo crassa, ut ea curros inungi possunt. His expressis maneo Perillustris Dominationis Vestrae.

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Metropolita.

P. S. - Propria manu Domini Metropolitani: Perillustris Dominus Stecki, Judex, ut velit dare aliquot Cosakos D.ni Suae exarandae et scribendae ad illum sunt literae.

De occisione nostri Casaci, an ipsum Dominus Wilczynski interfecerit, res indiget diligenti indagatione; posset esse aliquis ab adversa parte ad nos pertractus, praesertim talis qui in hac oppugnatione fuit praesens.

Oro parare manifestationem contra Illustrem Magnificum Castellanum Czerniechoviensem, cum iterum intendo illi recipere Bona. Reverendus Capellanus Illustris Magnifici Palatini Kijoviae ad mensam mortuus. Dominus Palatinus fugit, omnia relinquens.

Datum 7 Octobris, 1770 anno, in Wlodomiria.

125.

Volodimiria,... 1770.

Disponit ut defendantur bona Mensae eius manu etiam armata.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 157 (fol. 158 orig. polonicum)

Felicianus Philippus Wolodkowicz, Dei et Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kiviensis, Haliciensis et totius Russiae, Protothronius Episcopus Vlodimiriensis et Brestensis,Abbas Kiovo-Peczarensis.

Praesentibus notum facimus omnibus, Nos volentes conservare internam tranquillitatem et bona nostra Episcopatus Vlodimiriensis optimo quoque regimine manutenere, eaque ab omnibus incursionibus praecustodiendo, damus praesens Mandatum Aulico nostro, nobili viro Joanni Czarniawski, ut accepto ad manus suas dicto Mandato, acceptis hominibus a Domino Raphaele Pobitowski, nostro Praefecto stabuli, statim cum iisdem hominibus ad Bona Nostra Zaprudzie in Polesia sita se transferet ibidemque subsistentia in omnibus Bonis ad Zaprudzie spectantibus Generosis Oeconomis Gubernatoribus praesentes villas, cum juratis se deferet, nostrum adventum et praesentem nostram Dispositionem recomendando simul ut in omnibus Pagis vigilent diligenter, ab omnibus incursibus se defendant, et neminem ad Bona Nostra propria admittant, imo si aliquis ad Bona nostra venire vellet, non convictis nobis juridice nec vires sufficientes ad se defendendum haberet, debet certiorem reddere supra expressum Generosum Czarniawski, in Zaprudzie cum hominibus residentem. Ille autem adhibebit omnes modos non respiciens ullam personam ad expellen-

dum uti invasores et juris violatores ex bonis. Cum autem moderno tempore etiam pestis grassat, statuantur in Custodia homines qui invigilent ut nemo ad bona admittetur aut ex bonis demittetur. Haec rigorose commendare, et praesens Mandatum meum in omnibus punctis adimplere, ut hic est expressum quod propter majus pondus et valorem propria manu circa appositionem sigilli subscribimus. Datum Vlodomiriae, Anno 1770, die (L.S.)

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Archiepiscopus totius Russiae.

126.

Kupieczovia, 1. V. 1771.

De ulterioribus attentatis Coadiutorum et de obitu P. Protoarchimandritae, Hypatii Bilynskyj.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 147.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[169]

In omnibus meis angustiis quibus a DD. meis Coadjutoribus sum continuo impetitus, non nisi in sinu cordis Illustrissimae Excellentiae Vestrae quaero juvamen et solatium. Post praemissas alicquin superiori tempore continuas Bonorum mensae meae inquietationes, etiam Milite stipendiario Reipublicae contra leges Regni adhibito attentatas, intimarunt mihi nuper DD. Coadjutores Literas salvi conductus, acsi a vi et potentia mea favore non nullorum Presbyterum, signanter Prymowicz et Lubinski, a Sua Regia Maestate datas. Miratus sum novum stylum ejusmodi Literarum quae in vilipendium jurisdictionis Ecclesiasticae clare se enuntiant. Quod cum iisdem reccurrentibus salvus conductus sit denegatus ab Illustrissima Excellentia Vestra, e Cancellaria Regni idem emanavit. Non omitto igitur Illustrissimae Excellentiae Vestrae praetermittere copiam hujus illegalis expeditionis ex qua cognoscet, reccursum ad Cancellariam Regni in meram Tribunalis Nunciaturae Sanctae Sedis postpositionem esse factum. Quod vero mihi sperandum est certe non aliud nisi ut iidem DD. Coadjutores rursus Bona mea inequitent. Obsecro igitur Illustrissimam Excellentiam Vestram, quatenus dignetur ex Cancellaria sua ex Instantia mei non denegare Literas inhibitionis contra DD. Coadjutores, (f.147v) ne ipsi aliquas violentias facere praesumant, donec in Urbe negotium nostrum concludatur. Postulat hoc communis necessitas, ut etiam Illustrissima Excellentia Vestra informet Sacram Congregationem de tali damnoso ad potestatem saecularem recursu, qui nihil aliud sapit, quam detrectationem jurisdictionis Sanctissimi Domini, et ejus Nunciaturae. Quod reliquum mihi est, commendo me nunquam desiturae protectioni, et maneo intra tenerrimos cultus, et indesinentia odsequia

---

[169] Nuntio Apostolico Varsaviensi.

Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
addictissimus et humillimus servus ac exorator
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp)
Kupieczow, die 1 Maji 1771.

(fol. 148.) P.S. - Recipi nuper nuncium funestum de obitu Perillustrissimi Bilinski, Protoarchimandritae seu Generalis Ordinis S. Basilii M. Post multos gravesque in Sancta Religione labores praedictus P. M. Praelatus penes vitae suae terminum fultus spe aeternae quietis laetus obiit, graviter attamen doluit quod optatum stante vita sua non licuit illi videre Capitulum, et ideo quod desideratum sui Ordinis non assecutus regimen, poenitens obdormivit in Domino, die 19 elapsi aprilis. In cuius locum tantisper successit ex vi consuetudinis Primus Protoconsultor eiusque Ordinis, Rev.mus Spendowski, Abbas Kanioviensis. Faxint Superi, ut a S. Congregatione emanet edictum celebrandi Capituli, in quo praevisus eligatur Generalis. Toties de hoc iam per me ipsum iam per monachos eiusdem Ordinis supplicatum est Sacrae Congregationi, sed necdum optatum sumus sortiti effectum. Rogo summopere gratiam Ill.mae Excellentiae Vestrae, quatenus curam eiusdem negotii habere dignetur, nosque eius effectu laetari faciat. Quoniam vero in antea locus celebrandi Capituli destinatus est Brestae, ubi stante moderna revolutione congeries varii exercitus reperitur, nec sperandum est eumque exercitum ab hoc loco aliquando abesse, bonum esset et necessarium omnimo ut ad id alius designetur locus, cui commodior et securior non videtur Vladimiria.

127.

Kupieczovia, 10. V. 1771.

De attentatis Leonis Szeptyckyj in potestatem metropolitanam respectu Religiosorum et Archimandriarum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 109, f. 184.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, Patrone Colendissime.

Violatio Iurium Rei Publicae Polonae, contemptusque jurisdictionis meae Metropolitanae, coram gratiosissimo Ill.mae, Excell.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae conspectu comparendi per praesentes Literas mihi mandat, quatenus super Oppressores tum jurium Patriae, tum Metropolitanae Authoritatis animi mei sensum per sequentem praejudiciorum enumerationem in candore conscientiae aperiam.

Ill.mus Szeptycki Episcopus Leopoliensis necdum plenum regendi, seu possidendi Sedem Metropolitanam jus habendo, post fata p.f. Rev.mi Hyppacii Bilinski, Abbatis Lavroviensis, nulla ad me prius de vacanti dicta Abbatia data notitia, suum mihi de qualitatibus ignotum Consanguineum, in Curia Regia per exportationem Privilegii nominatum fecit; cujus Nominatio inscio me est jurisdictioni Metropolitanae praejudiciosa, ob rationem, quod leges

Patriae in haec verba sonant: *Praeter Metropolitanum nullus praesumat ad Dignitates Ecclesiasticas praesentare Personas.*

Provincia itaque Lithuana Ordinis Divi Basilii Magni, favore suorum votorum ad Abbatias Privilegiis novae Constitutionis resuscitatas sub *titulo Renovationis Abbatiarum Candidatos privilegiatos* per modernum feliciter nobis Regnantem Serenissimum Dominum, variis adinventis modis mediisque sibi visis, neque admisit, neque admittit, Abatialia in simplicia Monasteria mutavit, atque mutat; nominatas personas pro Abbatiis oppressit, atque opprimit; verum etiam similiter in Provincia Polona dicti Ordinis, per studia sua occulta hoc effecit in Rectoribus; quod ipsimet Rectores Abbatiam Lavroviensem per novellam Legis (f. 184v) Serenissimi Regis Poloniarum, Domini Nostri Celsissimi, ad pristinum statum reductam, per Rev.mum P. Bilinski, qua Abbatem, nemine contradicente Religioso, circa installationem jam possessam, volentes post fata praelibati Abbatis Lavroviensis eam supprimere, mandatum Assessoriale pro repositione privilegii in Personam Rev.di Eustachii Szeptycki, praesentis nominati, ex Curia Regia emanati, procuraverunt, et ab aiquo ex Ill.mis nostris Episcopis ut non benediceretur, inhibitionem ex Apostolica Ill.mae Excellentiae Vestrae Cancellaria in meram hujusmodi Abbatiae extinctionem exportaverunt.

Ex tali utriusque Provinciae Lithvaniae, et Polonae PP. Basilianorum passu, qualisnam eversio Legum, contemptusque trium Ordinum Reipublicae manifeste evidenterque deducitur, altissimum iudicium Ill.mae, Excell.mae Dominationis Vestrae facile inferre, et discernere dignabitur.

Meum est tale praejudicium, tam sancitis Reipublicae, quam Juribus meis Metropolitanis a Monachis, ac a caeteris personis factum deferre, et super hoc conqueri, sentimentisque Ill.mae Dominationis Vestrae praeexcelsis reddere, ac in osculo beneficae dextrae profiteri

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae

10 Maii 1771, in Kupieczow.

Rev.mus Spendowski, Vicarius Generalis Ordinis D. Basilii M.[170] supplicat Suae Ill.mae Excellentiae quatenus certus reddatur de tempore et loco futuri Capituli, hujus supplicationi et ego mea vota adjungo, ac certus fieri desidero.

Addictissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archiep.pus, Metr. tot. Russ.

128.

Volodimiria, 8. VII. 1771.

Expositio abusuum, violentiarum, attentatorum ex parte Coadiutorum Metropolitae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 146.

---

[170] Post obitum Hypatii Bilynskyj, Protoarchimandritae (1771). Capitulum locum habuit tantummodo anno 1772.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[171]

Minime auderem crebris suam Illustrissimam et Reverendissimam Excellentiam appelare Literis, si aut Coadjutores mei tandem aliquando me gravatim opprimere desinerent, aut si alium qui mihi reliquam vitam in pace et quiete agere faceret, haberem. Ast cum praefati Coadjutores in inferendis mihi novis, atque novis molestiis in dies crescunt, mihi vero solus Illustrissimus, Excellentissimus et Reverendissimus Dominus extat tantus, qui me ab istis oppressionibus a Coadjutoribus in me excogitatis liberum reddere, opemque ferre potest, insuper quia Te, Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, justitiae amantissimum omnes profitentur, atque ego experior, idcirco hanc ipsam eademque causam vere fideliterque dicere ac explicare pergo.

Agitur hic, Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, mea et meorum salus ac vita, nam Coadjutores toties dicti, per adhaerentes sibi, dum vitam meam finire haud queant, eam a meis Ministris eripere malevole conantur. Emittunt adhaerentes sibi, omnem licentiam in Clerum meum iis conferentes, qui explent illico mandata Dominorum suorum, inculcant zelose universo Clero, quatenus obedientiam omni in re Coadjutoribus unanimiter praestent, eorum edicta sine mora explere curent, audiant eos, ab iis regantur, pascantur, et gubernentur, verbo totos se esse Coadjutorum sciant, quid authenticis coram sua Illustrissima et Reverendissima Excellentia Dominus Procurator meus probabit documentis; quos autem juste ac merito sibi reluctantes et inobedientes vident, confugiunt ad exercitum Moscorum, et ad ultimae sortis hominum congeriem, vulgo Haydamakos, eos sibi conciliant, complacant, atque ad grassanda et vastanda bona ovium mearum, et quod maxime dolendum est, ad ipsam vitam, quae sua cuique omni re carior est, eripiendam impie delegant, uti id aegre experti sunt duo Decani Archidioecesis Kijoviensis, bonis et vita ipsa spoliati. Et haec sunt, quae in Archidioecesi Kijoviensi opera Illustrissimi Episcopi Leopoliensis et ejus adhaerentium aguntur.

(fol. 146v.) Quae autem in Dioecesi Vladimiriensi et Brestensi motivo Illustrissimi Mlodowski necnon ejus partem tuentium perpatrantur nefanda, sequentibus expono: Cum ego Ministrum meum in charactere surrogati judicis in Dioecesim Brestensem miserim, Illustrissimus Mlodowski multis variisque modis, comminatione demum captivationis et incarcerationis repellere eum, ac inhumaniter avocare a jurisdictione, concessit cuidum Koronczewski, de fide et cum Sancta Romana Ecclesia unione suspecto, qui acsi in fundamento inhibitionis a Tribunali Sacrae Nuntiaturae emanatae, non modo Clerum a jurisdictione mea avocavit, verum etiam bona in dicta Dioecesi sita, ope Moscovitici exercitus, ex possessione eripuit, dispositores meos expulit, omneque id, quod mea cura et solicitudine non pridem comparatum fuit, rei familiari permaxime necessarium, recepit, et in suum convertit usum. Ad gratiam igitur Illustrissimae et Reverendissimae Suae Excellentiae recurro, ejus saluberrimum

[171] Nuntio Varsaviensi.

desiderans consilium, quid mihi hac in re agendum dicat; id enim ipsum in Dioecesi et bonis Episcopatus Vladimiriensis efficere anhelat, Clerum sementationibus suis majori in parte a praestanda mihi obedientia avocavit, se Pastorem ejus promulgat, multaque innumera in mei oppressionem perpetrat, perpetrarique permittit. In quibus ego omnibus favorabilem et justissimam Illustrissimae et Reverendissimae Suae Excellentiae unice expectans decisionem, cum demississimo cultu, obsequio ac veneratione maneo

Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae

addictissimus et obsequissimus, humillimus servus et exorator

F. Wolodkowicz, Archiepiscopns, Metropolitanus totius Russiae (mp.)

Vladimiriae, die 8 Julii 1771.

129.

Kupieczovia, 11. X. 1771.

De causa Prymowicz, et de attentatis Coadiutorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 150-151 v.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.[172]

Maximis undique stipatus oppressionibus, ad scopum felicitatis meae, saluberrimum Suae Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae consilium supplex recurro, quidque mihi agendum sit jussa expecto. Vix non sub una eademque data ex Cancellaria Curiae Camerae Apostolicae plurimum inter se discrepantia emanarunt remedia; prima quidem de die 17 Augusti anni praesentis, favore R. Prymowicz, appellantis a Decreto Sacrae Nunciaturae, haec in confirmationem jurisdictionis meae, cum non ab alio, sed a me ipso injunctum est dicto R. Prymowicz, flexis genibus, a censuris illatis absolutionem petere ad decursum sex mensium cum reincidentia iterum in easdem censuras elapso sex mensium spacio, quod dictus R. Prymowicz nihili habet, cum injunctam absolutionem a me obtinere adusque non curat. Altera autem favore Illustrissimorum Coadjutorum meorum, de die 20 etiam Augusti, quae licet mihi hucusque intimata non sunt, Illustrissimus attamen Mlodowski, ac si via amicabili mecum procedere volens, communicavit mihi sub secreto tantisper, (f. 150v) ne causam det alicujus apprehensionis et moeroris per executionem illorum. Inhibetur enim per illa remedia mihi tam in spiritualibus quam temporalibus jurisdictio, administratio autem Coadjutoribus concessa confirmatur, et vigore hujus ac si confirmationis Illustrissimus Mlodowski, omissa intimatione debita, bona mea in Polessia sita cum omnibus et singulis rebus, victualibus, nec non equis, pecudibus pecoribusque occupavit. Ex quo infero, quod post intimationem eorumdem remediorum ad majora procedet, meque in propriis

[172] Angelo Maria Durini, Nuntio Varsaviensi (1766-1772).

alienum efficiet. Oro summopere suam Illustrissimam et Reverendissimam Excellentiam, dignetur consulere afflicto, ferre opem egeno, num debeam obedire tali (postquam mihi intimata fuerit) Inhibitioni, num pro posse resistere? De his certus fieri a sua Illustrissima et Reverendissima Excellentia per D. Procuratorem meum Varsaviensem (qui dicta Remedia Curiae Camerae Apostolicae ad se in copiis missa suae Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae (f.151) praesentabit) desidero, omniaque felicissima apprecans, penes debita obsequiorum indicia maneo.

Illustrissimae, Excellentissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae Benefactoris mei addictissimus et obsequentissimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus, Metrop. (mp)

P.S. - Finita hac epistola, nunciatum est mihi, quod Illustrissimus Mlodowski Cathedram Vladimiriensem occupare, mihique in illa nullum Regiminis exercitium permittere intendit, quod certe in effectu exequetur, si nullum auctoritatis suae Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae habebit impedimentum, per aliquam Inhibitionem, seu munitionem, quam supplex exoro.

Kupieczoviae, die 11 Octobris, 1771.

130.

Volodimiria, 18. X. 1771.

Instat ut conservetur penes ius praesidendi in Capitulis Basilianorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 107, f. 148-149.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Singularissime.[173]

Quandoquidem placuit sortis meae Domino et Moderatori permittere (quemadmodum Roma edoceor) ut studentes mortificationi meae homines ultimum in adversitatibus meis solatium, pupillam Iuris Metropolitici nimirum, jam evictum Jus praesidendi Generalibus Capitulis Monachorum Basilianorum tum per immemorabilem et ab ipsa manumissione Ordinis ejusdem ab Ordinaria Metropolitarum Iurisdictione derivatam consuetudinem,[174] tum per omnia quaecunque fuere Capitula Generalia eorumdem Monachorum, tum ultimo per resolutiones Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, habitas coram SS.mo Domino Benedicto XIV in anno 1752, 26 novembris, cum potestate etiam subdelegandi, ubi Metropolitanus pro tempore existens legitime impeditus fuerit, per viam Secretariae Status mihi eriperent; non aliud mihi levamen in his potestatis meae persecutionibus invenire possum, quam enixissime

---

[173] Forsan Nuntio Varsaviensi.

[174] Res haec ordinata fuit s. d. «nexu» inter Ordinem Basilianorum et Metropolitanos Kiovienses, cuius ultima redactio prostat ex anno 1743, scil. a Capitulo Dubnensi, quod Capitulum a Benedicto PP. XIV probatum fuit per Decretalem «Inter plures», de dat. 11. V. 1744.

rogare Excellentiam Vestram Illustrissimam, aequissimum rerum aestimatorem et innocentiae meae fautorem, immortali memoria dignum, ut, ad sanandum hoc Metropolitanae Potestatis vulnus, subdelegare mihi aliquem ex Suffraganeis meis, qui non sit aliquis ex Coadjutoribus (f. 148v) meis liceret, si per tempus celebrare Capitulum suum praedicti Monachi Basiliani poterunt.

Utique ad intentum Sacrae Regiae Majestatis, qua mediante ista obtenta fuisse perferuntur, sufficiet, si nec ego, nec Coadjutores mei praesidebunt futuro Capitulo Generali. Jus autem Metropoliticum praejudicatur, et vel maxime infringetur, si alius a me, juxta resolutiones Sacrae Congregationis, minime subdelegatus, nulla existente causa tollendae hujus mihi Potestatis, praesidendi facultatem attributam habebit; qua igitur de causa mihi aliunde afflicto, afflictio haec imponitur, quae infame nomen meum posteris et toti Hierarchiae Ruthenae est redditura.

Si autem haec, stante Secretariae Status sententia (de qua nuntium habui). ab Excellentia Vestra Illustrissima mihi concedi non poterunt, juvare preces meas apud Sacram Congregationem, ad quam haec ordinarie scribo, humillime posco, ut inimici Potestatis meae, qui fortassis non bona fide ista tentarunt, confundantur, Religio vero Basiliana, cui ego sincere semper addictus fui, in suis statutis et electionibus liberrime procedat. Gratia hac sempiterne (f. 149) me Excellentiae Vestrae Ill.mae obstrictum reddet, et novam eamque volupem occasionem dabit gratificandi hos ejusdem favores, pro quibus mihi praestandis, iterum atque, iterum insto. Causam quoque Rev.mi Vicarii Generalis, injuste de usurpato Vicariatu vexati, commendandam esse cupio, ac circa profundissimam venerationem esse volo

Illustrissimae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae, Benefactoris Singularissimi

Servus humillimus et Exorator
F. Wolodkowicz, Archiep., Metrop. totius Russiae

Vladimiriae, 1771, die 18 Octobris.

131.

Volodimiria, 13. XI. 1771.

Defendit suum Procuratorem Varsaviensem et affirmat ipsum semper nomine Metropolitae egisse neque ullos abusus perpetrasse.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 152.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Mecaenas Amplissime.

Miserculus meus Tyro, Procurator Varsaviensis,[175] cum lacrymis quaestus est ad me, quod per quempiam susurronem amisit fidem et famam hactenus apud Excellentiam Vestram habitam, simulque testatus est, nequaquam se

[175] Pater Hucewicz; cfr. infra sub nr. 135.

posse in quopiam negotio meo Excellentiae Vestrae Illustrissimae praesentare, nisi prius per me reducatur ad pristinam fidem et famam. Aliunde vero ipsemet audivi quod etiam ego tanquam agonisans et ultimum agens spiritum effiguratus apud aulam et Excellentiam Vestram sim. Utrumque isthoc figmentum sparsum esse per effrenatam linguam Reverendi Kulakowski, Provinciae Lithuanae Procuratoris, certo certius est. Sed, Excellentissimae Domine, ille S. Patris et Monasticae vitae degener filius et pessimus Monachus solus nullibi fidem et famam invenire et habere meretur, perjurus et sopitae conscientiae est homo; cum adhuc in Provincia morabatur contra Officiales meos mirabilia figmenta excogitavit, (f. 152) falsissima testimonia manu propria contra eosdem subscribendo, de quibus ego informatus suspendi ipsum a Divinis, donec recolligeret Monasticum spiritum. Ecce igitur hodie ipse hasce grates mihi rependendo et me agonisantem et meum Procuratorem Compilatorem in blancetis meis epistolarum in caput suum apud Excellentiam Vestram iniquissime mentitus est, non quia tenerae conscientiae est, neque quia more peritus est, sed quia linguam effrenatam habet, sed quia mirabilia et impossibilia mendacia sexcentis verosimilibus figmentis inaurare, quempiam praepedire, defraudare, dolum inserere antesignanus dux et auctor est, in Procuratorem Provinciae electus est. Ego vero fide mea testor, a Procuratore meo nullam hucusque compillatam esse epistolam ad Excellentiam Vestram; quas hactenus Illustrissima Excellentia Vestra a me habuit epistolas, unaquaeque sub cooperta Procuratoris a me ipso scripta mittitur et per eundem Procuratorem Excellentiae Vestrae redditur. Mandata vero mea quaevis Excellentiae Vestrae exponenda (f. 153) non per epistolas, sed per Memorialia Illustrissimae Excellentiae Vestrae proponere obligatus est jam pridem. Blanceta mea habet polonica, et pauca latina, fine alicujus moram non patientis negotii ad Dominos Varsaviae habitantes expediendi et correspondendi cum Illustrissimis Stefanini et Mercuri, in quibus quid et quomodo exponere, a me prius ipso informatur, proprio vero ausu nil quidquam exponit et, expensis blancetis, mihi rationem reddit, quid et quomodo in blancetis scripsit, copias mihi communicat. Dignabitur ergo Illustrissima Excellentia Vestra ipsum ad sinum gratiae recipere, fidem tanquam instrumento meo dare neque ipsum compillatorem esse suspicari, si quando cum epistola ad Excellentiam Vestram veniet, illam a me esse scriptam ex curia credat; si quid successu temporis per memoriale exponet, id de meo mandato et jussu exponet.

Quod me attinet, fateor provectae me esse aetatis, et ipsa, ut dicitur, senectus morbus est, interim in Domino spem habeo quod plures inimicos meos multo juniores annis supertranscendam neque prius moriar donec videro diademma pacis. Ipse R. Kulakowski, si tanta uno anno pateretur infortunia, quae (f. 153v) ego, pridem jam humi prostratus jaceret ille nequam Monachus; si haec contra me, Patrem et Benefactorem, evomere asus est, quid contra Clerum non excogitabit et quid non metietur? Non omnino igitur neque omnia ab ipso dicta credat esse vera; enimvero, qui semel mendax est semper talis esse praesumitur.

Altera in negotio Capituli Basilianorum per Secretarios Provinciarum ad Excellentiam Vestram epistola data recordor, quod non est ob multas distractiones a me subscripta, id factum non imputet culpae meae Illustrissima Excellentia. Epistolam vero meam propriam omnino putet. His expressis, maneo studiosissimo obsequio et cultu

Illustrissimae Excellentiae Vestrae, Benefactoris mei singularissimi
addictissimus et humillimus servus
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus, Metropolitanus totius Russiae (mp)
Vladimiriae, die 13 Novembris 1771.

132.

Kupieczovia, 10. XII. 1771.

Informat novum Nuntium Apostolicum Varsaviensem de sua causa cum Coadiutoribus eamque breviter et chronologice exponit.

AsV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 233-234.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime D.ne, Domine, Patrone Colendissime.

Publica instructus fama, tum quoque specialibus epistolis Ill.mi Domini Stefanini, Episcopi Plebanensis, certificatus de Illustrissimae Excellentiae Vestrae per Sanctissimum Dominum Nostrum in ejus, Sanctae Sedis Apostolicae Nuncium pro hoc Regno deputatione,[176] non intermitto praesenti mea epistola tanto liberiorem animi mei laetitiam et congratulationem promere, quanto certius sum edoctus et persuasus firmiter de non defutura mihi cum adventu Illustrissimae Excellentiae Vestrae ope ac tutela ab illis persecutionibus et afflictionibus continuis, quas a quatuor in circa annis sustineo a meis Coadjutoribus. Ut autem penitius perspiciat Excellentia Vestra Ill.ma deplorabilem meum statum, in quem memorati Coadiutores me conjecerunt, brevibus hic seriem totam retexere liceat originis et progressus malorum. Prima assumptio in Coadjutorem Archidioeceseos Metropolitanae (f. 233v) Kijoviensis Episcopi Leopoliensis, Leonis Szeptycki et in Coadjutorem Episcopatus Vladimiriensis Domini Mlodowski, Episcopi Brestensis, venit pro principio protracta oppressionis mei in hanc usque diem, cum pertaesi forte diuturna expectationis succedendi mora caeperunt moliri modos, quibus pellerent me a Dioecesium Jurisdictione et bonorum regimine. Itaque compillatum per ipsos fuit primo folium, quo totali jurisdictione mihi adempta partem quoque proventuum sibi vendicarunt; cum nullatenus tam praejudicioso scripto assentiri volui, non metuerunt adhibere vim et potentiam, qua tandem adactus subscribere debui praetensas

---

[176] Agitur de Josepho Garampi, qui revera fuit Nuntius Varsaviensis ann. 1772-1775, et dein Viennensis (1776-1785). Creatus Cardinalis die 14. II. 1785; obiit die 4. V. 1792, Romae. Vir doctus et Ecclesiae Unitae in utraque Nuntiatura verus amicus et fautor.

complanationes. Immediate post illum actum suscepit ultima ruina et devastatio bonorum omnium Mensae utriusque respective Dioeceseos per exercitum Moschoviticum illata, quorum ut ipse etiam potui ipse evadere manus, contuli me ad remotiorem (finibus tamen Archidiaeceseos comprehensum) locum, in quo non tardavi publice manifestari contra vim et violentiam Coadjutorum adhibitam ad effectum subscriptionis memoratae factis. Coadjutores hoc intervallo (f. 234) curarunt exponi sinistre Romae, me deseruisse Dioeceses, ad quae narrata emanatum fuit Decretum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, committens ipsis provisionalem curam *usque quo Metropolitanus non rediret;* eidem Sacrae Congregationi pro tunc exponebant extortas Complanationes, quae tamen tanto vitio infectae, non meruerunt approbari, et resposuit laudata S. Congregatio *non fuisse locum Confirmationis.* Viso hoc ego Decreto, cum adverterim emunitum fuisse ex motivo dolo praetensae absentiae in meis Dioecesibus, numerosissima transmisi testimonia enarrantia nunquam me ex his movisse pedem, et ut persecutus fuerim; quapropter Sacra Congregatio, retractato Decreto priori, pronuntiavit competere mihi plenam jurisdictionem Dioecesium, Bonorum regimen, remotis coadjutoribus ab administratione tanto cum majori ipsorum rubore, quanto clarius Sacrae Congregationi innotuit imposturam insimulatam fuisse puro cupiditatis motivo. Hoc itaque Decreto jam terminari deberent conatus adversariorum, et quidem eo efficatius quo maturius fuerit prolatum a Sacra Congregatione et a Sanctissimo Domino confirmatum. Sed Coadjutores minime acquiescentes, semper fulti protectione Ministrorum Aulae, verterunt se ad Secretariam Status, unde expedita epistola ad Em.mum D. praesentem Nuntium, qua inhibetur mihi executio Decreti Sacrae Congregationis, usque quo me non sistam Varsaviae et Serenissimo Regi deprecationem (f. 234v) non exhibeam. Species haec est duntaxat et color praetestuosus, quibus obducitur intenta fraus; adire cogor Varsaviam ut dictas complanationes funesto primo exemplo ratificarem, neque id vano timore mihi iri praesagio; authenticis epistolis Ex.mi Regni Cancellarii idem probare possum, quibus mihi significat nunquam Serenissimum Regem velle recedere a praetensis compositionibus. In tantis difficultatibus positus, dum me abstineo ab accessu Varsaviam, Coadjutores contendunt suspensum manere Decretum Sacrae Congregationis, atque sibi competere jurisdictionem, Bonorumque regimen; jam vero si Varsaviam adire constringar, funestiora mihi eventura spero. Itaque recurro ad Excellentiam Vestram Illustrissimam (in cujus dextera protectione affirmat me Ill.mus D. Stefanini) et demississime exoro, ut velit benigniter cum apud Sanctam Sedem contra conatus Adversariorum tueri, tum quoque post desideratissimum hic adventum, apud Sereniss. Regem partes meas sustinere, neque permittere Archiepiscopum senio et laboribus confectum in aerumnis et miseria ad ludibrium exponi; repetitis vicibus hanc gratiam exoro, et humillima veneratione maneo.

Ill.mae et Rev.mae Exc.ae Vestrae addictissimus et humillimus servitor.

F. Wołodkowicz, Archiep. Metrop. t. Russiae.

1771. Die 10 Decembris. In Kupieczow.

133.

Kupieczovia, 10. XII. 1771.

De impedita sua redintegratione ex parte Coadiutorum conqueritur et petit ut attentatis illorum quam primum provideatur.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 10, f. 573-574.

Ill.me Excell.me et Rnd.me D.ne, Domine, Patrone Colendissime.[177] Jam alter labitur annus, quum in Causa cum Coadjutoribus meis super Dioecesum jurisdictione Bonorumque regimine obtinui Decretum meae reintegrationis a Sacra Congregatione Prop. Fidei latum, atque a SS.mo Domino confirmatum; satis erit brevi innuere Excellentiae Vestrae Ill.mae et Rev.mae Causam inde ortum habuisse quod Coadjutores mei tum evulgarunt me deseruisse Dioeceses, atque ita emunxerunt Decretum delegans ipsis respectivam Dioecesum Provisionalem administrationem. Probrum istud, statim ac dilui, protinus Sacra Congregatio retractato isto falsis extorto Decreto, aliud protulit pro mea ad pristinam possessionem restitutione, quod praeterea roboratum fuit ipsa Sanctissimi Confirmatione. Omni spe dejecti Coadjutores, quidquam amplius moliendi in me apud Sacram Congregationem, quae novit technas, falsitates (f. 573v) eorumque artes omnes, curarunt apud Secratariam Status, ut per epistolam ad Ex.mum D. Nuntium datam suspenderetur executio istius Decreti meae reintegrationis quousque me sistam Varsaviae, et Serenissimo Regi satisfactionem exhibeam; quod ita intendunt Coadjutores ut prorsus eludant Decretum Sacrae Congregationis, meque arceant perpetuo a Bonorum et jurisdictionis possessione, atque in ista foveant se indesinenter. Si enim Varsaviam non adeo, praepeditur ab epistola Secretariae Status mea reintegratio; si autem Varsaviam petam, jam nunc mihi significatur, quod tunc adigar omnino ad ratihabitionem illius cessionis jurisdictionis et partis Bonorum, quam quarto ab hinc anno in ipsa Varsavia minis et vi a me abstulerunt, (f. 574) quamque tanto vitio infectam noluit Sacra Congregatio approbare. Habet ita Excell. Vestra Ill.ma et Rev.ma perspectam fraudem, quae mihi intenditur et elusionem quae molitur Decreto Sacrae Congregationis et Pontificis, sed id minuit et laedit Dignitatem Majestatemque Congr. et Sanctissimi, et magis magisque prostituit reverentiam, decus et honorem mihi tanquam Antistiti omni jure debitum necnon commune fovet scandalum et adauget perditionem redituum, atque apertum praesefert Hierarchiae vilipendium; Itaque spero (: ut demississimis precibus oro :) quod Excellentia Vestra Ill.ma et Rnd.ma, pro suo in Sacram Congregationem et Ecclesiam zelo velit tueri Auctoritatem Sacrae Congregationis imminutam, quaeque magis imminui designatur; atque opitulari Archi-Episcopo in ultima sua senectute (f. 574v) Bonis omnibus spoliato, tot tantisque malis tandiu crudeliter exagitato, sternendo

---

[177] Ut videtur Secretario S.C. de Prop. Fide.

mihi viam apud Sanctam Sedem, qua tutus ab omni fraude et vi assequar ius meum, scilicet reintegrationem jam mihi decretatam. Et Excellentiae Vestrae opem mihi non defuturam certa spe augurans, omni cum cultu et veneratione maneo

Excellentiae Vestrae Ill.mae et Rev.mae

addictissimus et humillimus Servitor

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae (mpr).

1771. Die 10 mens. Xbris, in Kupieczow.

134.

Kupieczovia, 10. XII. 1771.

Expositio historica et synthetica causae suae cum Coadiutoribus vertentis.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 10, ff. 576-577.

Eminentissime ac Rvd.me Domine, Domine, Protector Singularissime.[178]

Etsi notae sunt Eminentiae Vestrae gravissimae molestiae quibus continuo anger, et plane cognita est lachrymabilis conditio, in quam me conjecerunt mei Coadjutores, congruum tamen censeo totam brevi retexere vicem meam, ut telam eorum versutiae melius perspiciat Eminentia Vestra et opem (: quam humiliter imploro :) possit consultius porrigere. Ubi beneficio meo in Coadjutoriam fuerunt adlecti, illico ingratissimi innisi fuerunt, ut me jurisdictione et Bonis spoliarent; postquam superiores eorum conatus cesserant in irritum, dum quarto ab hinc anno Varsaviae eram, ipsi ope et auxilio Dissidentium me minis adigerunt ad subscriptionem folij, ubi scripta erat cessio jurisdictionis et Partis Bonorum; sed paulo post, ubi tutum adeptus fui locum, publicis tabulis de minis et vi conquestus contra actum protestatus fui, quem jure merito Sacra Congregatio renuit approbare, licet Coadjutores pro confirmatione cessionis validissime institissent. At ipsi animo non (f. 576v) despondentes, quod vi assequi non potuerant, consequi curarunt calumnijs: retulerunt enim ad Sacram Congregationem me deseruisse Dioeceses, ac alia inusserunt in me probra, per quae surripuerunt Decretum, quo Sacra Congregatio eis delegavit provisionalem jurisdictionis et Bonorum administrationem, et licet Sacra Congregatio, detectis calumnijs, retractaverit Decretum, atque aliud protulerit a Sanctissimo quoque confirmatum, pro mei amplissima in pristinum restitutione, ipsi tamen ut Congr. et Pontificis Decretum eluderent, declinantes ab ipsa Congregatione, quae plene eos noverat, viam iniverunt Secretariae Status, cui facile suaderunt congruentiam, exhibendo prius honorem Regi, atque ita obtinuerunt epistolam ad Exc.mum D. Nuncium, qua suspenditur executio Decreti meae redintegrationis, donec Varsaviae me sistam. Haec honorandi Regem obducta species, non est nisi pura illorum cavillatio, ut ita fiat inutile

---

[178] Praefecto S.C. de Prop. Fide, Josepho Castelli (1763-1780).

Decretum, et me perpetuo arceant a jurisdictione et bonis, eaque habeant ipsi indesinenter, sive adeam Varsaviam, sive non (f. 577). Nam si ab accessu me abstineo, epistola Secretariae Status praepedit meam redintegrationem; si vero Varsaviam petam, comminantur mihi jam nunc omnia tristia, et veteri me deterrent exemplo. Habeo enim literas ab ipso magno Regni Cancellario, quibus mihi significat, quod tunc cogar omnino ad rati habendam illam, de qua supra memini, cessionem Jurisdictionis et partis Bonorum. Summus igitur Pontifex et Secretaria Status tum decepta fuit, tum in praesentiarum fallitur egregie, dum impedit pacificam ita reddi meam reintegrationem; nam e contrario, mentem Pontificis fallentes hac usi sunt via, ut omnino et prorsus depellant me perpetuo a jurisdictione et Bonis. Novit ita Eminentia Vestra artes omnes meorum Coadjutorum, et ut melius dicam malarum artium successionem aperto cum ludibrio Auctoritatis Congregationis, Majestatis Pontificis et impia mei oppressione. Non recenseo quod inde male oriantur: redituum vastatio, bonorum depressio, impunitas impiorum, scandalum, Hierarchiae subversio, Acatholicorum incursio et in oves Christi libera grassatio, incassum clamante Antistite, qui jurisdictione et Bonis dejectus, factus sum tanquam inutiliter tinniens, opprobrium gentis et abjectio plebis. Haec et gravissima (f. 577v) alia facilius possunt mente percipi, quam epistola complecti. Obtestor igitur Eminentiam Vestram per viscera Christi, ut exsurgat in Causam non tam meam, quam Domini et sua quae pollet Auctoritate cum in Congregatione cui praeest, tum apud S. Sedem tueatur ejusdem Sacrae Congregatiois Dignitatem adeo illusam, opituleturque Archi-Episcopo confecto senio, et aerumnis, impetrando mihi tutelam a S. Sede qua tutus ab omni vi et comminata coactione cedendi jurisdictioni et Bonis exequi possem mandata S. Sedis, et tandem aliquando restituar Pastor ad oves meas. Hoc spero beneficium et mihi polliceor a summa et notissima Eminentiae Vestrae tum benignitate, tum in religionem iustitia, pietate, sollicitudine, et indefatigabili cura, et interim omni cultu, reverentia et veneratione maneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

obsequentissimus et humillimus Servus

F. Wolodkowicz, Archiep. Metropolita totius Russiae (mp)

1771. Die 10 mensis Decembris, in Kupieczow.

135.

..., *1771.*

Promemoria Metropolitani cur Varsaviam venire non valet, et totam causam schematice et historice exponit, et iniurias novas sibi suisque illatas iterum praesentat.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol.158.

PRO MEMORIA [179]

Imperata Illustrissimi Metropolitani Principalis mei adamussim exequendo, ad complementum epistolae ejusdem Principalis ad Suam Illustrissimam Excellentiam datae, ego indignus et humillimus Procurator, jam nomine Illustrissimi Metropolitani, jam undequaque infelicis et oppressi Cleri, per praesens memoriale Illustrissimae Excellentiae Vestrae haec adhuc exponere cogor; et quidem.

Ad sinistras et impiissimas interessatorum Principalis mei inimicorum informationes et requisitiones Roma Illustrissimo Metropolitano simul fere ac paululum melis gustare concessit, illico eundem in infamia mori, facile patitur. Enimvero judiciales actus Illustrissimi Metropolitani contra rebellizantes Presbyteros formatos, et per judicium praesens Apostolicum melioratos et alias laudatos, signanter contra Reverendum Prymowicz, favore ejusdem R. Prymowicz 17 Augusti extraditis remediis infirmavit non modo, verum etiam 20 Augusti ipsimet Metropolitano omnino inhibuit, ne in spiritualia et temporalia, jam qua Metropolitana jam qua Episcopalia negotia sese ingerere, disponere, gubernare, et juxta decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide jurisdictionem suam exercere audeat, ne Metropolitani jurati Ministri et Officiales in eadem inhibitione specificati partes tueantur, et mandata Illustrissimi Metropolitani exequantur, serio et severe injunxit. In fundamento hujus Romanae inhibitionis contra Principalem meum Illustrissimum emanatae, Reverendissimi Coadjutores bona Episcopalia vel maxime Vladimiriensia, non nulla familiae suae arendare, alia cum tumultu et dissoluta hominum caterva invadere, spoliare, pecora, pecudes, variique generis segetes ex iis ad consanguineos suos evehere, Curiales Metropolitanos, servos, Ministros, et Officiales, captivare et incarcerare de facto jam perexerunt. Illustrissimum Metropolitanum senio confectum et vix spirantem de spiritualium jurisdictione et temporalium regimine penitus exterminare, et ad tumulum ante tempus intrudere decreverunt atque sic cum suo Patre et Coadjuto procedentes, in opprobrium ejusdem, tanquam vincitores, ecce infaustae concordiae et pacis qualia puncta Metropolitano porrexerunt:[180]

Primo. Illustrissimus Metropolitanus, quoniam personaliter aetate provectus, senio et adversa valetudine praeocupatus minime valet Varsaviam condescendere ostendendi fidelis sui et universalis (f. 158v) erga Regiam Majestatem subditatus, tenetur ad Serenissimum Regem literas dare cum plena relatione, quod, quare et quibus Regiam Majestatem offendit, quod ad nutus Regios omnino se conformabit, quod denique, sciente Rege, pacta favore Coadjutorum statuta, conventa, et benevole subscripta omnino manutenebit.

---

[179] Exarata a Procuratore Metropolitano Varsaviensi P. Hucevycz; ut videtur Nuntio Varsaviensi.

[180] Iam hic adumbratur aliquod tentamen concordiae, quam postea Nuntius Josephus Garampi conditionibus magis iustis perfecit et Sedes Apostolica probavit; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 229, nr. 808, sub dat. 20. III. 1773.

2do. Sed quia pro tunc plurimis distractus negotiis forsitan oblitus est, in pactis cum suis Coadjutoribus praefatis, auctoritatis suae Metropolitanae servandae apponere clausulam, ut a decretis Coadjutorum liber sit recursus et appelatio ad judicia Curialia Metropolitana, idcirco

3tio. Supplicare debet Regiam Majestatem, quatenus auctoritate sua Romae intercedat pro additione ad praemissas transactiones ut quivis decreto a Coadjutoribus lato gravatus libere recurret et appellet juxta normam et viam iuris ad judicia Curialia Metropolitania, ubi jurium et processus confrontatione, judicium appellatum aut approbari aut reprobari debet, salvo nihilominus altero a gravaminosis sententiis Curiae Metropolitanae ad Tribunal S. Nunciaturae Apostolicum recursu.

4to. Incumbit Illustrissimo Metropolitano literas etiam dare ad Regiam Majestatem et Sacram Congregationem Propagandae Fidei, praecando confirmationem supradictarum cum Coadjutoribus conventionum cum expressione simul, ut praedictas transactiones confirmet, quod nulla vi, fraude, dolo, metu et violentia a Regia Majestate incussa (quod neque somniabantur unquam), iniverit, quod hactenus unico motivo non additionis liberi recursus ad judicium suum metropolitanum a decretis Coadjutorum, executioni praetensarum transactionum inficias ibat, ad praesens vero eas omnino ratas et firmas servare vult, insimul Sacram Congregationem expetere debet, ut omnia haec confirmare dignetur.

Transactiones vero ejusmodi sunt:

1mo. 1767 Vicariatus in spiritualibus omnis Illustrissimo Episcopo Brestensi datus est spontanee et libere ab Illustrissimo Metropolitano.

2do. Excellentissimus Metropolitanus pro rata pensando labores Illustrissimi Mlodowski Episcopi in jurium et quarumvis praerogativarum Unitorum conservatione locatos, tunc temporis, quando Schismatici pro modulo suo Unitos injuriare conabantur, assignavit 4tam partem reddituum et proventuum quorumvis Episcopatus Vladimiriensem idque ad haec mediante Serenissimi Regis auctoritate, hoc loco recollendum est etiam scriptum ab Illustrissimo Metropolitano pro duobus millibus insuper in vim laboris datum Illustrissimo Mlodowski Episcopo.

3tio. Pro calumniis in Regiam Majestatem impositis et Romam missis (quae in originali in manibus Serenissimi Regis reperiuntur) ipsamet Sacra Congregatio judicavit, ut Illustrissimus Metropolitanus (f. 159) debitas Regiae Majestati praestet grates, veniamque poscet et obtineat, cujus Sacra Congregatio cum sit animi, decretum redintegrationis eo usque executioni non demandabitur, quousque praetensa et debita Regiae Majestatis recognitio non praestabitur.

4to. Sanctae Sedi Apostolicae obedientia debita, quam effrenato appetitu magis ductus Illustrissimus Mlodowski hactenus effectuabat et effectuat ea quae ipsi a Sancta Sede Apostolica demandata fuere et documentum horum vel hodierna etiam die Episcopatum Vladimiriensem et quamlibet praetensam jurisdictionem paratus est abdicare, modo haec permittat ipsi Sacra Congre-

gatio et Sedes Apostolica, super his omnibus Palatinatus Kijoviensis, Brestensis et Districtus Vladimiriensem stupet. Incolae Magnates vociferant et deplorant summum vulnus Unionis Sanctae, Metropolitanus Decretum Redintegrationis suae luget, plebs grave scandalum patitur, et insignis Poloniae Regni pars Illustrissimi Metropolitani pro Fide et Unione S. Zelatoris miseram sortem et pessimum praemium lacrymatur.

Haec Illustrissimus Metropolitanus patitur, haec Excellentiae Vestrae Illustrissimae tanquam unico protectori suo exponit et humillimas lacrymabundus easque ardentissimas fundit preces, quatenus Illustrissima saltem Vestra Excellentia Reverendissima dignetur favere, pro ipso Romam scribere, Sacram Congregationem de Propaganda Fide conciliare, et, quod praesens inhibitio Romana ad iniquas informationes Coadjutorum in summum Hierarchiae Ruthenae praejudicium et Populi scandalum sit emanata, nunciare, quod Illustrissimus Metropolitanus in pacifica bonorum utriusque Ecclesiae Mensalium possessione et dulci jurisdictionis suae ordinariae executione hactenus extiterat, quod nullam vindictam super quopiam Presbytero sumpserat, quod nullos violentos actus instituerat, quod nefas, nulla praecedente Metropolitani culpa, sit jurisdictione in spiritualibus et temporalibus ipsum privari, quod Coadjuto de manibus Coadjutorum panem petere et expectare impium est, quod fere 40 annis jam Episcopatus, jam Metropoliae satis digne officium exercentem, et pro Unione Sancta amplianda sese exviscerantem Praesulem injuriatum, infamem, vilipensum, et extra pacem in dies mori, dedecus est remonstrare.

Haec quoad desideria Illustrissimi Metropolitani, qui in casu a Coadjutoribus sibi inferendae ulterioris persecutionis, et in residentiam suam ab iisdem Coadjutoribus intentandae invasionis, haud attenta Romana inhibitione, resolutus est vim vi repellere usque ad internecionem utut nobilium invasorum.

Nomine Cleri Dioecesum Kijoviensis, Vladimiriensis et Brestensis haec Illustrissimae Excellentiae Vestrae insinuo. Quoniam Perillustri Reverendi Domini Romanus Wyhowski Kijoviensis, Antonius Modzolewski Vilnensis, Josephus Tupalski Grodnensis, Basilius Zablocki Braclaviensis, (f. 159v) Joannes Korwin Jachimowicz Brestensis, Andreas Iwaskiewicz Polesiensis Officiales, Paulus Urbanowski Notarius Kijoviensis, Daniel Paslawski Notarius Metropolitanus, Thomas Turczynowicz Suszycki Instructor ordinandorum Kijoviensis, Romanus Skoczynski, Josephus Skulski, Antonius Ustowski, Alexander Kizikowski, Stephanus Paszkiewicz Notarius Consistorii Brestensis, Modliszewski, Paszkiewicz Lokacen, Markiewicz Brestensis, Sosnowski Bialescensis, Ladecki Prozanen. Decani, omnes quorumvis nominum Capitulares Vlodimirienses aliique utriusque Ecclesiae bonae indolis Presbyteri ex corde Metropolitano faventes eidem praestitis suis servitiis et obsequiis in praedam dati, non nullos esse ab adversa parte offensa nimis male judicatos, abjudicatos, captivatos, verberatos pessimeque tractatos videntes, constituerunt Sacram Congregationem Propagandae Fidei appellare, et cuinam subesse? Cujus exequi mandata? cui parere? quem audire debeant? doceri; super quibus antequam

edocti fuerint, ad praesens ab utrinque pressi, ardentissimas Excellentiae Vestrae Illustrissimae preces ponunt, quatenus tantisper provisionaliter ab Illustrissima Excellentia Vestra contra ictus et impetus infensissimorum Coadjutorum, gratiose salvo muniantur conductu, subque paternas Illustrissimae Excellentiae Vestrae recipiantur alas.

Haec sunt desideria Illustrissimi Principalis mei et infelicissimi Cleri, quorum nomine jam pro levamine Illustrissimi Metropolitani favore, jam pro extraditione in supra expressas personas salvi conductus humillime instando, pedes Illustrissimae Excellentiae Vestrae profundissimo prosequor amplexu utpote

Illustrissimae Excellentiae Vestrae Reverendissimae infimum scabellum
P. Hucewicz, Procurator Metropolitanus

135. bis

Kupieczovia, 9. IX. 1772.

Querelae de oppressionibus ex parte Coadiutorum, de persecutionibus parochorum unitorum in eparchia Vilnensi, et commendat suum negotium cum Coadiutoribus.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 10, ff. 472rv.

Illustrissime, Reverendissime Domine, Patrone Colendissime.[181]

Inter summas angustias et molestias meas, quibus a Coadjutoribus opprimor, non modico etiam animi dolore afficior, cum per malevolos apud Sanctissimum Dominum Nostrum referri accipio, Dioeceses meas ac si pestifero Schismate esse infectas, atque eo malitiae nonnullos Parochos devenisse ut Catholicae Religioni Anathema dicere praesumpsissent. Nuperrime pervenit ad manus meas copia epistolae Sacrae Congregationis Propagandae Fidei ad Ill.mum Episcopum Vilnen. anno elapso, 16 Maij data,[182] quae sic sonat: Nunciatum est SS.mo Domino Nostro, Parochos Graecos, Glembocij, Porpliscij, et Hniezdzilovii, qui Sanctae Unitati jam a multo tempore adhaeserant, eo audaciae devenisse, ut superiori anno circa Festum S. Michaelis Archangeli, in frequenti Populi conventu Catholicae Religioni anathema dicere non dubitaverint, sacrilego adhibito ritu candelam ex suggestu ardentem projiciendi, dum campanae lugubri sono pulsarentur, etc. Sequitur tandem contextus eiusdem epistolae quo commendatur dicto Ill.mo Episcopo Vilnen., ut facti veritatem inquireret, et quatenus compererit, dictos Parochos turpiter eo modo quo supra deliquisse, Apostolicae Sedi significare non omittat. Si quid in hac parte Ill.mus Episcopus Vilnen. retulerit, vel non, nescio; ego tamen maximopere tantam malitiam nefariorum delatorum miratus, quod me spectat in praesenti calumnia fideliter expono, cum apprime meae incumbentiae.

---

[181] Secretario S. Congragationis de Prop. Fide, Stephano Borgia (1770-1789).

[182] Cfr. alias litteras eiusdem argumenti in *Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. V, Romae 195, pag. 177, nr. 2329-2330, sub dat. 16. V. 1772.

Clerum et Populum Dei gratia esse Catholicum (pro quo semper desudavi, et etiamnum ad extrema laboro, pro conservatione S. Unionis), ita per Officia et Parochos latinos, intra meas Dioeceses sitos, omnia christianae caritati adversantia adhiberi media, quibus ad defatigationem nituntur pro destructione Ritus nostri, ut sic ex traductione Populi ad Ritum Latinum ditiores ex alieno effici potuissent. Primum locum in hoc opere obtinet R.mus Towianski, Suffraganeus Albae Russiae,[183] qui peragrando Dioeceses, palam non veretur invehi in Ritum nostrum, atque tanta perpetrat, quae difficulter credi potuissent, nisi id manifesta edicerent facta; ecclesias nostras reconsecrat, confirmatos reconfirmat, et parum abest, quin de baptismo nostrorum dubitet. Nacti tantum Antesignanum Parochi latini, quisque confines Parochianos Ritus nostri omnibus modis ad Ritum latinum traducere adlaborat, et cum alias rationes ad id adaptare non valeant, aperte blasphemare audent contra sanctitatem Ritus, sicque insignem (f. 472v) partem in singulis Parochiis abducunt a Parochis nostris, et nostra obedientia. Atque cum hos censuris ad observantiam Ritus, juxta Bullas et Decreta Summorum Pontificum adstringere nitimur, de praevaricatione contra Sanctam Sedem calumniamur; prout successit cum tribus alte memoratis Parochis, quorum subditi cum citati, et convicti per Officium meum sententiae obedire detrectarunt, per idem Officium excommunicatione plexi fuerunt inobedientes. Plura hic praejudicia contra nos non adduco, neque enim cum querimoniis molestus esse Illustrissimae Dominationi Vestrae volo, paucis indolendo duntaxat ut cum ex una parte contra infensos Sanctae Unionis hostes pro virili decertemus, ex altera ab ipsismet Catholicis obruimur. Quapropter recurrendo ad Sanctam Sedem Sacramque hanc Congregationem exoro impensissime, ut extendatur contra R.mum Towianski monitorium, ne de caetero tanta cum suis perpetrare audeat, exerat potius suum zelum contra Haereticos, et alias a Fide Catholica alienos, et nobis non sit in nostra Pascua injurius. Negotium meum cum Coadjutoribus, utinam post adventum Illustrissimi Garampi desideratum eventum consequi posset! Ego enim ultra aetatis incommoda plus consumor continuis adversitatibus, cum maneo Pastor in Dioecesibus absque Regimine. Facultates in antea mihi concedi solitas expeto humiliter, prout etiam confirmationem monasterii Sanctimonialium Ordinis S. Basilij Magni in Civitate Vladimiriensi, per me extructi ad ecclesiam Parochialem; super hoc injunxi Agenti meo, Domino Pocaloiewski, ut informationem cum Memoriali porrigat Sacrae Congregationi. Et in reliquo constanti me benevolentiae suae committendo, maneo cum omni cultu ac veneratione.

Illustrissimae, Reverendissimae Dominationis Vestrae humillimus et obseq. Serv. et Exorator

F. Wolodkowicz, Archiep. Metropolitanus totius Russiae (mpr)

Datum die 9 Septembris 1772, in Kupieczow.

---

[183] Towianski Felix, O. F. M. Conv., ep. tit. Carpasien., suffraganeus Vilnensis in districtu Albae Russiae, ab an. 1766, nat. 1719, Provincialis Provinciae Lithuanae Conventualium.

136.

Volodimiria, 9. IX. 1772.

De persecutione Episcopi Vilnensis in parochos unitos, qui subditos suos ad Ritum Latinum pertrahi non sinunt. De protectione in negotio cum Coadiutoribus.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 10, ff. 476-477.

Eminentissime, Reverendissime Princeps, Domine,
Domine, Protector Singularissime.[184]

Heri in copiis communicata est mihi epistola Eminentiae Vestrae R.mae, die 16 Maij anno mox elapso 1771, ad Ill.mum Massalski, Episcopum Vilnensem,[185] in fundamento delationis Sanctissimo Domino Nostro ac si Parochi Graeci L.U.nempe: Glaebocensis, Porpliscensis, et Hnizdzijovien., in Sancta Unione nati et educati, eo audaciae devenissent, ut superiori anno circa Festum S. Michaelis Archangeli, in frequenti Populi conventu Catholicae Religioni anathema dicere non dubitaverint scripta, ad quam circa profundissimam venerationem sequentia exponere meum esse judicavi.

Parochi praedicti, postquam nonnullos Parochianorum suorum in Ritu Graeco L.U.natos, secundum eundem Ritum baptisatos et usque ad virilem aetatem in eodem Ritu perseverantes, opera Ill.mi Towianski, Suffraganei Albae Russiae, Visitatoris Dioecesis Vilnensis, ad Latinum Ritum, Ritu Graeco contempto, converti vidissent, citarunt illos vigore Constitutionum, et Decretorum Apostolicorum, tum epistolae olim piae memoriae Ill.mi Zienkowicz, Vilnensis Episcopi, in Archivio meo hactenus in originali exstantis, ne Parochi latini Populum Graecum ad suum Ritum trahant et compellant, ad Officium meum Generale Vilnense, super non deserendo suo Ritu. Cumque illos contumaces invenerint, non ideo quia Latinum Ritum acceperint, sed quod Iurisdictioni Ordinariae inobedientes extiterint, post (f. 476v) litis contestationem in excommunicationem incidisse declararunt. Quo audito Ill.mus Towianski, cognitoque quod dicti Parochi intentioni et conatibus suis in praejudicium Ritus Uniti formatis adversarentur, excogitavit praetextum, ac si Religioni Catholicae anathema dicerent. Quod quia nunquam veritati nititur (:nam in Archi-Dioecesi et Dioecesibus meis omnes uniti, uti Romanam Ecclesiam, Matrem omnium Ecclesiarum profitentur, ita contra Religionem Catholicam non modo quidquam agere, sed ne cogitare quidem contrarium in animo habent:), dignabitur Eminentia Vestra Rev.ma, Protector meus singularissimus, ejusmodi delationes excogitatas habere, a nulloque illis credi permittere. Imo ego, qui ab initio usque ad terminum vitae meae (:non cupidine vanae gloriae id scribo:) in defensionem Fidei Romanae Catholicae totum me offero, oro humillime Eminentiam Vestram Rev.mam, quatenus Ill.mum Towianski monere dignetur, ut ab apostolatu Unitatem disrumpendi, multaque praejudicia Ritui nostro unito inferendi desistat. Quae enim sub hoc praetextu

[184] Praefecto S. C. de Prop. Fide, Josepho Maria Castelli (1763-1780).

[185] Littera haec deest in nostra collectione *Litterarum S. C. de Prop. Fide.*

patravit mala, inconvenientias admirabiles, Ritui nostro maxime pernitiosas, nolo primus delator fieri; bonis mediis et pacificis populi mei integritatem quaero, in hoc perseverans desiderio, ut supremo judici de ovibus mihi concreditis facile respondeam.

In negotio meo satis noto cum Coadjutoribus meis, benignissimam validissimamque (f. 477) Eminentiae Vestrae Rev.mae expostulans protectionem proque facultatibus, quibus alias a S. Sede Apostolica semper provisus fueram, supplicans, circa osculum S. Purpurae indesinenti nutu, cum omnimoda veneratione maneo Eminentiae Vestrae Rev.mae, Domini, D.ni Protectoris mei singularissimi

Infimus Cliens et Exorator

F. Wołodkowicz, Archiep. Metrop. totius Russiae

Vladimiriae, 1772 anno, die 9. 7bris.

137.

Volodimiria, 20. IX. 1772.

Attestatio Metropolitae de iure patronorum ad Archimandriam Dubnensem et Dermanesem.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 110, f. 79rv. (ex summario)

Ego infrascriptus sub fide et honore testor, me, cum simplex adhuc fueram Religiosus, promotum fuisse ad Abbatiam Dermanensem et Dubnensem nulla facta praevia electione per monachos monasterii Dermanensis et Dubnensis, sed ad simplicem nominationem Principis Celsissimi Sangusko, Mareschalchi Magni Ducatus Lithuaniae. Item quando ex gratia Sanctae Sedis ex Chelmensi Episcopatu translatus fueram ad Vladimiriensem Ecclesiam, nulla per momachos monasterii Dubnensis et Dermanensis electio personae meae intercessit. Item post resignationem a me factam huiusce Abbatiae in favorem Rev.mi Alexandri Jodko, ultimi pie defuncti Abbatis, nulla pariter praecessit communitatis Dermanensis et Dubnensis electio, sed ad solam nominationem pie defunctus Abbas per me ipsum institutus fuerat in Abbatiam Dermanensem et Dubnensem. Item purum esse commentum de tribus eligendis per communitatem Dermanensem et Dubnensem Candidatis, post accessum ad Unionem Sanctam, ex quibus unus a Patrono ad praesentandum eligitur.

Haec omnia per me testata vera, sincera, et indubia esse per praesentes attestor.

Datum in Residentia mea episcopali Vladimiriensi, anno 1772, die 20 septembris, V.S.

Felicianus, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae, etc.

Loco sigilli

138.

Volodimiria, 22. IX. 1772.

Commendat P. Theodosium Rostockyj pro Archimandria Dermanensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Pol., Ruteni*, vol. 10, fol. 496.

R.mi Domini, Domini, Benefactores Singularissimi.

Abbatias Derman. Dubnen. et S. Crucis, quas olim ipse a Consultorio Ordinis electus in titulum obtinebam, tandem vero R.mo Jodko, pariter Consultorii Ordinis electione mediante, et consentiente Comunitate gubernandam cesi, eousque vacare non sine animi mei maerore audio, multo vero magis, quod eas vacare accipiam, et ob violata eorumdem Monasteriorum jura, quae habent ad eligendum sibi Praelatum vel per se, vel per suos Superiores, et ob novum praetensum modum easdem retinendi, per Comendam scilicet, non modo in his Monasteriis, verum etiam in tota Lithuana Provincia nusquam practicatum.

Cum itaque praedictis Monasteris plus reliquis affectus esse debeam, et longe melius reliquis jura eorumdem novi, utpote quae et magno sudore, atque impensis propugnavi, tum in Tribunali Regni, tum in reliquis Poloniae subselliis, non possum non comendare EE. VV. ad eadem gubernanda Religiosum Patrem Theodosium Rostocki, ab Officio Ordinis, et respectivis Comunitatibus electum, utpote Virum in sua Provincia, et Congregatione emeritum, quem firmiter spero muneri suo responsurum, et ad recipienda bona avulsa a Principibus Collatoribus omnia studia collaturum.[186]

Gratiam, quae huic, ut praemissum est, Electo praestare EE. VV. dignatae fuerint, mihi praestitam arbitrabor, novamque gratitudinis perpetuae occasionem accipiam, in osculo sacrarum fimbriarum perpetuo esse cupiens.

Eminentissimarum, R.marum DD. VV. devot.mus ac obsequentissimus Exorator et Servus humilissimus

F. Wolodkowicz, Archie.pus, Metrop. tot. Russiae.

Vladimiriae, die 22. 7bris 1772.

139.

Varsavia, 29. XI. 1772.

Certiorat de suo adventu Varsaviam, transmittit suam expositionem de lite cum Coadiutoribus et obedientiam adpromittit.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 58.

Post meum Varsaviam adventum, per hanc meam epistolam literis merito accedo ad Excellentiam Vestram, quam et pro personae meritis, et pro dignitate muneris plurimi facio. Scio multo in vulgo sparsa, quae meum in Regiam Majestatem obsequium aliquo modo denigrare possent. Ego autem quaecumque ab aliis vel dicta vel scripta fuere, mea non facio. Reclamavi equidem contra

---

[186] Theodosius Rostockyj, Basilianus, alumnus romanus Collegii Graecorum (ab. an. 1750); post varia officia et munia in Ordine expleta, an. 1785 nominatus Episcopus Chelmensis et Coadiutor Metropolitae Kioviensis; cfr. Bullam provisionis sub dat. 11. IV. 1785, in *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 272, nr. 844. Dein successit Coadiuto anno 1788, et ipse obiit Petropoli anno 1805, in Sedem redire impeditus. Cfr. eius Epistolas in nostra Collectione, vol. IX.

Concordiam cum Ill.mis et Re.mis Coadjutoribus meis an. 1767 initam, sed absit quod ullo modo existimem, me ad eam ineundam a Regia Majestate ejusve Ministris fuisse vi minisque coactum. Sed etsi quidquid ejusmodi allegari unquam posset, hoc ego damnabo et retractabo. Optimum Regem semper debita veneratione suspexi, et nunc etiam intimo corde colo semperque colam. Ea de causa et ut summo etiam Pontifici morem gererem, huc personaliter accessi, posthabito omnibus aetatis, valetudinis, (f. 58v) itineris ac tempestatis incommodis. Quare haec eadem animi mei obsequio, ad fidei sensa, oretenus declarare gestiens, rogo E.V., ut benignam habere audientiam mihi procurare non gravetur.

Varsaviae, die 29 Septembris 1772.

140.

Volodimiria, 8. X. 1772.

Certiorat de suo adventu Varsaviam, de limitibus suarum eparchiarum etc.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 283

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Domine, Protector Singularissime.[187]

Dignissimae, Illustrissimae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae, de 24 elapsi mensis septembris, ad me benigne italico idiomate scriptae epistolae penes humillimam venerationem praesentibus respondere incipio. Et imprimis gratias quas maximas Illustrissimae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae refero pro ejus validissima erga me benevolentia, quod commissum sibi Apostolici Nuntii in Polonia munus a meo plurimum infelici cum Coadjutoribus meis, cum omnibus sibi addictis mihi inimicissimis, vult inchoare negotio, idque vel maxime desiderat, quatenus ego meum Varsaviam non tardem adventum, quantum virium mearum est summopere huic intendo, ut quum Excellentiam Vestram personaliter adorem, tandem ea quae hactenus scripsi luculentius probem.

Quod autem est benignissimi, piissimique Illustrissimae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae desiderii, ut ego statum limitesque Dioecesium mearum, cum expressione ecclesiarum in quibus contenentur finibus, quas etiam habent ecclesias Disunitorum, a quibus illae reguntur Episcopis (f. 283v) quantumque inde spiritualis et saecularis status personarum continent numerum, haec quoniam tam brevi tempore effectuari nequeunt, ob defectum scripturarum, multorumque id probantium documentorum, penes me non extantium, sed variis in locis dispersorum, aliorumque plurimorum in hostilitate interceptorum, dignabitur Illustrissima, Reverendissima Excellentia Vestra pati aliquantulum, donec ego haec omnia ab Emissariis in Ukrainam, isticque Ministris meis obtinuero. Eo enim cum majori conatu praesentem Unionis Sanctae cladem

[187] Nuntio Apostolico Varsaviensi, Josepho Garampi (1772-1776).

a Dioecesibus meis amovere curabo, quo certiorem, benigniorem altioremque ejus Propugnatorem, Illustrissimam, Reverendissimam Excellentiam Vestram caelitus mihi datum comprehendi. Cujus devotissimo cultu, penes demississimam venerationem quousque vivam pro viribus refundere gratiam non desistam, imo maximo mihi ducam honori quodquod sim

Illustrissimae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae devot.mus, obseq.mus et humill.mus Servus

F. Wolodkowicz, Archiepisc. Metrop. totius Russiae (mp).

Die 8va Octobris, 1772do anno. Vladimiriae.

141.

Kupieczov, 13. X. 1772.

De modo eligendi Archimandritas ad Archimandriam Dermanensem declaratio Metropolitani.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 110, f. 88 (n.n.)
APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. Ruteni*, vol. 10, f. 497-498.

Ad importunas preces Ill.mi Helmensis Episcopi[188] asserentis Romae desiderari a me Testimonium super promotione ad Abbatias Dermanen. et Dubnen. cum adhuc simplex Religiosus fui, num scilicet per electionem unius et alterius communitatis dictarum Abbatiarum ad easdem assumptus essem, vel per nominationem Principum Collatorum? testatus sum me non per electionem Communitatum beneficia praedicta adeptum fuisse.

Quia tamen Testimonium hoc collatum cum prioribus meis litteris, quibus non providear, praeterito septembri commendavi EE.VV. Rev.mis Patrem Theodosium Rostocki, ad easdem Abbatias, varietatem quamdam creare posset,[189] nisi clarius ut se habuit vel exponatur, eam proinde Eminentiis Vestris ita declarandam opere pretium duco.

Ante annum 1636, a quo scilicet Monasteria Dermanense et Dubnense Congregationi SS.mae Trinitatis, nunc autem Provinciae Lithuanae, incorporata non fuere, in more iisdem fuit Praelatos suos sibi eligere iuxta Statutum Constantini Konstantynowicz Ducis in Ostrog. Cum autem Provinciae praedictae accesserint, in Congregatione Vilnensi anno 1636 celebrata,[190] iis se regulis submiserunt, quibus regebatur eadem Congregatio, in qua iuxta Statuta in praedicto Capitulo Vilnensi, sess. 16, et sancita aliorum Capitulorum, Officii Generalis erat Personas ad similia beneficia deligere, et vel Patronis nominandos commendare, vel a se electis permittere, ut nominationem a Patronis procurarent. Et ita ego a Consultorio Generali duntaxat, non vero a Communitatibus Der-

---

[188] Maximilianus Ryllo, Episcopus Chelmensis (1759-1785), dein Peremysliensis (1785-1793).

[189] Cfr. supra, sub die 20 Septembris an. 1772.

[190] Capitumum Generale Basilianorum temporibus Ordinis Instauratoris, Josephi Velamin Rutskyj.

manensi et Dubnensi electus, litteris vero Rev.mi Zawadzki tunc Proarchimandritae munitus, et permissus, nominationem obtinui a Principe Sanguszko, Mareschalco Magni Ducatus Lithuaniae, ita quoque et pie functus Rev.mus Abbas pariter a Consultorio Generali electus, et ut sibi nominationem curaret permissus, nominationem et consequenter benedictionem obtinuit mediante Conventu Communitatis et cessione mea, quia easdem ex gratia S. Sedis cum Episcopatu Vlodimiriensi retinere nihil in contrarium faciente sponsione quadam utpote ob reverentiam Magnato datam, minimeque per me coram Actis publicis recognitam.

Postquam autem Benedictus XIV consensus, quos Officium Generale dare solitum erat, per suam Decretalem sustulit, idem Officium in iis saltem monasteriis, quae ius electivum ex fundatione habent, et ad iuspatronatus Nobilium spectant, ius sibi eligendorum Praelatorum asserere non dubitat, communitates vero sibi restitutum fuisse etiam asserentur.

Utraque electio, Consultorii scilicet Generalis et Communitatum coniuncta fuit in promotione Rev.mi P. Theodosii Rostocki, quam Personam utpote emeritam et dignam atque omnia per canones et leges Patriae requisita habentem, Principi Patrono et Eminentiis Vestris commendavi, ut per gratiam EE. VV. confirmationem sui electionis consequi posset. Quod ipsum et praesentibus facio, humilliterque insto, non pro illa solum, sed et pro Provincia Lithuana, quae recentissime viginti quinque circiter monasteriis hac infelici Regni nostri tempestate privata, non facile habebit, ubi locare possit monachos suos, qui sub potestate alterius acatholici Domini vivere recusaverint, in monasteriis cum Dermanensi et Dubnensi, attenta paucitate reddituum, vix quatuor in utroque monasterio monachi locari poterunt, si Ill.mus Helmensis bene aliunde gratia Dei et Benefactorum provisus, nullasque extraordinarias expensas facere necesse habens, cum duabus partibus reddituum ea obtinuerit Mensae suae applicandis, consequenter multi assertores Sanctae Unionis commodo religioso privarentur.

Pro gratia hac Sanctae Unioni, Provinciae et electae Personae facienda iterum atque iterum humillime insto, circa profundissimam venerationem in osculo Sacrarum Fimbrarum esse volo.

EE. RR. DD. VV. addictissimus et hum.mus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae,
manu propria

Datum in Kupieczow, anno Domini 1772, die 13 octobris.

142.

Volodimiria, 22. X. 1772.

Refert de avulsione eparchiarum unitarum ex sua iurisdictione ob partitionem Regni Poloniae, et adpromittit transmissionem relationis de statu eparchiarum, et de periculis imminentibus Unioni in patribus Ucrainae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, foll. 48-49.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Protector Singularissime.[191]

Increscente in dies rumore, seu potius ipsa existentia rei, Albam et Rubram Russiam a ditionibus hujus Regni ad extranea dominia,[192] una cum nonnullis Ep.patibus, Sedibus et eorum Episcopis, utpote: Polocen., Smolenscen., Premyslien. et Leopolien. ademptas esse, verum quoniam nonnullorum et quidem Polocen. post fluvium Dzwina in Ducatu Lithwaniae, et Leopoliensis in integro Palatinatu Podoliae, qui a cunabulis Fidei Christianae his in oris usque ad annum 1539 jure ordinario ad Archi-Dioecesim meam Kijoviensem in spiritualibus spectabant, non postremae partes dioecesum cum clero suo adhuc visceribus Regni relictae sunt, quae a suis Pastoribus extraneae subjectionis absque magno dispendio et discommodo cleri et populi vix gubernari valent, offici mei partes esse existimavi, praemissa Ill.mae, Excell.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae deferre, ut ad feliciter regendum hunc residuum Clerum (f. 48v), populum, necessarium et opportunum providere dignetur. Atque oriri etiam videtur dubium, quomodo, inspectis modernis circumstantiis, promotio Episcopi Leopoliensis ad Coadjutoriam hujus Metropolis ulterius stare valeat?

His praemissis, cum ego pro adimplendis dignissimis Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae cogitem mandatis, ut nempe statum Archi-Dioecesis meae quam citissime conscribam, funestissimum nuncium, quod cum summo Ecclesiae Catholicae damno, ex ordinatione (: ut supponitur :) Serenissimae Imperatricis Roxolanae[193] ad irrealem repraesentationem Disuniti Episcopi Perejaslaviensis, cujus Dioecesis Archi-Dioecesi meae circa confinia Regni adjacet, clerus meus catholicus in iisdem confinïis ad apostasiam per vim, circa adminiculum militis moschovitici, cogitur, qui vero apostatare recusant, compedibus ligantur, et talium, receptis ab ipsis ecclesiarum clavibus circiter centum variis in locis in servitute cum maximo Fidei Catholicae opprobrio reperitur. Haec sunt principia illorum, quae a me ad mandata Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae executioni sunt mandanda, (f. 49) super quibus dum supremam Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae exquiro et expostulo sententiam, simul summa cum veneratione maneo.

Ill.mae, Rev.mae Excell.ae Vestrae addictissimus et obsequentissimus Servus et Exorator

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp.)

Vladimiriae, die 22 8bris, 1772 anno.

---

[191] Nuntio Varsaviensi.

[192] Agitur de sic d. prima exdivisione Regni Poloniae, a Moscovia, Austria, Prussia anno 1772 peracta, qua etiam partes Ecclesiae Unitae ad alia dominia abierunt.

[193] Catharina II, Imperatrix Rossiae (1762-1796), quae Ecclesiae Unitae infensum aninum demonstrabat.

143.

Volodimiria, 22. X. 1772.

De dismembratione Regni Poloniae et novis circumstantiis Ecclesiae Unitae; persecutiones Unitorum ex parte moscovitarum, etc.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 10, f. 553-554.
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 279 280 (sub dat. 11-X-1772)

Eminentissimi et Reverendissimi Principes, Domini, D.ni Protectores Singularissimi.

Quam et quantam jacturam reportavit Respublica Inclyti Poloniae Regni ex dismembratione a Corpore suo ad extraneas Ditiones amplissimarum Provinciarum, utpote Rubrae ad Hungariam, Albae Russiae ad Moschoviam, jam vero Prussiae ad Regem Borussiae, non dubito quin fama publica Eminentiis Vestris referet; sed quod et quale damnum (: quamvis aliquomodo a dictis Dominiis videatur concessum esse liberum Religionis Catholicae exercitium :) per alienationem ab eodem Corpore hujus luctuosissimi Regni permultarum non modo Ritus mei verum etiam et Latini Ecclesiarum, et quidem in Alba Russia in Archi Diocesi mea circiter semiducentarum, in Archi-Episcopatu Polocensi plusquam trecentarum, in Smolenscensi plus quam sexaginta, in Rubra vero in Episcopatu Leopoliensi circiter semi-duo millium, in Premysliensi mille ducentarum, ac in Chelmensi circiter quingentarum saecularium; jam vero Regularium cum suis Monasteriis in Lithuania plus quam viginti, et Polona Provinciis circiter quadraginta, Catholica Ecclesia passura, nisi ipse Deus scrutator omnium scire potest. De quibus si Eminentiis Vestris Rev.mis aliunde prout jam (f. 553v) nonnullas Excellentissimo ac Rev.mo Domino Nuntio Apostolico hujus Regni significavi,[194] minime constiterit, ego pro munere meo deferre constitui. Insuper vero cum adhuc permultae Parochiales dictarum Cathedralium, ut pote: Polocensis ex hac parte Dzwinae in Lituania, quae Archi-Dioecesi meae sunt propinquiores, jam vero in Podolia fere tota, Leopoliensis circiter semiduo millenae Ecclesiae a cunabulis Fidei Christianae in Russia usque ad annum 1539, quo novus in illis Episcopatus Leopolien, exportato ad id per Curialem Metropolitanum Episcopum Macarium Tuczapski a Sigismundo Augusto Rege Diplomate, quamvis postea Rescripto ejusedm Regis revocato, evasit, a Praedecessoribus meis jure ordinario gubernabantur, adhuc in Regno nostro relictae sint, sensum et mentem Eminentiarum Vestrarum Rev.marum scrutari velim, per quem in posterum, ne dispendium aliquod patiantur, recturae sunt? Non postremum et hoc Ecclesiae Catholicae damnum dum (ut supponitur) Serenissimae Imperatricis Roxolanae ordinatione, ad irrealem repraesentationem Disuniti Episcopi Perejaslavien., cujus Dioecesis Archi-Dioecesi meae circa confinia Regni adjacet, clerus (f. 554) meus Catholicus in iisdem confiniis ad apostasiam per vim circa adminiculum

[194] Josepho Garampi (1772-1775).

Militis Moschovitici cogitur, qui vero apostatare recusant, compedibus ligantur, et ab ipsis claves ecclesiarum recipiuntur. Quare et in hac afflictione humillime Eminentiis Vestris Rev.mis pro oportuno supplico Remedio. Atque oriri etiam videtur dubium, quomodo, inspectis modernis circumstantiis, promotio Episcopi Leopoliensis ad Coadjutoriam Metropoliae ulterius stare valebit, cum idem Episcopus Coadjutor meus, cum parte suorum Leopolien. et Camenecen. Episcopatuum, sit nunc alterius Nationis, nempe austriacae, cui utique Praelaturas Regni nostri possidere justitia prohibebit, siquidem nemini nostrorum in extera Natione id praetendere nec licet nec convenit. Supremam in his Eminentiarum Vestrarum Rev.marum exquiro et expostulo Sententiam judiciumque, ac in osculo Sacrarum Purpurarum maneo

Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum

iufimus Cliens et Exorator continuus

F. Wolodkowicz, Archiep. Metropolita totius Russiae (mp).

Vladimiriae, 22. 8bris, 1772 anno.

144.

Varsavia, 26. X. 1772.

De obitu et laude Francisci Salesii Potocki, indicuntur preces pro anima eius.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 269.

Felicianus Philippus Volodkowicz Dei et S. Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Halicensis et totius Russiae, Protothronius Episcopus Vladimiriensis, et Brestensis, Kijovo-Pieczariensis Archimandrita.

Universo Clero tam Saeculari, quam Regulari in Archi Dioecesi Metropolitana, tum Vladimiriensi et Brestensi Dioecesibus nostris reperibili, Fidelibus etiam Christi ad Jurisdictionem Nostram spectantibus, plurimum Nobis dilectis, salutem et Benedictionem. Adimpletio Decretorum Dei in piae memoriae Ill.mo Domino Salesio Polocki Palatino Generali Terrarum Kijovien., insignis pietate Senatoris,[195] Unionis Sanctae in ritu nostro cum Ecclesia Romana propugnatore, et promotore, cum ad nostras pervenerit aures, enarratu difficile, quali dolore perstricti extitimus, quod hoc tempore, infelicitatibus et afflictionibus super abundandante, mors insidiosa tam strenuum et summe necessarium Patriae et Religioni Sanctae abstulit nobis virum. Hoc tamen scientes, quod in hac vita nemo est aeternus, expectat nos omnes immutabilis de hoc mundo migratio, et coram Judice Deo de omnibus factis stricta responsio, quae ex subsidiis animae, per existentes adhuc in temporali vita, cum ardore factis facilis redditur; tam ex incitamento quia sanctum

[195] Franciscus Salesius Potocki, Palatinus Kioviensis (1753-1772).

et salutare sit pro mortuis orare, quam etiam ex gratitudine liberalis beneficentiae Ecclesiis Dei, earumque rectoribus, in Deo defuncti suprafati Ill.mi Salesii Palocki palatini Generalis Terrarum Kijoviensis, ad talia subsidia et ipsi prompti esse, et alios incitare in animum duximus; uti incitamus in Nomine Dei hisce praesentibus Literis nostris. Commendantes vobis Clero, quatenus post intimationem vobis harum Literarum nostrarum, seu post perceptam de iisdem notitiam, die Dominica, aut festiva, tempore solitae matutinae devotionis, congregatis fidelibus Christi, referatis, ut audito sonitu campanarum (qui ter per tres dies repetendus est) ter Pater Noster etc. ter Ave Maria etc. semel Credo in Deum etc. addita oratione: Requiem aeternam etc. recitent et recitari per alios curent. Vos vero, Clerus, qui Presbyterali munere fungimini, omnes generaliter per locos bonorum haereditarium piae memoriae Ill.mi Palatini Kijoviensis existentes, tres Missas de requie cum conductu seu *Parastas* minori, pro documento gratitudinis, alii vero unum Missae sacrificium celebretis. Et cum Deus misericors paterna manu sua delicta castigans, in tempore calamitatum pleno, et id in nos permittit, quod personas summe necessarias Religioni Sanctae, et Patriae e medio tollit, persecutores Religionis immittit, explorando forte constantiam nostram in Unione cum Ecclesia Sancta Catholica Romana, quae ad praesens dismembrationem sui violentem patitur, ideo ex hac circumstantia praecipue, commendamus Vobis omnibus et per charitatem salutis propriae quemquam obligamus, quatenus quotquot diebus dominicis festivis cum solitis supplicationibus faciatis orationes, ut Deus qui Ecclesiam suam et portis inferi non praevalendam conservare promisit, reddat fortunatam Patriam nostram, conservet vivos proceres catholicos, permanere nobis immotis permittat in Unione Sancta, quam recedere ad omnes infensorum violatorum minas nemo audeat obligamus, et singulis hac in re Pastoralia nostra mittimus mandata. Quod ut facile ad cujusque perveniat notitiam, praesentes literas Nostras manu propria subscriptas, cum appositione sigilli, typo imprimere, et per Archi-Dioecesim, Dioeceses Nostras mittere mandavimus.

Datum Varsaviae, die 26 mensis Octobris VS., 1772 anno.

FELICIANUS, Archi-Episcopus Metropolita totius Russiae.

+ L. S. Daniel Onuphrius Paszkovski, Apostolicus, et Curiae Metropolitanae Notarius.

145.

Varsavia, 28. XI. 1772.

Articuli concordiae initae inter Metropolitanum Kioviensem et eius Coadiutores de iurisdictione in Eparchia Metropolitana et Volodimiriensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 835, f. 105rv (fol. 94-95: alia copia).

Articuli Concordiae[196] inter Ill.mum et Rev.mum D. Felicianum Wolodkowicz Metropolitam totius Russiae, Episcopum Vladimirien. et Bresten. ex una et Ill.mos et Rev.mos DD. Leonem Szeptycki Episcopum Leopolien., ac Antoninum Strus Mlodowski Episcopum Bresten., ejusdem Ill.mi et Rev.mi metropolitae Coadjutores cum futura successione de altera partibus; mediantibus officijs et studijs Excell.mi et Rev.mi Domini Josephi, Archi-Episcopi Beriten., Nuntij Apostolici in Regno Polon. et M. Ducatu Lithuanae.

1mo: Excell.mus et Rev.mus Nuntius Apostolicus promittit se reintegraturum Ill.mum D. Metropolitam in universa, plenaria et libera administratione tum spirituali utriusque Dioeceseos, tum bonorum temporalium ad earundem mensas metropoliticam et episcopalem respective competentium ad normam Decreti Sacrae Congregationis P.F. editi die 2 Aprilis Anno 1770, nec non Epistolae Secret. Status SS. D. N. Clementis PP. XIV, datae die 28. Aug. ac demum Decreti Excell.mi ac Rev.mi Angeli Durini, Archi-Episcopi Ancyrae, tunc temporis Nuncij Apostolici in hoc Regno, expediti die 19. 7bris ejusdem anni. Quae reintegratio habebit effectum eo ipso, quo Ill.mus et Rev.mus Metropolita officia et obsequia sua exhibuerit Serenissimo Regi, juxta mandata Summi Pontificis.

2do: Cum Ill.mum et Rev.mum Metropolitam poenituerit complanationis dudum factae inter ipsum et eosdem suos Coadjutores die 16 Januarij anni 1768,[197] praedicti Coadjutores in obsequium ac venerationem, quam ex toto corde profitentur erga Coadjutum, plena, libera, ac deliberata voluntate renunciant omni juri et actioni ex dicto contractu, sibi quomodolibet competentibus. Adeo ut ex utraque parte dicta complanatio haberi debeat, acsi nunquam facta, aut effectum ullum sortita fuisset.

3tio: Retractantur ex utraque parte quaecunque occasione litium et praetensionum super administratione tam spirituali quam temporali utriusque Dioeceseos, ab ipsis partibus, vel earum Agentibus et Procuratoribus contra alterius honorem, famam existimationemque, tam in judicio, quam extra dicta, prolata vel scripta fuisse constaret, eaque ab actis publicis ac privatis deleri mandantur; sine praejudicio tamen jurium utrique Partium competentium super praetensis resarcitionibus damnorum, de quibus in sequenti articulo cavetur.

4to: Unicuique parti reservantur illaesa et integra omnia et singula jura et actiones (: si quae vel quas habent :) ad agendum in judicio contra alteram pro resarcitione damnorum et violentiarum (: si quae vel quas aut sustinuerit aut se sustinuisse praetendat :) tam in personis proprijs quam pro Officialibus et curialibus Aulicis, caeterisque alterius partis servicio addictis nec non pro quibuscunque interesse habentibus: tam occasione administrationis spiritualis

---

[196] Concordia haec inita fuit cura Nuntii Apostolici Josephi Garampi, et dein a Sede Apostoloca adprobata et confirmata an. 1773, die 20 Martii; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 229, nr. 808.

[197] Cfr. supra.

vel temporalis ab Ill.mis et Rev.mis Coadjutoribus susceptae, quam occasione revindicationis et occupationis secutae ex parte Ill.mi et Rev.mi Metropolitae; super quibus omnibus primum concordia procurabitur amicabiliter; qua non secuta unus judex compromissarius nominabitur ab Ill.mo et Rev.mo Metropolita, alius vero ab Ill.mis et Rev.mis Coadjutoribus, qui ambo judices compromissarij debeant in spacio 4 mensium a die nominationis computandorum et nullomodo ulterius prorogando, suum laudum vel arbitramentalem sententiam pronunciare. Ijs vero non plenarie et uniformiter in omnibus et singulis punctis concordantibus vel intra praedictum temporis spacium suum arbitrium vel sententiam non proferrentibus, tunc totum negotium devolvetur ad judicium Sacrae Nunciaturae Apostolicae, quae summarie, simpliciter de plano, ac omni appellatione remota, quia sic inter partes fuit specialiter et exptesse conventum, ad finalem sententiam procedet.

5to: Reservat sibi Ill.mus et Rev.mus Metropolita actionem adigendi Ill.mos et Rev.mos Coadjutores ad reddendam rationem administrationis bonorum temporalium ad easque mensas spectantium, nec non proventuum ab ipsis perceptorum vigore decreti Sacrae Congregationis P.F. editi die 25 Aug. anno 1768, in qua quidem re quidquid investigationem redituum perceptorum concernet, eadem servabitur methodus quae supra n.4, superius est expressa. Quoad vero eorundem adjudicationem vel divisionem, si quae fieri debeat, unaquaeque partium se submittit judicio Excellmi Nuncij, qui similiter procedat ut supra n. 4.

6to: Cum Ill.mus et Rev.mus Metropolita propter labores hucusque susceptos et ob gravem suam aetatem nec non valetudinis incommoda vix se sufficere in posterum posse credat regimini utriusque Dioeceseos, multoque minus eas personaliter (: ut decet, et canonicae nec non Zamoscien. Synodi praescribunt sanctiones :) visitare, eosdem suos coadiutores in partem sollicitudinis suae pastoralis, exnunc vocare constituit. Proindeque reservata sibimet ipsi, suaeque propriae administrationi ea Dioecesis Metropoliticae parte, quae totum Magnum Ducatum Lithuaniae comprendit, reliquam quae nempe per Ukrainam ac Palatinatum Braslavien. aliasque adjacentes Regiones protenditur committit et assignat Ill.mo et Rev.mo D. Szeptycki, Episcopo Leopolien. cum plena, libera et absolita ac irrevocabili administratione spirituali. Pari quoque modo et forma, Ill.mo et Rev.mo D. Mlodowski, Episcopo Bresten., regendas et gubernandas ac administrandas committit et assignat Dioeceses sibi invicem unitas Vlodimirien. et Bresten. Ad quem effectum Ill.mus et Rev.mus Metropolita Patentes dictarum respective administrationum literas, ijsdem modo, forma, facultatibus conditionibus et clausulis, quae in alijs vicariatus literis, die 20 Xbris 1767 expeditis, continentur, a seipso subscriptas tradet et deponet infra tres dies in manus Excell.mi et R.mi D. Nuncij Apostolici, publicandas deinde et executioni demandandas tempore eidem bene viso, postquam tamen praesens concordia fuerit Beneplacito Summi Pontificis confrontata et roborata.

7mo: Idem tamen Ill.mus et Rev.mus Metropolita reservat sibi plenam

et liberam administrationem et curam bonorum temporalium utriusque mensae, quocumque nomine censeantur, et ubicumque sita sint; quorum redditus in sui usum ac in utilitatem ecclesiarum suarum, ad normam canonicarum sanctionum fideliter procurare et administrare promittit, eorum statum hodiernum per Commissarium suum, una cum Commissario ab ipsis Coadjutoribus designando desribi quamprimum curabit, intra 4 mensium spacium, a die publicatae administrationis suorum Coadjutorum, de quibus duo similia inventaria et Commissariorum praedictorum juramento firmata liberaliter conficientur, quorum unum etiam a respectivo Coadjutore subscriptum Ill.mus Metropolita apud se retinebit, alterum vero Ill.mo Coadjutori, ad quem spectabit, tradet et reddet, eaque Ill.mus Metropolitanus ut quotannis ad instantiam suorum Coadintorum revidentur, minime detractet.

8vo: Quia vero monet Apostolus, eum qui altari inservit de altari vivere debere, volens Ill.mus et Rev.mus Metropolita Coadjutoribus suis sese etiam liberalem exhibere, sponte dimittit Ill.mo et Rev.mo D. Mlodowski, praeter obventiones illas, quae ex actuali exercitio jurisdictionis tam contentiosae quam gratiosae per universam Vlodimiren. et Bresten. Dioecesim provenire possunt ac debent, etiam Cathedraticum assignatum quod SS. Canones Episcopis permittunt, ut annuatim, a subjectis sibi Presbyteris exigat; quia vero dictae Cathedratici exactio vix, si etiam plenarie fieri posset, ad Summam 4000 Flor. Polon. ascendet, nec etiam aequum est, quod calamitosis hisce temporibus clerus hujusmodi (f. 105v) exactione praeter vires suas gravetur, ideo Ill.mus et Rev.mus Metropolita Summam 10000. Flor. Pol. in parata pecunia quotannis (: ad rationem nempe 2500 singulis trimestribus posticipate :) se soluturum promittit vel si Ill.mo Coadjutori magis placuerit, tot villas ad mensam Vlodimirien. spectantes et suo Coadjutori vel eius residentiae magis commodas et vicinas, ex quibus aequa aestimatione facta et judicio Excell.mi Nuncij absque ulteriori recursus aut appellationis remedio, approbanda, possit tam in rebus quam in pecunijs summam decem millium Flor. Pol. similium quotannis percipere, administrationi et curae ejusdem Coadjutoris irrevocabiliter committit, ut idem Ill.mus Coadjutor possit necessitatibus suis commodius consulere et providere. Haec autem villarum designatio, quatenus assignationis pecuniariae adoptetur fieri debebit statim a publicatione literarum administrationis spiritualis et judicio et auctoritate Excell.mi Nuncij confirmari adeo, ut ab eo die in potestatem Coadjutoris transeant una cum fructibus pendentibus et inexactis absque eo, quod pro expensis et laboribus antea factis aliquid vel minimum praetendere possit Ill.mus Metropolita.

9no: Pari modo Ill.mus Metropolita Ill.mo D. Szepticki (: pro suo assignamento :) praeter obventiones ex jurisdictione contentiosa et gratiosa in parte Dioeceseos sibi commissae provenientes, etiam exactionem Cathedratici committit, quod felicioribus annis ad 25000 et amplius ascendebat millia Flor. Pol., hac tamen adjecta conditione, quod ipse pro suo congruo assignamento 15000 Flor. Pol. duntaxat sibi reservet, reliquam vero summam in tuto loco et apud fidam personam deponat, non inde amovendam, nisi ex dispositione

Ill.mi Metropolitae, qui pro eo, quo flagrat zelo erga Ecclesiam sibi commissam, nequaquam vult eos in usum proprium derivare, aut convertere, sed omnino ex nunc conservat et devovet bono et utilitati Ecclesiarum suarum, expendendas nempe in processibus vel continuandis vel incipiendis pro recuperatione bonorum Ecclesiarum praedictarum, pro stipendiis Agentium et Procuratorum ubicunque existentium, vel pro alijs utilibus seu necessarijs Causis inter D. Metropolitam et unum vel alterum ex suis Coadjutoribus in ea re interesse habentem concordandis et judicio Excell.mi Nuncij approbandis.

10mo: Praeterea ut idem Ill.mus et Rev.mus Coadjutor Szeptycki visitando Dioecesim sibi commissam habeat domum aptam et congruam, in qua residentiam figere possit, Ill.mus et Rev.mus D. Metropolita assignabit ei domum et locum ad dictum effectum idoneam, nempe domum Metropoliticam de Radomysl nuncupatam, absque tamen perceptione fructuum et redituum ex adnexis bonis provenientium, eidem tamen dimittat, ac cedit bona Barachty jam per decretum recuperata vel recuperanda; si quae tamen aliae expensae in eam Causam essent faciendae, relinquantur arbitrio et oneri Ill.mi Coadjutoris.

11mo: Demum reservat sibi Ill.mus et Rev.mus Metropolita omnia jura etiam honorifica suae Metropoliticae jurisdictionis in literis Patentibus Vicariatus, superius enuntiatis, nempe de data 20 Xbris 1767 anno expressa et nunc novis litteris administrationis spiritualis iterum exprimenda.

12mo: Postquam unaquaeque Partium contrahentium huic concordiae pro suo peculiari interesse consensum praestiterit, eamque sua subscriptione firmaverit, ejus effectus in suspenso habeantur, donec constet de Serenissimi Regis satisfactione et Sancta Sedes Apostolica beneplacitum, et approbationem impertiri dignata fuerit. — Actum Varsaviae, die 28 9bris, anno 1772.
Felicianus Wołodkowicz, Archi-Episcopus Metropolita totius Russiae, Prothotronius Episcopus Vlodim. Bresten. approbo et confirmo (mpria).
L. Leo Szeptycki, Episcopus Leopol. Hal. Cam. Coadjutor Metropol. t.R. Eques S. Stanislai (mpr).
Adam Antoninus Mlodowski, Episcopus Bresten. Coadjutor Episcopatus Vlodimirien. (mpria).

146.

(*Varsavia, 28. XI. 1772*)

Observationes et obiectiones nec non correctiones articulorum concordiae inter Metropolitanum Kioviensem eiusque Coadiutores de iurisdictione ecclesiastica.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, foll. 13-14.

Prima Risposta di M.r Metropol. al 3º Piano della Concordia.[198]
1mo. Rescindatur ex utraque Parte complanatio facta anno 1768.

---

[198] Agitur de observationibus Metropolitae et de adnotationibus Nuntii; concordia haec valde laboriosa fuit, nec etiam post confirmationem apostolicam an. 1773 plene executa est.

Ad 1mum. — Ill.mi Metropolitani totius Russiae cum Ill.mis Coadjutoribus sub metu anno 1768 inita complanatio,[199] ex quo posteritati nimis praejudiciosa est et hactenus pendentis litis occasio, idcirco pro ejusdem circumscriptione humillime supplicat Tribunal praesens Apostolicum. Satis est, quod Ill.mus Metropolita Rev.mos Coadjutores pro suis legitimis cum futura successione Coadjutoribus irrevocabiliter agnoscit.

2do. Reintegretur Ill.mus Metropolitanus plenarie in universa sua jurisdictione per decretum Nunciaturae eique consensum praebeant Ill.mi Coadjutores.

Ad 2dum. — Quaevis Decreta Sacrae Congregationis Propag. Fidei a Summo Pontifice confirmata, ut semper suum sortiantur effectum, et simul obligent ad parendum altissima authoritas ejusdem Sanctae Sedis Apostolicae exposcit.

3tio. Deleantur, et dimittentur, de eorundem Coadjutorum consensu, quae scripta fuerunt contra Ill.mum Metropolitanum.

Ad 3tium. — Nihil justius est, ut prius, juxta Divum Augustinum, restituat (famam scriptis indignis laesam) ablatum, qui cupit suum habere remissum peccatum.

4to. Ex utraque parte renuncietur omnibus praetensionibus damnorum passorum, injuriarum, et altera pars alteram partem perpetuo quietet.

Ad 4tum. — Multiplicis generis hic veniunt notandae et dignoscendae praetensiones, aliae quae solum Personas Ill.mi Metropolitani, ejusque Illustrissimorum Coadjutorum mutuo concernunt, et tempore Administrationis exortae sunt, aliae, quae Aulicis utrique respective Curia inservientibus, Officialistis, caeterisque Presbyteris sunt illatae, his itaque in duas classes divisis sic Ill.mus Metropolitanus cum summa reverentia Tribunal praesens Apostolicum informat.

Injuriae et damna Officialistis, Presbyteris et Curialibus Aulicis Excellentissimi Metropolitani ab Ill.mis Coadjutoribus illata, haud possunt condonari, sed ex aequo compensari et refundi in continenti debent, tum quia, deservita eorum merces est, tum quia spolium ante omnia restitui debet (f. 13v).

Ad verificandas praetensiones, quae Personas Ill.mi Metropolitae et Reverendissimorum ejus Coadjutorum respiciunt, tum etiam damna sub tempus administrationis ab Ill.mis Coadjutoribus, et vel maxime ab Ill.mo Mlodowski causata Commissarii per Tribunal praesens Apostolicum destinentur et Ill.mi Coadjutores ante omnia ex administratione sua juxta obloquentiam administratorialem instrumento ad reddendum calculum obligentur.

5to. Deinde Ill.mus Metropolitanus animadvertens ob gravem suam aetatem nec non ob invalitudinis incommoda aegre sufficere posse regimini tam amplae ac in tot dissitis regionibus protensae Diaeceseos, hisce presertim turbulentis temporibus, partem oneris sibi incumbentis dimittat, reservando suae omnimodae jurisdictioni totam eam partem Dioecesis, quae sita est in Lituania, nempe in Palatinatibus Vilnensi, Novogrodensi, reliquam vero partem, quae

---

[199] Die 15 Ianuarii 1768. Cfr. supra.

est in Ukraina, Volhynia et in Palatinatibus Braclaviensi et Podoliensi, administrandam committat per suas patentes Vicariatus literas Ill.mo Szeptycki Episcopo Leopoliensi; Diaecesim vero Vlodimiriensem similiter committat Ill.mo Mlodowski.

Ad 5tum. — Si licet neo consecratis Episcopis per Vicarios Officiales ut ut dissitas regere Dioeceseos suae partes, multo magis licet et concedendum est idem provectae aetatis Excell.mo Metropolitano, ut per unum annum jam alias per se, jam per Officiales suos quoad spiritualia praesit Dioecesibus suis Kijoviensi, Vlodomiriensi et Brestensi, id enimvero postulant et praesentes rerum circumstantiae, et effectus plenissimae redintegrationis Excell.mi Metropolitani ad tenorem Decreti. Post annum vero (et si rerum circumstantiae illud postulaverint) etiam ante facile promittit Ill.mus Metropolita se cessurum regimen in spiritualibus Ill.mo Szeptycki Dioecesum Kijoviensis, Braclaviensis et Podoliensis.

6to. Bona omnia mensae tam Metropolitanae quam Episcopatus Vlodimiriensis remaneant penes Ill.mum Metropolitanum, Cathedraticum vero colligatur ab unoquoque in illa tantum Dioecesis portione, quae sibi nunc assignatur.

Ad 6tum. — Quoniam valetudinis suae conservandae gratia Vlodomiriensi Dioecesi potissime residentiam suam Ill.mus Metropolitanus locare consuevit, et subinde praediola quaevis visitare melioris oeconomiae ergo, ideirco dispar est ratio aequae conventionis cum Ill.mo Mlodowski, ac cum Ill.mo Szeptjcki, actuali Episcopo satis bene proviso Leopoliensi. Itaque Ill.mo Szeptycki post annum jurisdictione (sive ut supra) in spiritualibus concessa, simul concedit colligendum Cathedraticum, ita tamen ut ex eodem quotannis Ill.mo Metropolitano pro avulsis recuperandis dimidium exolvatur.

Cum Ill.mo Mlodowski speciales ratione propositae conventionis instituentur gradus coram Tribunali praesenti Apostolico.

7mo. Ejusmodi conventio stabiliatur cum Serenissimi Regis annuentia, ac beneplacito SS.mi Pontificis roboretur.

Ad 7mum. — Ejusmodi resolutio Excell.mi Metropolitani, et SS.mi beneplacito, et Regia auctoritate et ingrossatione ad quaevis acta ut roboretur idem Excell.mus Metropolitanus summopere exorat.

In praemissorum robur, mox dabit Ill.mus Metropolitanus suae patentes Vicariatus literas Ill.mo Szeptycki super Dioeceses Metropolitanas Kijoviensi, etc. easque deponet in manus Excell.mi Domini Nuntii uti post annum vim habituras. Eidem Ill.mo Szeptycki jam alias per decretum recuperata bona dicta dimittit.

147.

(*Varsavia, XI. 1772*)

Resolutiones Nuntii de concordia inita inter Metropolitanum et Coadiutores.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 15-20.

Resolutiones ad Articulos infra contentos.[200]

Articuli Concordiae initae inter Ill.mum et Reverendissimus D. Felicianum Wolodkowicz Metropolitam totius Russiae, Episcopum Vladimiriensem et Brestensem, ex una et Ill.mos et Rev.mos DD. Leonem Szeptycki Episcopum Leopoliensem, ac Antonium Strus Mlodowski Episcopum Brestensem, ejusdem Ill.mi et Rev.mi Metropolitae Coadjutores cum futura successione, ex altera partibus; mediantibus officiis et studiis Excell.mi et Rev.mi D. Iosephi Archiepiscopi Berytensis, Nuntii Apostolici in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae.

Ad 1mum. Affirmative respondit et humillime...[201]

*1*⁰. — Excell.mus et Rev.mus D. Nuntius Apostolicus promittit se reintegraturum Ill.mum et Rev.mum D. Metropolitam in universa plenaria et libera administratione tum spirituali utriusque dioeceseos, tum bonorum temporalium ad earundem Mensas Metropoliticam et Episcopalem respective competentium, ad normam decreti Sacr. Congreg.nis de Propaganda Fide, editi die 2 Aprilis an. 1770; nec non (f. 15v) Epistolae Secretariae Status SS. D. N. Clementis PP. XIV, datae die 28 Augusti, ac demum decreti Excell.mi ac Rev.mi D. Angeli Durini Archiepiscopi Ancyrani, tunc temporis Nuntii Apostolici in hoc Regno, expediti die 19 Septembris ejusdem anni. Quae reintegratio habebit effectum eo ipso, quo Ill.mus et Rev.mus Metropolita officia et obsequia sua exhibuerit Serenissimo Regi, juxta mandata Summi Pontificis.

Ad *2dum.* Affirmative.

2⁰. — Cum Ill.mum et Rev.mum Metropolitam poenituerit complanationis dudum factae inter ipsum et eosdem suos Coadjutores die 16 Ianuarii anni 1768, praedicti Coadiutores in obsequium ac venerationem, quam ex toto corde profitentur erga Coadjutum, plena, libera, ac deliberata voluntate renunciant omni juri et actioni ex dicto contractu sibi quomodolibet competentibus; adeo, ut ex utraque parte dicta Complanatio considerari debeat, acsi nunquam facta, aut effectum ullum sortita fuisset.

Ad *3tium.* Affirmative

*3*⁰. — Retractantur ex utraque parte (f. 16) quaecumque occasione litium et praetensionum super administratione, tam spirituali, quam temporali utriusque dioeceseos ab ipsis Partibus vel earum Agentibus et Procuratoribus, contra alterius honorem, famam, existimationemque, tam in Iudicio quam extra dicta, prolata vel scripta fuisse constaret; eaque ab actis publicis ac privatis deleri mandantur; sine praejudictio tamen jurium utrique partium competentium super praetensis resarcitionibus damnorum, de quibus in sequenti articulo cavetur.

Ad *4tum.* Affirmative.

---

[200] Concordia haec tandem aliquando die 20 Martii 1773 a Sede Apostolica approbata fuit; cfr. *Documenta Pontificum*, vol. II, pag. 229, nr. 808.

[201] In prima serie. « Ad 1mun, 2dum » etc. agitur de verbis Metroplitae; in alia vero serie: « 1 , 2 , 3 etc. » sunt verba Nunttii; cfr. textum Concordiae in *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 229-233.

4º. — Unicuique parti reservantur illaesa et integra omnia et singula jura et actiones (si quae vel quas habent) ad agendum in Iudicio contra alteram pro resarcitione damnorum et violentiarum (si quae vel quas aut se sustinuisse praetendat) tam in personis propriis, quam pro Officialibus et curialibus aulicis ceterisque alterius partis servitio addictis, nec (f. 16v) non pro quibuscumque aliis interesse habentibus; tam occasione administrationis spiritualis vel temporalis ab Ill.mis et Rev.mis Coadjutoribus susceptae, quam occasione revindicationis et occupationis secutae ex parte Ill.mi et Rev.mi Metropolitani, super quibus omnibus primum concordia procurabitur amicabiliter; qua non secuta, unus Judex Compromissarius nominabitur ab Ill.mo et Rev.mo Metropolitano, alius vero ab Ill.mis et Rev.mis Coadjutoribus, qui ambo Judices Compromissarii debeant in termino 4 mensium a die nominationis computandorum, et nullo modo ulterius prorogando, suum laudum vel arbitramentalem sententiam pronunciare. Iis vero, vel non plenarie et uniformiter in omnibus et singulis punctis concordantibus, vel intra praedicti temporis spatium suum arbitrium seu sententiam non proferentibus, tunc totum negotium devolvetur ad judicium (f. 17) Sacrae Nuntiaturae Apostolicae, quae summarie, simpliciter, de plano, ac omni appellatione remota (quia sic inter partes facta specialiter et expresse conventio), ad finalem sententiam procedet.

Ad *5tum*: Paragrapho: In qua redditione: Quoniam Decreto Sacrae Congregationis, ob solam nonnisi absentiam IIll.mi Metropolitae (quae facta fuit) data Ill.mis Coadjutoribus et concessa extitit administratio, ad quam sine omni requisitione Ill.mi Metropolitae, quinimo ultronee et violenter se ingessisse, proinde nulli proventus nullaque bonorum emolumenta, prout sentit Ill.mus Metropolita, ipsis debentur. Ad tollendam ambiguitatem, et isthic obvenientes controversias, petit Ill.mus Metropolita ut ex hoc puncto removeantur, et doleantur verba « in adjudicatione proventuum, unicuique partium competentium ».

5º. — Reservat sibi Ill.mus et Rev.mus Metropolita actionem adigendi Ill.mos et Rev.mos Coadjutores ad reddendam rationem administrationis bonorum temporalium ad easdem Mensas spectantium, nec non proventuum ab ipsis perceptorum vigore decreti Sacrae Congr.nis de Propaganda Fide editi die 28 Augusti anni 1768. In qua quidquid investigationem redditum perceptorum concernunt, eadem servabitur methodus quae supra num. 4 est expressa. Quoad vero eorundem adjudicationem vel divisionem, si quae fieri debeat, unaquaeque partium se submittit judicio Excell.mi Nuntii, qui similiter procedat ut supra num. 4º.

Ad *6tum*. Submissive.

6º. — Cum Ill.mus et Rev.mus Metropolita propter labores hucusque susceptos, et ob gravem suam aetatem, nec non valetudinis incommoda vix se sufficere in (f. 17v) posterum credat regimini utriusque dioeceseos, multoque minus eas personaliter (ut decet et canonicae nec non Zamosciensis Synodi sanctiones praescribunt) visitare, eosdem suos Coadjutores in partem sollicitudinis suae pastoralis ex nunc vocare constituit. Proindeque, reservata sibimet

ipsi suaeque propriae administrationi ea dioecesis Metropolitanae parte, quae totum Magnum Ducatum Lituaniae comprehendit, reliquam, quae nempe per Ukrainam ac Palatinatum Braclaviensem aliasque adiacentes regiones protenditur, committit et assignat Ill.mo et Rev.mo D. Szeptycki Episcopo Leopoliensi cum plena, libera et absoluta ac irrevocabili administratione spirituali. Pari quoque modo et forma Ill.mo et Rev.mo D. Mlodowski Ep.po Brestensi regendas et gubernandas ac administrandas committit et assignat dioeceses sibi invicem unitas Vladimiriensem et Brestensem. (f. 18) Ad quem effectum Ill.mus et Rev.mus Metropolita patentes dictarum respective administrationum literas iisdem modo, forma, facultatibus, conditionibus, et clausulis, quae in aliis Vicariatus literis, die 20 Decembris 1767 expeditis, continentur, a se ipso subscriptas, tradet et deponet infra tres dies in manus Excell.mi et Rev.mi D.ni Nuntii Apostolici, publicandas deinde et executioni demandandas tempore ipsi beneviso, postquam tamen praesens Concordia fuerit beneplacito Summi Pontificis roborata et confirmata.

Ad *7mum*. Affirmative. — Eo nisi superaddito, ut in causis via appellationis devolvendis, reservetur jurisdictio Ill.mo Metropolitae. Quo vero ad Patentes Administrationum Vicariatus literas sub die 20 Decembris 1767 anno emanatas, cum contextum earundem memoria Ill.mi Metropolitae jam non comprehendit, earundem communicationem exposcit, et praeventive rogat, ut penes jura sua Metropolitica conservetur. — *NB*. Totum id pertinet ad articulum 6tum.

7°. — Idem tamen Ill.mus et Rev.ms Metropolita reservat sibi plenam et liberam administrationem et curam bonorum temporalium utriusque Mensae, quocumque nomine censeantur, et ubicumque sita sint; quorum redditus in sui usum ac in utilitatem Ecclesiarum suarum ad normam canonicarum sanctionum, fideliter (f. 18v) procurare ac administrare promittit. Eorum statum hodiernum per Commissarium suum cum Commissario ab ipsis Coadjutoribus designando, describi quam primum curabit, intra 4 mensium spatium a die publicatae administrationis suorum Coadjutorium; de quibus duo similia Inventaria, suo et Commissariorum praedictorum juramento firmata, legaliter conficientur, quorum unum, etiam a respectivo Coadjutore subscriptorum Ill.mus Metropolitanus apud se retinebit, alterum vero Ill.mo Coadjutori, ad quem spectabit, tradet et reddet. Eaque Ill.mus Metropolitanus ut quotannis ad instantiam suorum Coadjutorium renovare minime detrectet.

Ad *8vum*. Quoad Cathedraticum affirmative, sine tamen auctione ejusdem ultra specificatam summam 4/m. Florenorum Polonicalium ex utraque Dioecesi fieri solitum, ne Clerus gravetur, et opprimatur. Quo vero ad exdivisionem bonorum in summa 11/m. Florenorum Polonicalium annui proventus efficientium, Ill.mus Metropolita reponit: Dictam aasignationem esse aliquomodo superfluam ex eo, quod Dioecesis Vladimiriensis et Brestensis non sint tam amplae et litigiosae, ut Dioecesis (f. 19) Metropolitana, dissitissima et litigiosissima. Habita enim ratione in articulo nono assignationis Ill.mo Szeptycki, Metropolita credit satis esse pro Ill.mo Mlodowski ex bonis summam 6/m. Florenorum Polonicalium, ipsamque sufficere. Proinde ultra Cathedraticum cedent eidem Villarum Karasin, Karpilowka, et Slobychowa, quae important

6/m. Florenorum Polonicalium. Divisione vero hujusmodi et assignatione si minus contentus foret Ill.mus Mlodowski, ex tunc Ill.mus Metropolita in parato peculio summam eandem quolibet anno inchoative offert se realiter exsoluturum. Residentiae vero assignat locum in supra expressis Villis. (f. 18v)

8°. — Quia vero monet Apostolus, eum, qui Altari inservit, de altari vivere, volens Ill.mus et Rev.mus Metropolita Coadjutoribus suis sese etiam liberalem exhibere, sponte dimittit Ill.mo et Rev.mo D. Mlodowski, praeter obventiones illas, quae ex actuali exercitio jurisdictionis, tam (f. 19) contentiosae, quam gratiosae per universam Brestensem et Vladimiriensem Dioecesim provenire possunt ac debent, etiam Cathedraticum assignat, quod Sacri Canones Episcopis permittunt, ut annuatim a subiectis sibi Presbyteris exigant. Quia vero dicta Cathedratici exactio vix, si etiam plenarie fieri posset, ad summam 4/m. Florenorum Polonicalium ascendet, nec etiam aequum est, quod calamitosis hisce temporibus Clerus hujusmodi exactione praeter vires suas gravetur, ideo Ill.mus et Rev.mus Metropolita summam decem millia Florenorum Polonicalium in parata pecunia quotannis (ad rationem nempe 2500 singulis trimestribus posticipate) se soluturum promittit, vel si Ill. Coadjutori magis placuerit, tot villas ad Mensam Vladimiriensem spectantes, et suo Coadjutori vel ejus residentiae magis commodas et vicinas, ex quibus, aequa aestimatione facta et judicio Excell.mi Nuntii absque ulteriori recursus aut appellationis remedio approbanda, possit tam in rebus quam in pecuniis summam decem millia Florenorum similium quotannis percipere, administrationi et curae ejusdem Coadjutoris inevocabiliter committet, ut idem Ill.mus Coadjutor (f. 19v) possit necessitatibus suis commodius consulere et providere. Haec autem Villarum designatio, quatenus loco assignationis pecuniariae adoptetur, fieri debebit statim a publicatione literarum Administrationis spiritualis, et judicio et auctoritate Exc.mi Nuntii confirmari; adeo ut ab eo die in potestatem Coadjutoris transeant una cum fructibus pendentibus et inexactis, absque eo quod pro expensis et laboribus antea factis aliquid vel minimum praetendere possit Ill.mus Metropolita.

Ad *9num*: Affirmative quoad 9, ad assignamentum 15/m. Florenorum Polonicalium. Residuitas vero Cathedratici exsolvantur ad manus ipsiusmet Ill.mi Metropolitae, qui eam expendet in reparationem Ecclesiarum, in Patronos et Procuratores Causarum, etc.

9°. — Pari modo Ill.mus Metropolita Ill.mo D. Szeptycki pro suo assignamento, praeter obventiones ex jurisdictione contentiosa et gratiosa in parte diaeceseos sibi commissae provenientes, etiam exactionem Cathedratici committit, quod felicioribus annis 25/m. et amplius florenos ascendebat; hac tamen adjecta conditione, quod (f. 20) ipse pro suo congruo assignamento 15/m. Floren. dumtaxat sibi referret; reliquam vero summam in tuto loco et apud fidam personam deponat, non inde amovendam, nisi ex dispositione Illustrissimi Metropolitae qui pro eo, quo flagrat, zelo erga Ecclesiam sibi commissam nequaquam vult eos in usum proprium derivare aut convertere; sed omnino ex nunc consecrat et devovet bono et utilitati Ecclesiarum suarum,

expendendos nempe in processibus vel continuandis vel incipiendis, pro reparatione bonorum Ecclesiarum praedictarum, pro stipendiis Agentium et Procuratorum ubicunque existentium, vel pro aliis utilibus seu necessariis causis inter D. Metropolitam et unum vel alterum ex suis Coadjutoribus, in ea re interesse habentem, concordandis et judicio Excell.mi Nuntii approbandis. Ad *10mum*: Affirmative, nempe assignatur residentia Radomysl, absque participatione fructuum quorumvis ex praedictis bonis.

10$^{\text{o}}$. — Praeterea ut idem Ill.mus et Rev.mus D. Coadjutor Szeptycki visitando diocesim sibi commissam habeat domum aptam et congruam, in qua residentiam figere possit, Ill.mus st Rev.mus D. Metropolita assignabit ei domum et locum ad dictum (f. 20v) effectum idoneam, nempe domum Metropoliticam de Radomysl nuncupatam, absque tamen perceptione fructum et redditum ex adnexis bonis provenientibus. Eidem tamen dimittit ac cedit bona dicta Barachty, iam per decretum recuperata vel recuperanda, si quae tamen aliae expensae in eam causam essent faciendae, relinquuntur arbitrio et oneri Ill.mi Coadjutoris.

Ad *11 mum*: Affirmative. Demum reservat sibi Ill. et Rev. Metropolita omnia jura etiam honorifica suae Metropoliticae jurisdictionis in litteris patentibus Vicariatus enunciatis superius sub die 20 decembris anno 1767 expressa, et nunc in novis litteris Administrationis spiritualis iurum exprimendis.

11$^{\text{o}}$. — Postquam unaquaque Partium contrahentium huic Concordiae, pro suo peculiari interesse, consensum praestiterit, eamque sua subscriptione firmaverit, ejus effectus in suspenso habeantur, donec constet de Serenissimi Regis satisfactione, et Sancta Sedes Apostolica beneplacitum et approbationem necessariam impertiri dignata fuerit.

Actum Varsaviae die... Novembris anno 1772.

148.

Varsavia, 2. XII. 1772.

Refert de rebus gestis in causa pacificationis et concordiae inter se ipsum et Coadiutores Metropolitae et Eparchiae Volodimiriensis: de adventu Varsaviam de articulis concordiae firmatis, et de persecutionibus Unitorum in Ucraina ex parte moscovitarum.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 835. f. 104rv.

Eminetissimi et Reverendissimi Domini, Domini, Protectores Singularissimi.

Post illam, quam Vladimiria dederam ad Eminentias Vestras Epistolam, praesentem mitto nuntiando quod devote obediens mandatis Sanctae Sedis Apostolicae Varsaviam tandem me contuli, vocatus per Ex.mum D. Garampi in hoc Regno Nuntium Apostolicum, ut officia, et obsequia mea Serenissimo Regi personaliter exhiberem, atque redintegratus ad normam Decreti Eminentiarum Vestrarum, adhuc anno 1770 die 2 Aprilis editi ac a SSmo Domino Nostro confirmati, in pace Regimini mearum Ecclesiarum, et Provin-

ciarum applicare me possem. Statim tamen ac huc veni, porrecti mihi fuerunt articuli concordiae quos subscriptione manus roborare debui, primum quam licuit accedere Majestatem Regiam; in his cassatur quidem illa complanatio de anno 1768 facta, at non minus ut primum tollitur mihi jurisdictio tam Metropoliae, quam Episcopatus Vladimirien. ac Bresten., reservata dumtaxat illa parte Metropolitae, quae limitibus Magni Ducatus Lithuaniae comprehenditur; Pensio Coadjutori Episcopatus Vladimirien. 10000 Flor. Poll. quotannis solvenda designatur, praeter Cathedraticum utrique respective Coadjutori reddendum ac obventiones provenire solitas ex exercitio jurisdictionis contentiosae, et gratiosae sunt et alia similia, quae ex adnexa copia Eminentiis Vestris patebunt. Sed si ita stare haec debuissent redintegratio illa mihi pollicita, ignoro quo pacto sustineri valuisset cum aperto ludibrio auctoritatis Congregationis, Majestatis Pontificis, et mei oppressione gravissima. Cum itaque haec non prius effectum suum sortiri debeant, ac Beneplacito Apostolico firmentur, Eminentias Vestras exoro humillime, non permittere me ex nunc expoliari auctoritate, et jurisdictione Pastorali, aut si id fieri aliter non potest, saltem curam meam non uno Lithuaniae Ducatu sinere coarctari, sed ad Kijoviensem quoque Archidioecesim, et Vladimiriensem Episcopatum protendi, reliquis partibus, nempe Palatinatu Braclaviensi Metropolitae, Brestensi vero dioecesis Vladimiriensis Coadjutorum Administrationi commissis.

(f. 104v) Non omitto hic alias quoque animi mei afflictiones Eminentiis Vestris referre, quae proveniunt ex persecutionibus acerbissimis Catholicorum Unitorum in Ukraina, ubi per submissos a Schismatico Episcopo Pereaslaviensi omnibus modis opprimuntur Uniti;[202] Parochi caeterique Presbyteri, et Ecclesiastici aut expelluntur, aut per exercitum Moscorum in captivitatem abducuntur, idque in dies crescit numerus eorum, nec malo remedium suppetit, cum Schismatici tanta protectione suffulti potentes sunt adversus nos, singula in luctuosis praesentibus circumstantiis quaeque volunt exequi. Ego in illis partibus pro virili meo semper retundere schismaticorum incursiones curavi, nec multo magis modo ab hoc desistere volo, si in jurisdictione permaneam, quod spero Beneficium, et mihi polliceor a summa Eminentiarum Vestrarum in religionem pietate et iustitia et interim omni cum cultu, reverentia et veneratione maneo

Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum

---

[202] Agitur de notis persecutionibus Unitorum in Regione Ucrainensi, praesertim in Palatinatu Kioviensi et Podoliae, connivente et cooperante exercitu moscovitico. De his cfr. alia quamplurima documenta in praesenti volumine et sequenti, nec non in vol. VIII, ubi inveniuntur epistolae Jasonis Smogorzevskyj.

obsequentissimus et humillimus Servus ex Exorator
F. Wolodkowicz, Archi-Episcopus, Metropol. totius Russiae
Datt. 1772, die 2 Men. Decemb. Varsaviae.

149.

Varsavia, 11. XII. 1772.

Iustificat sese de gestis suis, nec non de concordia inita cum Coadiutoribus et petit sanationem actuum forsan invalidorum.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 835, f. 106.
APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, vol. 10, 524-525.

Literae Ill.mi Metropolitae ad SS.mum Dominum, Papam Clementem XIV.

Sanctissime ac B.me Pater, Domine, Domine Clementissime.

Suprema Sanctitatis Vestrae Domini mei Clemntissimi per Excell.mum Dominum modernum in Polonia Nuntium effectuata munitus Protectione, mandatis illis, quae in Epistola Eminentissimi Secretarii Status de 28 Aug. 1770. continebantur, et Decretum Redintegrationis meae in suspenso tenebant, libentissime et in integro satisfeci, cum posthabitis omnibus aetatis, valetudinis, itineris, ac tempestatis incommodis, Varsaviam veni, Serenissimumque Regem Nostrum pro facienda reconciliatione supplex accedi. Si ergo serius quam debui mandata Sanctitatis Vestrae adimplevi, quae tamen semper profundissima veneratione prosequutus fui, circa amplexum Sacrorum Pedum Sanctitatis Vestrae veniam exposco. Si quid praeterea per assumptam a me temporalium administrationem iisdem Sanctitatis Vestrae mandatis contraveni, si quae in administratione spirituali utriusque Dioeceseos ante redintegrationem meam minus licite, vel minus valide fortasse acta, vel gesta, quae tamen non absque bona fide a me acta vel gesta fuere, eadem omnia humillime rogo Sanctitatem Vestram ut Apostolica Sua benignitate et auctoritate, ad majorem securitatem conscientiae tum meae, tum aliorum quorum interest, absolvere et respective sanare, nec non rata habere dignetur. — Jam vero quae mediantibus Excell.mi Domini Nuntii cura, et officiis libens subscripsi, pro majori tranquillitate dierum vitae meae, hucusque per multos labores et afflictiones satis pressae, cum DD. Coadjutoribus meis concordata et conventa, approbare a Sanctitate Vestra postulo. Maximas interim reddendo gratias Sanctitati Vestrae pro sollicitudinibus et studiis, quae Excell.mus Nuntius in hanc Causam provide impendit tum in post me Dioecesesque meas, satis nunc, praecipue in Ukraina a Disunitis oppressas, amplissimae Sanctitatis Vestrae commendans Protectioni, ad Pedes ejus provolutus, obsequentissimo cultu maneo

Sanctitatis Vestrae Domini mei Clementissimi
obedientissimus Filius et Exorator
Felicianus, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae
Die 11/Xbris 1772. Varsaviae.

150.

Varsavia, 12. XII. 1772.

Textus et conditiones commissionis iurisdictionis Vicarii Generalis in Eparchia Volodimiriensi concessae Episcopo Coadiutori, Antononino Mlodowskyj.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 835, f. 96-98v.
APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, vol. 10, fol. 580-586 (copia)

Felicianus Philippus Wolodkowicz, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archi-Episcopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis, Abbas Kijovo-Peczarensis.

Illustrissimo et Rev.mo Domino Antonino Strus Mlodowski, Episcopo Brestensi, Vladimiriensi autem cum futura successione Coadjutori nostro salutem.

Pastoralis Offlcij onus,[203] Angelicis etiam humeris vere formidandum, ed Apostolicae Sedis mandato, a quadraginta duobus annis, licet immerite, ad haec tempora, pro possibili gerinus; quod cum, ingravescente aetate, totque annorum laboribus attrita valetudine, non amplius, absque nostro graviori incommodo, propriis viribus ferre valeamus, cumque jurisdictionis Nostrae exercitium per complures invicem a se dissitas Provinciae extendi, rerumque difficultates magis magisque indies augeri perpendamus, optimo consilio in eam descendimus sententiam, ut Cleri et Populi curae Nostrae praecommissi salute in tuto collocata, propriae quoque valetudini sufficienter provideamus. Ad aequiorem sententiae ejusmodi executionem, tutior non remanet Nobis via, quam ut pro antiquiori desiderio Nostro, curam et solicitudinem Pastoralem in effectu jam committamus Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae. Quam proinde in Generalem universae Dioecesis Nostrae Vladimiriensis quoad spiritualia Administratorem Vicarium et Locum tenentem nostrum absque ulteriori dilatione, deputandam, aligendam et Constituendam esse duximus, veluti remoto ante omnia Vicario Generali nostra hactenus authoritate deputato, praemissa matura deliberatione, deputamus, eligimus, et constituimus, atque in ipsam omnia Pontificalium, et jurisdictionis Nostrae ordinariae et delegatae jura, libere et sponte, in Dei Omnipotentis nomine Presentium tenore, et ex animo transfundimus; cum plena libertate, ampla et generali administratione, ac potestate omnes (f. 96v) et singulas causas, lites, quaestiones, et controversias Beneficiales, Matrimoniales, Prophanas, Criminales, Spirituales, Temporales, et Mixtas, ac quascunque alias etiam similes, inter quascunque Personas Ecclesiasticas, et Saeculares, Collegia, Conventus, Oppida, et Universitates, etiam contra exemptos Clericos Saeculares, sive Regulares extra Claustra degentes, quacunque ratione, titulo vel occasione hactenus exortas, et quae inposterum exoriri poterunt, ac quarum cognitio ad nos de jure, consuetudine, vel alia

---

[203] Textus hic similis est textui anno 1767, die 20 Decembris exarato; cfr. supra.

quavis ratione, et quocunque Privilegio, etiam ex dispositione Canonica, etiam tanquam Sedis Apostolicae delegatus (: quas omnes et singulas hic pro sufficienter expressis haberi volumus :) et quoscunque alias tum principales, quam incidentes, quomodocunque devolutas, ac in posterum devolvendas, dictae autem Vladimiriensi Dioecesi spectantes et pertinentes audiendi, cognoscendi, decidendi, debitoque fine terminandi, ac in illis tam per viam accusationis, denuntiationis, aut inquisitionis, ad instantiam Partis, etiam privatae personae seu Procuratoris Nostri Fiscalis, aut quarumcunque Personarum, quam etiam ex officio, quae nostrae subjacent jurisdictioni, et in quibus jus nobis competit, procedendi, ac procedi faciendi, nec non agendi, inquirendi, judicandi, sententiandi, puniendi, mulctandi, incarcerandi, ac omnia et singula alia faciendi et exequendi, tam contra Clericos Saeculares, quam alias quascunque etiam exemptas, ac privilegiatas Personas, etiam honorariis quibuscunque titulis insignitas et decoratas, quae ad nostram spectabit jurisdictionem, et in quibus, quoad dictum Officium, tam de jure quam de consuetudine, etiam ex Privilegio, et dispositione Canonica, vel alias quomodocunque, quandocunque et qualitercumque pertineant, delinquentesque ipsos perpetuo vel ad tempus, secundum quantitatem et qualitatem excessus seu delicti, ab eorum Officiis seu Beneficiis suspendendi, et interdicendi, privandi, ac etiam dispensandi, et poenas commutandi, revocandi, et mitigandi, ac moderandi; Quascunque etiam Ecclesias et Monasteria, Seminaria, Xenodochia, aliaque loca, Populum ac Personas ratione dictae Dioecesis Nobis subditos et subdita, per se, vel per alios ad id omnino idoneos, visitandi, corrigendi, et reformandi tam in capite quam in membris, toties quoties opus fuerit, et prout juris ordo, et Canonica dispositio, (f.97) atque legitima consuetudo dictaverit; Personas ad statum Ecclesiasticum aspirantes deligendi, examinandi, eisdemque literas ad jurispatronos testimoniales et commendatitias dandi, ad ordines minores, et sacros majores, servatis servandis, promovendi; Ordinationes etiam dispensatis, si recta postulaverit ratio, interstitiis, faciendi, Ecclesias, Capellas consecradi, et alia omnia Pontificalia in universa Vladimiriensi Dioecesi Nostra exercendi, ac licentiam Pontificalium aliis Episcopis, et viris usum Pontificalium legitime habentibus, intra eandem impertiendi. Damus praeterea plenam et omnimodam potestatem dignitates, Officia, ac omnia et singula Beneficia Ecclesiastica quaecunque cum cura, vel sine cura, secularia vel Regularia, etiam de novo creata vel creanda, vacantia vel vacantura, quae ad Collationem, Provisionem, Praesentationem, Electionem, Institutionem, Confirmationem, quamcunqe alterius generis dispositionem Nostram, de jure, consuetudine, vel quovis alio titulo communiter vel divisim pertinet, et jure tam proprio, quam devoluto, auctoritate Apostolica, vel alia quavis potestate, a jure communi vel speciali nobis concessa et quomodocunque spectantia, Personis tamen alias idoneis, ac praevio debito examine, ad formam Sacrorum Canonum, approbatis, conferendi, et de illis providendi et commendandi, atque Personas nominandas, presentandas, et eligendas ad hujusmodi Beneficia, servatis servandis, instituendi, et confirmandi, prout melius de jure vel consuetudine, statuto, sive Privilegio, ac

Constitutionibus, aliisque modis pertinet, et pertinere poterit quomodolibet. Insuper Rectores ad curam animarum idoneos deputandi, ipsamque curam eisdem committendi, ipsosque ad hujusmodi Beneficia institutos pro more admittendi, et ab aliis induci mandandi, atque etiam Beneficia uniendi; Resignationes ex causa permutationis, vel simpliciter faciendas de quibuscunque Beneficiis ac Officijs, a quibuscunque Personis recipiendi, ac admittendi, sicque resignata aliis conferendi; Literas quascunque commendatitias, testimoniales, dimissioriales, etiam sine reditu, tum quoque ad omnes etiam Sacros Presbyteratus Ordines, Personis dignis, servatis servandis, concedendi. Testamenta, Codicillos et ultimas voluntates, prout de jure approbandi, et in eis ac aliis contractibus quibuscunque authoritatem ordinariam interponendi. Censuras (f. 97v) Ecclesiasticas ferendi, excommunicatos, suspensos, et interdictos a jure, in casibus Nobis permissis, absolvendi, super denuntiationibus seu Bannis ad contrahendum Matrimonium, ex causa legitima dispensandi, illis tamen ante Matrimonij consumationem, ad formam Literarum Apostolicarum novissime editarum, proponendis, Matrimonii autem contractum tempore prohibito permittendi, absente autem vel legitime praepedito, aut magis moroso proprio Parocho alium Presbyterum in Literis substitutionis, de nomine et cognomine specificandum, ad assistendum Matrimonio ex gravi et legitima causa substituendi, a casibus quibuscunque Sedi Nostrae reservatis absolvendi, et aliis Confessariis facultatem absolutionis delegandi. In irregularitatibus tamen nonnisi occultis Nostraeque jurisdictioni spectantibus dispensandi, licentiam ingrediendi Monasteria Monialium in casibus, et pro Personis a jure designatis concedendi, Congregationes Dioecesanas indicendi, iisque praesidendi, aut Praesidem in sui locum deputandi; vacantium Beneficiorum Administratores, Oeconomos, et Commendatarios deputandi, hosque revocandi. Coadjutores Rectoribus Parrochialium imperitis et infirmis dandi; Fundationes novas etiam Beneficiorum quorumcunque cum juris Patronatus praeservatione Fundatoribus, locationesque Bonorum vulgo Arendas, servatis de jure servandis, approbandi, admittendi; pias testatorum voluntates exequendi, easque in casibus, prout de jure, commutandi, post intestatos Clericos, servatis de jure servandis, disponendi; summas Ecclesiarum, Beneficiorum, Monasteriorum, et piorum censuales ad effectum deportandi, et in alia Bona transferendi, consensum praebendi. In alienationibus tamen, ad formam SS. Canonum, auctoritatem et Decretum interponendi, Literas Monitoriales in forma « Significavit », prioribus deperditis et clam subtractis concedendi; clericos ad testimonium coram quovis judicio saeculari, non tamen in causis criminalibus, nec contra Personas Ecclesiasticas perhibendum dispensandi. Supplicationes publicas extraordinarias pro aliqua gravi necessitate indicendi. Literas Apostolicas Nobis directas seu dirigendas aperiendi et exequendi, Indulgentiasque a Sede Apostolica in perpetuum vel ad tempus concessas aut concedendas admittendi; voluntatem Puellarum habitu (f.98) religioso vestiri sive Monasticam vitam profiteri cupientium explorandi; Confessarios saeculares, sive Regulares etiam Monialium examinandi, ad tempus approbandi, et faultatem eis concessam

ex causa revocandi; contionatores aprobandi, eosque legitima ex causa suspendendi. Facultatibus a Sede Apostolica Nobis omni quinquennio concedi solitis utendi, easque Presbyteris, praecipue curatis, ad tenorem earundem facultatum, prudenter communicandi; libros imprimendos vel reimprimendos, praevia Theologorum censura, approbandi; actuarios, defensores causarum Matrimonialium, Promotores Fiscales, Vicarios Foraneos, Decanos, vice-Decanos, cleri Examinatores et Instructores, ac reliquos quoscunque ad rectum Dioecesis regimen necessarios Ministros, toties quoties opus fuerit, constituendi, eosque amovendi, immo etiam cum simili vel limitata potestate unum vel plures in suum locum substituendi, et pro libitu destituendi, aliaque omnia super premissis necessaria faciendi, gerendi statuendi, ordinandi, et exequendi; quae vero legitimi Generales in spiritualibus, Administratores, Vicarij, Officiales, Locumtenentes tam de jure, quam de consuetudine facere, ordinarie statuere possint, ac debeant, et quae tam ad voluntariam, quam ad contentiosam jurisdictionem, et ad forum sive judiciale, sive penitentiale spectant, et pertinent, alias ea universa, sub nomine et sigillo propriis, sub expresso tamen Administratoris nostri Generalis titulo gerendi et faciendi, quae nos ipsi, tam de jure, quam de consuetudine facere et gerere possemus, quaeque etiam speciali indigerent mandato, dum modo non sint sequentia, que nobismet ipsis mature et solemniter reservamus: Videlicet, licentiam fundandi de nova radice utriusque sexus Monasteria, reformandi Tabellas Catedratici olim stabilitas, immutandi pensiones pro Dioecesanorum Ministrorum sustentatione, ex antiquo constitutas, subsidia charitativa exstraordinaria a Clero petendi et exigendi, Clericos in Sacris positos solemniter degradandi, Antimensia et Olea consecrandi, publicas indulgentias largiendi, causas super Regularium sive professione sive appellatione cognoscendi, consuetamque Sedi Apostolicae de statu dioecesis Nostrae relationem transmittendi. In quibus taliter reservatis ad nos immediate Ill.ma et Rev.ma Dominatio Tua recurrere Nobisque quolibet anno exactum Dioecesis nostrae relationem in scriptis transmittere omnino (f. 98v) tenetur. In reliquis autem omnibus et singulis, etiamsi specialiter hic non sint enuntiata, dummodo ex jure et consuetudine Vicariis Generalibus recte competant, neque inter modo reservata inaudiantur, semel pro semper, omnem plenam nostram in spiritualibus potestatem et jurisdictionem ordinariam aeque ac delegatam Ill.mae et Rev.mae Dominationi Tuae damus, concedimus et impertimur, ad vitae Nostrae tempora, quin unquam directe aut indirecte eandem interturbare, immutare aut quoque modo revocare valeamus. Proinde Universo Dioecesis Nostrae Vladimiriensis Clero ac Populo, in virtute Sanctae Obedientiae mandamus, quatenus Ill.mam et Rev.mam Dominationem Tuam prompto, ac benigno ubique recipiant animo ac pro vero et legitimo Vicario, Officiali, et Locumtenente Generali Nostro recognoscant, Tibique in omnibus, juxta praemissa, obediant, et assistant. Promittentes omnia et singula ipsius dicta, acta, gesta pro rato, grato, firmo semper habere, tenere, et inviolabiliter servare. In quorum fidem Praesentes manu Nostra subscripsimus, sigilloque proprio communiri jussimus.

Datum Varsaviae, in Palatio Nostro, die 12 Mensis Decembris, 1772 anno.

FELICIANUS, Archi-Episcopus Metropol. totius Russiae etc... Episcopus Vladimirien. etc. etc...

151.

Bresta, 23. XII. 1772.

Fausta quaeque ominat Nuntio Apostolico et donum transmittit occasione festivitatis Natalis Domini.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 282.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Patrone Colendissime.

Ad solemnes Natalium Christi Domini dies obsequiosissima Illustrissimae Excellentiae Vestrae exhibere vota quandoquidem officii mei est, ita sincerrimo corde eidem a Christo Domino precor felices successus, altissimos in Ecclesia Dei honoris gradus, vitamque incolumen et diuturnam. Haec tam ardentissime effectuata esse cupio, quam protectioni nunquam desiturae me commendans, vere indefesso studio maneo.

Illustrissimae Excellentiae Vestrae Benefactoris et Protectoris singularissimi servus humillimus

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Archiep. Metropol. t.R.

Datum Brestae 1772, die 23 Decembris.

Donum Festivale, Polonico idiommate koleda nuncupatum, supplico humillime quatenus libenti animo ab Excellentia Vestra suscipiatur.

152.

... 1772.

Exponit statum causae cum Coadiutoribus suis in Metropolia et Eparchia Volodimiriensi ad informationem novi Nuntii Varsaviensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 21-22.

Status Causae[204]

Ill.mi Excell.mi et Rev.mi Domini Feliciani Philippi Wolodkowicz, Archi-Episcopi Metropolitani Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Episcopi Vlodimiriensis et Brestensis, Abbatis Kijovo-Peczarensis, contra suos Coadjutores Ill.mos et Rev.mos Leonem Szeptycki Episcopum Leopoliensem, Metropoliae et Antoninum Mlodowski Episcopatus Vlodomiriensis et Brestensis motae et terminandae.

---

[204] Expositio huius status causae forsan prima medietate huius anni 1772 exarata fuit, in praevisione pertractationum de concordia ineunda, quae e novo Nuntio Apostolico promovebatur.

Ill.mus et Rev.mus Felicianus Philippus Wolodkowicz Archi-Episcopus Metropolita totius Russiae, Episcopus Vlodimiriensis et Brestensis continuis precibus DD. Coadjutorum ad praesens suorum, Leonis Szeptycki Leopoliensis et Antonini Mlodovski pro tunc Turoviensis Episcoporum, exoratus praeviis Magnatum Regni Poloniae instantialibus per praememoratos Episcopis procuratis, assumpsit eosdem in Coadjutores suarum respective Ecclesiarum, cum futura post mortem suam successione, ita tamen, ne in vita sua utrique Coadjutori ad aliquam solvendum pensionem ex bonis aut peculio obligatus sit.

Hanc clausulam et conditionem pro nunquam mutanda, non modo DD. Coadjutores sunt amplexi, verum etiam et scriptum suum reversale in manus Ill.mi D.ni Metropolitae dederut, *ut testatur manifestatio coram Notario Apostolico ab Ill.mo Metropolita in Sereja anno 1768, die 3 Novembris facta.*

Praemittendum est, ante aliquot annos Ill.mos praedictos Coadjutores assumptos esse. Hi diuturnioris (Deo sic disponente) vitae sui Ill.mi Coadjuti pertaesi, dum idem Ill.mus D. Metropolita sub tempus Comitiorum, bonum Sanctae Unionis promoturus, Varsaviam advenerat, stante quarumvis rerum perturbatione, Fideique S. nec non Unionis labefactatione, Domini Coadjutores incitarunt contra Ill.mum Metropolitam nonnullos Regni Magnates, ut illis cederet in spiritualibus Jurisdictionem, in temporalibus autem ex bonis quartam partem quorumvis proventuum.

Huic quidem praetensioni renuit primo Ill.mus Metropolita, sed cum non tam fortissimae persuasiones, quam potius (si ita fas est loqui) violentissimae minae intervenerunt pro Ill.mo Metropolita aut captivando et ad exoticas Nationes traducendo, aut Varsavia non dimittendo, nisi ratificaret et subscriberet puncta alias pacta per Ill.mos DD. Coadjutores, facta ad effectum obtinendae aut verius extorquendae quartae partis ex temporalibus, et jurisdictionis in spiritualibus, et ad haec accessit tragicum exemplum sequestrationis Cracoviensis et Kijoviensis Episcoporum, tum Ducis et Legati, per exoticam potentiam perpetratae, his circumstantiis perhorrefactus et circumclusus Ill.mus Metropolita, voluit adire Excell.mum Nuncium Apostolicum, sed haud potuit, ex quo ipsi illuc aditus interdictus fuerat, *prout testatur eadem Manifestatio Serejen.*

Itaque Ill.mus Metropolita videns se non tam rogari, quam potius cogi, et carceratum sequestratumque intrepida manu subscripsit posteritati praejudiciosa, et injuriosissima puncta, sibi per DD. Coadjutores porrecta.

Post quorum subscriptionem quam primum Ill.mus Metropolita Varsavia cessit seque ad propriam Dioecesim contulit, illico Curiam Romanam super hoc facto violentissimo a suis Coadjutoribus sibi illato informavit (f. 21v) *proque ejus parte emanavit ab Auditore Camerae Apostolicae inhibitio contra DD. Coadjutores, ne audeant quovis modo in jurisdictionem involare, et proventus aliquos ab Ill.mo Metropolita exigere.*

His stantibus in oris Ukrainensibus excitati sunt exercituum tumultus variique rumores, ex quibus Ill.mus Metropolita saluti suae providendo in Archi-

dioecesim Metropolitanam suam per Magnum Ducatum Lithvaniae vastissime extensam se contulit, eamque personaliter visitando, curis Pastoralibus praeoccupatus distrahebatur, ut obloquuntur *testimonia Ill.mi Zabiello, Venatoris Supremi Magni* Ducatus Lithvaniae, Perillustris *Rev.mi D. Modzolewski, Officialis Generalis Vilnensis et attestatio Supremi Judicii Tribunalis Magni Ducatus Lithvaniae.*

De hoc abscessu notificati Ill.mi DD. Coadjutores, effigurant coram Sancta Sede Apostolica Ill.mum Metropolitam, Coadjutum suum, relictis Dioecesibus suis extra fines Regni Poloniae abiisse, et nunquam (ut ipsi autumabant) ad Dioeceseos rediturum fore, in eo itaque supposito petierunt sibi extradi administrationem super utraque respective Dioecesi; quam quamvis obtinuerunt, non tamen plenissimam et absolutissimam, sed sub conditione: « si quatenus duraret absentia Ill.mi Metropolitae, et sub obligatione reddendi calculi eidem Ill.mo Metropolitae ex reditibus, postquam redux fuerit ». Haec quoniam ab Ill.mis DD. Coadjutoribus ficta est, idcirco sub conditione iisdem concessa obligatoria administratio haud sustineri et valere potest, juxta juris axioma: *non verificata conditione nihil est in re.*

De hac conditionata administratione ac primum Ill.mus Metropolita rescivit, illico ad S. Congregationem Propagandae Fidei dedit literas totusque Palatinatus Trocensis, Minscensis et alii Magnates Magni Ducatus Lithuaniae Romam scripserunt attestando: Ill.mum Metropolitam neque limites Regni excessisse neque Dioeceses suas orphanas reliquisse, quinimo eas personaliter visitasse, et avulsa bona ecclesiastica recuperasse.

Sed quoniam, Deo sic disponente, vacavit hoc tempore Sancta Sedes Pontificia, idcirco ab Eminentissimis Cardinalibus responsum est, non posse Ill.mi Metropolitae negotium terminari, stantibus etiam Magnatum attestationibus, nisi primo eligatur novus Summus Pontifex, quemadmodum et factum est ita; post hujus enim felicissimam electionem latum est *Decretum per S. Congregationem Prop. Fidei anno 1770, die 2 mensis Aprilis, pro omnimoda reintegratione et reinductione Ill.mi Metropolitae ad jurisdictionem in spiritualibus et regimen in temporalibus.*

Ex hoc Decreto quoniam colligitur: *1mo*: Illustrissimum Metropolitam ac si suas Dioeceses et Ecclesias, juxta sinistre narrata, reliquisset, nunquam reliquisse; *2do*: Illustrissimis DD. Coadjutoribus datam esse administrationem per modum provisionis et in supposito absentiae Ill.mi Metropolitae, non vero aliter haec quoniam ab Ill.mis DD. Coadjutoribus non est deducta et nunquam deduci potest; *3tio*: sequitur administrationem illis sub conditione concessam per totum insubsistet et revocatam esse absque omni clausula; (f. 22) Decretum vero favore reinductionis Ill.mi Metropolitae a Sacra Congregatione Propagandae Fidei prolatum, a SS.mo Domino approbatum, sine ulla clausula, conditione, et limitatione, esse firmissimum, positivum et invariabile, vigore cujus ut jam alias exercuit et hactenus exercet jurisdictionem in spiritualibus, et possessionem temporalium, hoc est mensalium bonorum adeptus est, ita etiam ut plenissimam continuet, retineatque, hujus Tribunalis

Sacri Apostolici justissimum judicium definitivamque exposcit sententiam; et sic litem hactenus ab Ill.mis Coadjutoribus adversus Ill.mum Metropolitam non sopitam et praetensionem effiguratam, finaliter decisam videre cupit.

Illud in se fulmen Ill.mi DD. Coadjutores ante tempus praevidendo, astute et subtilibus minisque modis in confectionem Decreti pro parte Ill.mi Metropolitae reintegrationis per Sacram Congregationem lati, a SS.mo Domino approbati, procurarunt sibi fieri literas ab Eminentissimo Secretario Status ad Excell.mum Nuncium Durini directas, sub eo tenore, quod SS.mus Dominus considerat uti adhuc subsistentem in duobus Coadjutoribus Administrationem etc., ab eodemque relaxari monitorium, ut Ill.mus Metropolita abstineat a quibusvis Actibus Jurisdictionalibus, non obstante etiam eo, quod personaliter reperiatur in Dioecesibus suis. In his itaque Ill.mi DD. Coadjutores ac si in fundamento totum systemma, et illegalem ipsoque facto nullam (ex quo per Sanctam Sedem revocata est) administrationem durare putant.

Quantum vero attinet seorsivam causam contra Ill.mos Szeptycki et Mlodowski, Coadjutores, pro evocatione ad Forum saeculare procurationeque in causa spirituali salvi conductus e Cancellaria Regni in praejudicium jurium canonicorum tum cum solo Ill.mo Mlodowski pro attentatis, violentiis, bonorum invasionibus, spoliationibus etc., seorsive instituendi edocebunt processus.

Supplicatur humillime Suae Excellentiae pro sua solummodo informatione hocce inservire scriptum.

153.

... 1772.

Postulata et conditiones Metropolitae proposita novo Nuntio Varsaviensi in materia pacificationis cum Coadiutoribus suis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 23.

Postulata Ill.mi Metropolitae ad Excellentissimum et Rev.mum Dominum Nuntium Apostolicum.[205]

1.mo. — Nulli Presbyteri ex aliena Dioecesi vocati et vocandi ad aliqua promoveantur Officia Ecclesiastica tam in Archi-Dioecesi Metroplitana, quam Vladimiriensi et Brestensi Diaecesibus, promoti vero ab illis removeantur et ad suas nativas redeant Dioeceses utpote: RR. Prymowicz, Lubinski, et Koronczewski, non prius tamen donec injuriatis per ipsos omnibus satisfactum fuerit.

2.do. — Archiva quaevis et quomodolibet ab Ill.mis Coadjutoribus seu Ill.morum Delegatis literatoria intercepta documenta, restituantur Ill.mo Metropolitano sub nexu juramenti, super totali et plenaria restitutione.

---

[205] Postulata haec, ut videtur, data fuerunt novo Nuntio Varsaviensi Josepho Garampi, dum parabatur s. d. concordia inter Metropolitanum et eius Coadiutores.

3.tio. — Bona omnia tam ad Metropolitanam quam Vlodomiriensem et Brestensem Dioecesum mensam spectantia, non dimittantur Arendatario contractu in possessionem, cum ad maximam ruinam dimissa redundantur, quae nunc cura et sollicitudine Ill.mi Metropolitae sunt restaurata cum insignibus aedificiis.

4.to. — Installati ab Ill.mo Metropolita ad Beneficia curata, ab ipsa administratione Ill.mis Coadjutoribus concessa, penes eadem Beneficia et Officia manuteneantur, praecipue R. Alexander Kizikoski Parochus Horodyscensis et omnia Acta Ill.mi Metropolitae validentur.

5.to. — Capitulum Cathedrale Vlodimiriense, quod ex sua fundatione ad ipsum loci Ordinarium, et ejus jurisdictionem spectare, nullo modo autem jurisdictioni Officialium subesse debet, sit penes Ill.mum Metropolitam. Officiaque et Beneficia ejusdem Capituli ab Ill.mo Metropolita personis meritis distribuantur et conferantur, nullo modo reclamantibus Ill.mis Coadjutoribus, etiam post sua fata Ill.mi Metropolitae.

6.to. — Sint immunes ab omni persecutione et malevolo animo Ill.morum Coadjutorum omnes nunc inservientes Personae Ill.mi Metropolitae tam de Clero, quam Saecularibus.

7.mo. — Homines intercepti in viis publicis per Ill.mum Mlodowski, et illi qui aufugierunt, restituantur Ill.mo Metropolitae absque mora cum omni vestitu, equis etc. et praecipue Zachariaszewicz, Danilewicz; Casaci Szczerbina, Szamray, etc.

8.vo. — Ill.mus Archi-Episcopus Smolenscensis paucam habens suam Archi-Dioecesim, ex qua tamen vigore fundationis p. m. Ss.mi Pontificis Gregorii XIII duo Clerici saeculares ad Alumnatum Vilnensem pro studiis mittendi erant, nunc ob defectum Cleri sui saecularis, concessit Monachis (f. 23v) Basilianis, satis in suis Monasteriis de studiis provisis, hanc sortem Clero saeculari debitam. Supplicat igitur Ill.mus Metropolita, quatenus in locum Archidioecesanorum Smolenscensis duos Archi-Dioecesis suae Lithuanae Clericos mittere, illosque pro suo libitu revocare, et obsequiis curiae suae applicare possit. Pari modo vult relinqui sibi libertatem Ill.mus Metropolita alios Presbyteros obsequio Curiae suae necessarios ad se vocandi, sine impeditione Ill.morum Coadjutorum, qui non Ill.morum, sed Metropolitano pro tunc subsunt jurisdictioni.

9.no. — Presbyteri in Bonis Metropolitanis existentes, omnes subsint immediate et plenarie Ill.mo Metropolitano.

10.mo. — Pie functus Ill.mus Theophilus Godebski, Episcopus Vlodimirienis et Brestensis, reliquit certam insignem summam pro erectione Ecclesiae Cathedralis Brestensis et Seminarii Dioecesani, quae dispositioni Ill.mi Mlodowski concredita extitit, hucusque tamen praedicta Ecclesia Cathedralis et Seminarium Dioecesanum Brestenses, sumptibus Ill.mi Metropolitae incepta, et majori in parte extructa fine suo destituuntur, exposcit igitur Ill.mus Metropolita quatenus vel eidem dicto Ill.mo Mlodowski injungatur, ut Ecclesiam et Seminarium Dioecesanum terminaret, vel summam acceptam restituat, et per alium terminari faciat.

154.

...*1772.*

Exponit Regi Poloniae iniurias quas Ecclesia Unita pati debet in Ucraina a non Unitis nec non de attentatis Episcopi non uniti Pereiaslaviensis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33 fol. 33.

Serenissime Rex, Domine Clementissime[206]

Turbam relationum infortunia orarum Regni pro scopo habentium, his praesertim temporibus perquam frequentium, laedentium quotquot minutis aures Vestrae Regiae Majestatis, cum intimo paterni cordis sensu, expositione intolerabilis Cleri mei persecutionis in Braclaviae et Kijoviae Palatinatibus practicatae, abstinerem augere, si non essent meae partes, cum profundissima submissione mei, coram Majestate suplices fundere praeces pro obtinendo remedio contra impetitiones evertendae ergo Unionis Sanctae intentatas, praesertim cum violenti impetus radicitus eversionem ejus respicientes supremum attingerint gradum.

Non satis erat Episcopo Periaslaviensi in fundamento emanati Petropoli anno 1771, die 8va Novembris, mandati, contra quod Vestra Sacra Regia Majestas injunxit ministerio porrigendam notam ad Curiam Petropolitanam, mandati non plura continentis praeter assicurationem certitudinis vitae et fortunarum Disunitis in praedictis Palatinatibus existentibus, spiritualem suam jurisdictionem extendere ad ditiones nullo jure sibi subjectas, nominando se Episcopum dictarum orarum, mittendo suos substitutos, *Uprawytale* dictos, iisdem utendo tanquam instrumentis ad deceptionem vulgi, adoptionem in partem suam per sexcentas fraudes, dolose Ecclesias appropriando, verum etiam contra expressam obloquentiam dicti mandati et specifice comprehendentis clausulam inhibitoriam, ne ejusmodi abuteretur permissione, nimirum per vim inferendam. Ignoro qua potestate idem Episcopus per mandatarios suos, adhibito brachio exercitus Russici, invadere domus Plebanales, Ecclesias eripere, Presbyteros Unitos omnibus spoliatos intercipere, compedibusque ligatos, incutiendi causa horroris in plebem, cogere ad Polonnae et varia loca eosdemque incarcerare, in eorum locis Disunitos locare, et tali modo plus quadrigentas Ecclesias sibi appropriare, adeo ut Reverendissimus Ioannes Jachimowicz, missus a me ad dictas ditiones, nunc hic praesens, electus ab oppresso Clero (f. 33v) Procurator, periculo vitae suae vix potuit redire, adfereque hic annexa desideria afflicti Cleri, reponenda in scabello Sacrae Majestatis. Horum et similium damnorum dioecesi meae allatorum amotionem a Vestra Regia Majestate humilime exposcens, repeto mea debita obsequia, cum universo Populo Pastorali meae curae commisso, orandi Deum pro felici ad longaevo Dominio.

---

[206] Forsan prima medietate anni 1772.

Vestrae Regiae Majestatis, Domini Clementissimi mei, humillimus servus, subditus fidelis et exorator

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Archiep. Metropolita totius Russiae, Vlodim. et Bresten. Ep.pus (mp).

155.

...*1772.*

Certiorat Nuntium de persecutionibus quas patitur Ecclesia Unita in Ucraina et petit protectionem et provisionem.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, f. 35; fol. 34 (polonica).

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine.[207]

Quantum possum capere memoria in tractu vitae, quam mihi clementissimus annorum Distributor pro liberalitate sua comendare dignatus est, contingentium infortunii eventuum, hic mihi visus est acerbius penetrans, quem, missus per me Ill.ris Adm. R.dus Jachimowicz, Decanus Pohrebyscensis, in Palatinatus Kijoviensem et Braclaviensem Archidiaecesis meae, electus Procurator, ab oppresso clero detulit.

Post consecratos enim omnes conatus meos obviandis cunctis his quaecumque traherent post se consequentias quomodolibet S.ae Religioni praejudiciosas, perseveransque in his ad defessionem usque virium, ut primum percepto gaudio ex fructibus introducti per me, pro posse, boni ordinis aliquantum fuerim refectus, ut primum conspexerim in desertis ante modicum tempus pratis erectas Domos Dei et provisas satis exemplaribus piisque Presbyteris, mox audio cum summo cordis mei dolore, quod Episcopus Pereiaslaviensis, in fundamento emanati Petropoli anno 1771 Novembris die mandati, contra quod S.a Regia Majestas injunxit Ministerio porrigendam Notam ad Aulam Petropolitanam, jam alias communicati Ill.mo Antecessori Excellentiae Vestrae, non plura continentis, praeter assecurationem certitudinis vitae et fortunarum Disunitis in praedictis Palatinatibus existentibus, non satis habuit spiritualem suam jurisdictionem extendere ad ditiones ullo jure sibi subjectas, nominando se Episcopum praefatorum Palatinatuum, mittendo Suos substitutos *Uprawytele* dictos, iisque utendo tanquam instrumentis ad deceptionem (f. 35 v.) vulgi, adoptionemque in partem suam per sexcentas fraudes, dolose Ecclesias appropriando, verum etiam contra expressam obloquentiam dicti mandati, specifice comprehendentis clausulam inhibitoriam ne ejusmodi abuteretur permissione, nimirum per vim inferendo, ignoro qua potestate idem Episcopus per mandatarios suos, adhibito brachio Exercitus Russici, domos Plebanales invadere, Ecclesias eripere, Presbyteros Unitos omnibus bonis spoliatos intercipere, compedibus ligatos, causa incutiendi horroris in plebem, ducere ad

---

[207] Forsan Nuntio Apostolico.

Berdyczow, Polonna et varia loca eosque incarcerare, in eorum Paroeciis Disunitos locare, et tali modo plus quam 400 sibi appropriare, adeo ut praefatus Procurator, cum periculo vitae suae, vix potuit redire et adferre hic adnexa desideria afflicti cleri.

Super his supplico humillime Vestram Excellentiam, quatenus faveat providere de oportunis remediis pro amovenda tempestate radicitus evertente Ecclesiam Dei, miserrimumque clerum ex carceribus et oppressionibus liberare.

Quam gratiam Deus. etc.

Excellentiae Vestrae Ill.mae humillimus servus et exorator
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus
Metropolita totius Russiae, Vladimiriensis
et Brestensis Episcopus (mp.)

156.

...*1772.*

Gratias agit de Brevi recepto et de persecutionibus Ecclesiae Unitae in eparchia ucrainensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 285.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Benefactor Singularissime.[208]

Quo magis Illustrissimae Vestrae Excellentiae solari me gratiis desidero, eo uberius sum certus de iisdem, cum Illustrissima Excellentia Vestra literis suis validissimam protectionem suam pro justitia mihi impendere non dedignatur.

Ex annexo Brevi Sanctissimi Domini Nostri, Domini Clementissimi intellexi tum sollicitam de Religione Unita curam tum amplissimam causae meae Illustrissimae Excellentiae Vestrae commendationem; faxit Deus ut tam providus Universalis Christiani gregis Pastor sit longaevus, et felicissimus, pro cujus incolumitate vota mea offerre Domino non desisto.

De negotiis lugubris avulsionis ecclesiarum in Districtu Human, Dioecesis meae, cum adhuc Commissarios meos (quos consulto misi in Ukrainam) cum resolutione expecto, postquam inde redierint, Excellentiam Vestram Illustrissimam de toto statu hujus negotii, tum numero avulsarum (f. 285v) ecclesiarum informare non intermittam; quaeque remedia adhibenda esse in tam infaustissima circumstantia, literis meis Illustrissimae Excellentiae Vestrae edisseram. Nunc gratiis, protectioni, ac favoribus me commendans, profiteor quod sim demisissimo cultu

---

[208] Secretario S. Congr. de Prop. Fide, Stephano Borgia (1770-1789).

Ill.mae, Exc.mae, R.mae Dominationis V.rae, Benef. Singul. observ. et humill. Servus

F. Wołodkowicz, Archiep. Metr.
totius Russiae (mp).

157.

...*1772.*

Petit ut tandem aliquando finiatur lis et discordia cum Coadiutoribus et cessent molestiae sibi illatae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 286-287

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime D.ne, Domine, Patrone Colendissime[209]

Publica existimatio justitiae et clementiae, qua pollet Illustrissima et Excellentissima Dominatio Vestra, uti omnibus nota perspectaque est, eadem etiam mihi nuper satis patefacta fuit, dum Illustrissima Excellentia Vestra humanissimis suis literis ad me Roma exaratis testari gratiam suam non dedignata est. Egi in Responsoriis meis humillimas Illustrissimae Excellentiae Vestrae grates pro tanta, in me immeritum, benevolentia. Geminoque praesentibus Literis, eandem enixissime supplicans ut in causa meae cum Dominis meis Coadjutoribus (f. 286v) vertenti tandem aliquando finem et quietem, intercedente Vestrae Excellentiae summa decisione, obtineam. Negotium cujusnam naturae sit? tum publica molestiarum mearum notitia, tum D. Procurator meus ad Sacram Nunciaturam degens (quem Ill.mae Excellentiae Vestrae Rev.mae favori et protectioni commendatum et acceptum esse cupio) luculentius per schedam status et meriti praefatae litis meae[210] cum Dominis Coadjutoribus, jam alias Romae satis notae, perque Excellentiam Vestram Ill.mam et Rev.mam finaliter decidendae enarrabit. Ego vero me (f. 287) validissimo iuvamini Ill.mae V.rae Exc.ae submittens, maneo aeviterno obsequio, venerat. et indefesso studio Ill.mae Exc.tiae V.rae... observant. et humill. Servus

F. Wołodkowicz, Archiep. Metrop. totius Russiae (mp).

158.

...*1772.*

Adsignatio fructuum pro Coadiutore Volodimiriensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, f. 66.

---

[209] Forsan Nuntio Varsaviensi.

[210] Cfr. supra, sub nr. 152.

Infrascriptus debitis in sinceros Illustrissimi et Reverendissimi Antonini Mlodowski Episcopi Brestensis et Coadjutoris mei Vladimiriensis labores et meritis respectibus stimulatus, dum apertam quartae proventuum Episcopatus Vladimiriensis partis et assignatae paucitatem attendo, insuper memoratam partem pro quolibet anno Florenorum Polonicalium duo millia, in tribus Cathaedratici Vlodimirensis partibus me concernentibus, benevole, et libenter semel pro semper hac mea assignatione assigno, quam propter majorem fidem et valorem circa consuetum sigillum me subscribo.[211]

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Archiepiscopus
Metropolita totius Russiae
(L. S.)

159.

Kupieczovia, 11. I. 1773.

Refert Archimandritae Ovrucensi de instantiis nominati Coadiutoris.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 110, fol. 337rv, 340.

Traductio epistolae Ill.mi Metropolitani de die 11 Januarii 1773 Kupieczovia scripta ad Abbatem Ovrucensem.[212]

Rev.dus Janczycki pervenit ad me Kupieczoviam die 10 Ianuarii, sed cum multa volens loqui, uti multiloquax in variis materiis, in reliquo Perillustris Generalis Ordinis[213] per eundem requirebat me, et rogavit quatenus assignarem ipsi terminum benedictionis suae in Abbatem Coadiutorem de Ovrucz, et illum benedicerem. Reposui illi quod hoc dependet a voluntate et promotione Perillustris Rev.mi Coadiuti, non vero Perillustris D.ni Generalis Ordinis. Ulterius dixi: Laudo Perillustris Rev.mi Coadiuti animum ex eo quia ad benedictionem suam Dominationem non admittit, satis pro sua Dominatione, quod sit privilegiatus et habet honorem nominationis, expecta cadaver. Praeterea duo Abbates quomodo penes unam ecclesiam reperiri possunt? quomodo una Communitas Religiosorum duobus Abbatibus assistentiam praebebit? nesciret cui applaudere magis.

Deinde gloriabatur summa gratia Excel.mi Domini Supremi Cancellarii super quo accepit a me non parvam vexationem, ideoque neque volens pernoctare apud me, etsi tarda fuerit hora, abscessit. Jactitans se habiturum favore sui Iudicia Assessorialia. His expressis apprecor felicem successum et maneo

Perillustris Dominationis Vestrae addictissimus Frater et servus
F. WOLODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus t. Russiae

---

[211] De quonam tempore est haec attestatio et concessio, non nobis satis constat. Eam tamen sub anno 1772 ponendam esse, rem omnino verosimilem putamus.

[212] Quisnam fuit hic Abbas — nescimus; forsan Innocentius Lipnickyj, qui ab Ignatio Stebelski ponitur inde ab anno 1742, quem sequitur immediate Josaphat Janczyckyj (obiit anno 1781).

[213] Porphurius Wazynskyj, Protoarchimandrita Ordinis Basiliani ann. 1772-1780, et 1788-1790; dein Episcopus Chelmensis ann. 1790-1804. Cfr. de eo opus M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958, pag. 290-291.

160.

Volodimiria, 26. I. 1773.

Respondit ad postulata S. Congr. de Prop. Fide: de statu rerum in Ucraina, de quodam Alumno Vilnensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 76-77.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine, Domine, Protector Singularissime.[214]

Post meum ad Dioecesim Vladimiriensem Varsavia reditum, cum multa bonum ordinem concernentia invenerim negotia, illaque in dies majora evenientia, epistolae suae Ill.mae et Rev.mae Excellentiae, sub die 2 praesentis ad me datae, tardius quam debui respondere coactus extiti. Paululum attamen postquam illis praeassertis satisfecerim negotiis, ad respondendum huic humanissimae Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae epistolae, quamvis minus aptum adinveni tempus. Et imprimis gratias quam maximas, pro missione adjunctae a Sacra Congregratione de Propaganda Fidei ad me epistolae, refero suae Ill.mae et Rev.mae Excellentiae. Quod vero attinet ejus in sua epistola contenta negotia, cum stante praesenti turbolentissimo rerum mearum statu, nihil quidquam ego ipse ex Ukraina (praeter annexum hic captivatorum Unitorum Presbyterorum a Disunitis elenchum) habere possim, illud enim solummodo audio, quod effrenata Disunitorum rabies non se cohibet, sed in dies augetur, Unitorum vero oppressio, ecclesiarum nostrarum violentissima occupatio accrescit; certe neque illud secundum desideria Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae praestare possum, ut ex Actis statim curiae meae publicis, ecclesiarum, quae ad liberam istius Metropoliae jurisdictionem ad ultimos usque annos spectarunt, conficiam elenchum. Acta enim omnia Curialia et Consistorialia a quo, stante administratione sint occupata, necdum habeo notitiam; quod vero singularia, et ad illam rem conducentia documenta in repositorio apud D. Wierzbicki, Regentem Terrestrem Vladimiriensem, a me apud ipsum utpote meum pro tunc amicum locata, et praecipue liber typo impressus, cujus titulus: Colloquium Lublinense, (f. 76v) nunc mihi pernecessarius, quem Ill.mo Smogorzewski, Archiepiscopo Polocensi, pro defensione Unitorum Peterburgum missurus eram, sint arestata in hoc, quoniam tempore residentiae meae Varsaviensis nihil lucratus fui, saltim nunc ut extradatur pro redditione dicti repositorii, ex Tribunali Sacrae Nuntiaturae Apostolicae compulsus, supplex exopto.

Quod vero attinet negotium D. Ioannis Mokrzycki, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide ut a praestito in Pontificio Vilnensi Collegio iuramento SS.mi Domini Nostri oraculo dispensetur supplicantis eo consilio, ut S. Basilii Religiosum habitum in Monasterio Suprasliensi suscipiat, de quo ego resolvendo nunc primum epistola Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae inciter, ita ad illud respondeo: Dictus D. Ioannes Mokrzycki est filius Presbyteri, in prae-

---

[214] Nuntio Varsaviensi.

fato Collegio Pontificio Vilnensi in Theologia speculativa mediante sua capacitate educatus, post Procuratorem meum per aliquot annos Varsaviae agens, Juri Canonico addictus, ejusdem peritissimus evasit. Tandem perpenso misero Presbyteri saecularis in Ritu nostro statu, religiosum habitum S. Basilii in Monasterio Suprasliensi suscipere intendit. Quod absque insigni Dioecesis injuria non est, nec ad illud permittendum facile accedo, utpote illius obsequiis et quoad regimen Dioecesum, et quoad mea negotia plurimum indigens.

Prius itaque ille coram me compareat, ac tandem ego postquam sua desideria exploraverim, vere ac sincere suae Ill.mae et Rev.mae Excellentiae deferam. In reliquis de mea valetudine, quam solummodo compositis tribulationibus Dioecesum meisque meliorem spero, ut certificem suam Ill.mam et Rev.mam Excellentiam, nihil habeo, illud autem (f. 77) profiteri semper ex animo possum, quod sim singularissima observatione, cultu et obsequio

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae

addictissimus, humillimus et obsequios. servus
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metrop. totius
Russiae (mp).

Die 26 Ianuarii, 1773 anno. Vladimiriae.

161.

(*Volodimiria*), *29. I. 1773.*

Coadiutori Metropoliae de quibusdam Presbyteris turbolentis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 98.

Excerptum 2dum ex Litteris ejusdem Ill.mi Metropolitani ad Excell.mum, Ill.mum Coadjutorem, de die 29 Ianuarii 1773.[215]

Habeo notitiam, quod R. Prymowicz, Auctor mali, cum suis adhaerentibus venit ad Ill.mam Dom.nem Vestram, dum incarcerati in variis locis clamant, clamant, quia ex instinctu ejus in hac miseria sunt (f. 98v) constituti. Idem R. Prymowicz non modo in Dioecesi Kijoviensi et Braclaviensi multa mala perpetravit, sed etiam in Lithuana Metropolitana, dum R. Malinowski de omnibus excessibus jure convictum et sub censuris existentem creavit Officialem Polesiensem substituitque in locum R. Iwaszkiewicz, Surrogati a me pridem constituti. Idem R. Malinowski creatus Officialis clerum fomentat, ad Disunionem avocat, cum Pseudo Episcopo Mohyloviensi servat cointelligentiam, sicque omnes Decanatus Metropolitanae iurisdictionis in Lithuania ad obedientiam dicti Episcopi ac eo ipso ad Disunionem violenter vult retrahere, etc.

---

[215] Leo Szeptyckyj, Episcopus Leopolien. (1749-1779), Coadiutor Metropoliae (1762-1778) et dein e die 12 Februarii 1778 et ipse Metropolita Kioviensis; obiit anno 1779.

162.

Kupieczovia, 3. II. 1773.

Coadiutori Metropoliae de quibusdam fratribus Lubinski.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 98.

Excerptum ex Litteris Ill.mi Metropolitani Russiae ad Ill.mum Coadjutorem Metropoliae, de die 3 Februarii 1773, ex Kupieczovia.

RR. Lubinski, Fratres unius sectae et farinae cum R. Prymowicz, multis malis perpetratis, Clero violenter ad abjurationem Unionis adducto nunc stipulatam inter nos conventionem (quae non habet vim et robur dum ivit pro approbatione SS. Domini et Sacrae Congregationis) per Decanatus publicant, Decanis Disunitorum communicant, Clerum ab obedientia et jurisdictione mea abstrahunt et absterrent, quod patebit ex Documentis. Quapropter rogo Dominationem Vestram Ill.mam, quatenus eosdem ex Dioecesi Kijoviensi Leopolim vocet, si autem Dom.tio Vestra Ill.ma hanc mihi gratiam non praestabit, tunc uti rebelles captivare jubebo. Iidem DD. Lubinski tenent correspondentias cum Pseudo Episcopo Perejaslaviensi, mihi minantur, Russos ad bona mea conducunt, RR. Stopczanski et Molerzycki usque ad Human conduci fecerunt a Moschovitis. Omnes sunt flentes et clamantes pro R. Prymowicz et pro RR. Lubinski.

Non sufficit una, sed secunda adhuc impendet clades pro Fide et Patria et contra Sedem Apostolicam, dum hodie a D. Comite Pergen recepi expeditionem, ut non simus obedientes SS.mo Domino Nostro. Cognitum gravamen in Bulla Caenae Domini, etc.

163.

Volodimiria, 8. II. 1773.

Nuntio Apostolico describit suas res gestas post discessum Varsavia et respondit ad obiectiones et accusationes. Nec non de ulterioribus abusibus Coadiutorum eorumque Officialium.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 91-92.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Singularissime.[216]

Ea est residuitatis vitae meae conditio ut ab accusatoribus et actuum meorum calumniatoribus nunquam liber existam. Maximo fuit mihi solatio humanissima Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae epistola, sub die 21 proximi elapsi mensis ad me data, in illa equidem saluberrima consilia et monitiones rei plurimum conducentes reperi. Sed cum licuit ut Zvilonum meorum

[216] Nuntio Apostolico Varsaviensi.

delationes nunquam veritati innixae exaudiantur, meam etiam excusationem, nihil in se fallaciae habentem, exaudire postulo.

Ego post meum Varsavia discessum, veni quidem Brestam, sed propria praedia et commoditatem habere potens, ne darem causam inimicis fatigationis de me male loquendi, non modo ego, sed Ministri et Aulici mei in Monasterio PP. Basilianorum locati fuimus, cum insigni tam pro annona, quam pro aliis ad sustentationem necessariis rebus expensa. Quod vero vigore iuramenti bonorum Episcopatus mei integritati attendere obligatus, et etiam ex eo, quod ad tenorem articulorum concordiae a Sua Ill.ma et Rev.ma Excellentia benigne efformatorum, a meque, et a DD. Coadjutoribus meis benevole subscriptorum, ad futurum compromissum praetensiones meas tum Ministrorum et Aulicorum meorum iustissimas conscripturus, nullo habito Casaco, neque Ministris ad aliquam violentiam (prout inique Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae est denuntiantum) assumptis, sed solummodo Officialistis aliquibus meis amicis, causa bonae conversationis mihi assotiantibus, nempe Perillustri MM. DD. Ozieblowski, Iudice Terrestri, Wygonowski, Dapifero, Bilski, Colonello, maximae existimationis hominibus, aliisque Palatinatus Brestensis Incolis, in praedium Tryszyn dictum, non procul a Bresta distans, discesserim, ibique prandium (nullo D. Josephi Kosciuszko ejusdem praedii, stante Apostolica Administratione, Conductoris, ibidem reperto famulo, nulla etiam re vel minima ex ipsius oeconomia accepta) dederim, et tandem exinde, prandio finito, Brestam redierim, (f. 91v) relictis solummodo Commissariis ex parte mea ad conscribendas injurias meas, quae aliter conscribi nullomodo poterant, illud judicio meo, non modo violentia, sed nec minimum injuriae dicti D. Conductoris punctum vocitari deberet. Hoc enim Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae (praecisa omni colorata praetensione) in cordis sinceritate rem pernecessariam deferre existimavi, quod dictus D. Iosephus Kosciuszko, praedii Tryszyn suo jure possessor, postquam illam violentam caeperit possessionem, multa mea deposita ibidem locata, nullomodo Administrationi Apostolicae subjacentia, sed ad me ipsum spectantia cum magno stipendio Gedani et Regiopoli comparata rapuit, 65 hungaricales Varsaviam in usus Procuratoris mei transferendos accepit, et hucusque non restituit. Quae si ego mihi restitui et compensari vellem, certe mearum esse non deberet, si aliquid ex rebus ipsius in praedio meo acceperim, ad multas enim amicabiles requisitiones, ad multa etiam Decreta nihil quidquam lucratus fui. Sed necdum in hanc mentem veni, saepius, atque continuo cum Job patiente dico: Manus Domini tetigit me. Et certe ex hoc maxime tangit, quod non modo damna mihi illata compensare possum, sed etiam ex eo quod patienter me gerendo, iniquissime accusor. Quare hanc gratiam Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae iterum expostulo, ut non omnibus istis accusationibus suam dignissimam praebeat aurem imo mei etiam memor esse faveat, et pro munere quo fruitur protectricem porrigat manum. Qualis enim est fructus modo effectuatae redintegrationis meae, quae reverentia pastoralis jurisdictionis? cum ut antea in Dioecesi Brestensi R. Koronczewski, Administratorialis Officialis, Clerum contra me fomentaverat, ita etiam nunc

fomentat, ab obedientia mihi debita avocat, hacque de re, ac aliis ad Iudicium meum citatus parere renuit, atque contumaciter se gerit. R. Jachimowicz, Officialem meum Brestensem ad relinquendum Officium, et ad me redeundum, viam dare coegit. Ill.mus vero Mlodowski, Coadjutor, et D. Wierzbicki consanguineus (f. 92) ejus, bona quae antea tenebant, et nunc possident, neque ab illa possessione recedere cogitant. Illud ipsum in Metropolitana Archidioecesi per Ministros Ill.mi Szeptycki practicatur, et praecipue per RR. Prymowicz et Lubinski, qui non attento lacrymabili Unitorum statu, suam praetensam exercent jurisdictionem. Mirum tamen est mihi, quod cum Disunitis et schismaticis conversantes, ab ipsis non captivantur, mihi vero et Sanctae Unioni addictissimi in captivitate miseram deplorant vitam. Ad quos non pridem accesserunt viri eruditissimi, in antea Ministri mei, RR. Michael Stopczanski, Parochus Piatyhorensis, Secretarius, et Basilius Mokrzycki, Parochus Tetyiovensis, Notarius, qui a Disunitis captivati, in Uman retinentur. Certe neque video modum quo illis succurrerem. Faveat Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra validissimam hac in re inchoatam continuare curam, secus enim neque informatio desiderata de statu Archidioecesis confici valebit, tam ob timorem praepotentiae Disunitorum, quam etiam ob defectum jam hominum Presbyterorum, ad hanc rem idoneorum. Oro enixissime, atque humillime Ill.mam et Rev.mam Excellentiam Vestram, quatenus statui meo undique misero consulere dignetur.

Scribenti adhuc mihi praesentem epistolam, pervenit ad manus dispositio Illustrissimi Comitis a Pergen, Gubernatoris Neo-Hungariae in Polonia,[217] cujus originale apud me habeo, copiam vero Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae adjungo, quidque hac in re agendum sit mihi, consilium expeto, maneoque distinctissimo cultu

Ill.mae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae

addictissimus et humillimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus, Metrop. totius Russiae

Die 8 Februarii, 1773 anno. Vladimiriae.

Actiones quae moderno tempore factae sunt, remonstrabit in copiis R. Hucewicz, Procurator meus.

(*p. 91:*) Excell.mus Dominus Nuntius Apostolicus.

164.

Volodimiria, 24. II. 1773.

Refert de praeiudiciis et attentatis sibi illatis a Coadiutoribus eorumque Officialibus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 165.

---

[217] Agitur de Ucraina occidentali, seu Palatinatu Russiae, quae post dismembrationem Poloniae anno 1772 cessit Imeratrici Austriae, quae ibi suum instituit Gubernatorem.

Illustrissime et Reverendissime Domine,
Domine, Frater et Patrone Colendissime.[218]

Pro una, quae ad instantiam Fiscalis mei ex hoc Tribunali Apostolico emanavit, citatione, intimarunt mihi duas adversarii mei; primam quidem D. Wierzbicki, Regens Terrestris Vladimiriensis, alteram R. Koronczewski utriusque copiam remisi R. Procuratori meo Varsaviensi. Pro informatione autem Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae, quoad utramque causam, illud est, quod exprimendum censui. Dictus D. Wierzbicki non vocatus ad negotia mea, sed causa lucri proprio motu iisdem mixtus, si aliquas (ut ipse asserit) subiit expensas, oportebat ut me doceret de illis, realitatemque demonstraret. Sed quia illud subticuit, Villamque Rokitnica dictam, ad mensam spectantem, fratri suo, non sibi, contractu arendatorio manumissam me renitente occupavit, cumque de solutione summae debitae annuatim exsolvendae adigeretur, tunc primum illas expensas acsi in usus mei erogatas excogitavit, multaque damna mihi intulit, scriniolum cum variis documentis apud se reperitum arestavit; ego tales praetensiones non modo futiles et irreales habeo, sed de indebita vexa satisfactionem quaerere non negligam, hocque a sua Illustrissima et Reverendissima Dominatione summopere expostulo. Quo vero ad R. Koronczewski, jurisdictioni meae refragarium, et a Decretis meis ad Tribunal (f. 165v) Apostolicum modo appellantem, cum causa illius ex remediis D. V. praesentis emanatis ad judicandum venerit, rogo humillime Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram, quatenus Commissio de vita et moribus illius per Commissarios a R. D. Jachimowicz, Officiali meo Brestensi, Varsaviae nunc praesenti, designandos assignetur, et in Dioecesi Brestensi absque mora expediatur. Hoc enim pati ego nullomodo possum, ut ille dictus Koronczewski, multis criminibus notatus, praeposituram ecclesiae Cathedralis Brestensis possideat, quam, stante administratione, me nesciente, praeoccupavit, ad illamque installatus extitit. Non negabit ille utique, quod ego ipsum ex Dioecesi Leopoliensi advenum, cum adhuc exemplariter (ut videbatur) se gesserit, ad Officialatum Brestensem assumpserim, ibidemque penes Cathedram Brestensem, tempore non praefixo, sed ad ulteriorem mei declarationem, locaverim. Sed quia cum eodem meo beneficio sceleratissimus factus, multa beneficia ecclesiastica in sui administrationem acceperit, et in illis esum, non Jesum quaesiverit, ecclesias et domus Plebanales devastaverit, nullam curam in Parochianos gesserit, plurimosque et fere innumeros absque confessione, aliisque necessariis Sacramentis, de hoc mundo migrare fecerit, Sacerdotes multos inordinate per se punitos, carceratos et (f. 166) crudeliter verberatos non coegerit, semperque justitiam non ut Officialis, sed ut mercenarius vendiderit, his ego cognitis luculenterque perspectis, ne Deo, Supremo Judici, in extremo Judicio pro tali Ministro rationem redderem, ipsum ab Officialatu Brestensi male et indigne gesto removi, Praeposituramque Cathedralem Brestensem, prout illi minime debitam, nunquam conferre volui, et si ab aliquo

---

[218] Nuntio Varsaviensi.

collatam recepit, nunquam, ut illam idem possideat titulumque usurpet, permittam, sed ut ad suam Dioecesim Leopoliensem redeat instabo, et praetendam. In hoc vero, quod non meo, sed communi bono Dioecesis Brestensis consulere cupio, testabuntur omnes et ego pro effectu desideriorum meorum enixissime exorans, maneo debito cultu

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

addictissimus et obsequentissimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepicopus Metropolitanus totius Russiae (mp).

Vladimiriae, 24 Februarii 1773.

165.

Volodimiria, 4. III. 1773.

De Archiepiscopo et Archieparchia Smolenscensi, de Alumnis, et de ditione Austriaca.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 100-101.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Singularissime.[219]

Insinuationibus Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, quarum mandata omnino per me executioni mandanaa semper habeo, si aliquando et praecipue nunc in epistola de die 11 Mensis elapsi ad me data expressis satisfacere me gravatum sentio, veniam quam maxime exopto, rationes enim justas habeo, et primo: Ill.mus Archi-Episcopus Smolenscensis[220] neque mihi de nomine suo bene notus; quia postquam Coadjutoriam Archi-Episcopatus sui adeptus fuerit, et pro facultate se consecrandi in Archi-Episcopum supplicaverit, facile a me hoc obtento, neque gratias egerit, neque actus suae promotionis ad cancellariam meam spectantes remisit, optimum esset si Clerum suae Archi-Dioecesis in Unione Sancta conservaverit, et qui recessit ad gremium Catholicae Ecclesiae redegerit (quem certe in minimo numero habet); suppono ideo non posse illum alieno gregi consulere, qui proprio minime consulit, seu clarius ut dicam: illae ecclesiae Archi-Dioecesis meae in limitibus nunc Moscoviticis (f. 100v) existentes adhuc me suum agnoscunt Pastorem, non possum itaque illas curae dicti Ill.mi Archi-Episcopi Smolenscensis dimittere, ne juribus Metropoliticis praejudicuim adferam, cum sim exemplo aliorum praecautus, quod tales Commissarii Delegati pro juribus sibi vindicant, et omnino ecclesias Commissarii ad se spectare faciunt, uti ego nunc experior in Episcopo Pinscensi, qui Antecessoribus suis modo administrationis commissas ecclesias, in Decanatu Mozyrensi, proprias habere praetendit, de quo lis pendet in Tribunali Ill.mae

---

[219] Nuntio Varsaviensi.

[220] Josephus Lepkovskyj, Archiepiscopus Smolenscensis (1771-1778).

et Rev.mae Excellentiae Vestrae. Et certo habeo, qui ad agendum cum duobus Coadjutoribus, ideo 3 habere renui...[221]

Hospitalitatis virtus in tantum quemque obligare videtur, in quantum cum damno non est, ast ego ex residentia Ill.mi Mlodowski damnum vel maximum sentio, quod tempore futuri compromissi demonstrabo, atque satisfactionem exquiram.

Quoad denuntiationem ex Vilna Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae ratione Alumnorum, qui dum e Collegio ad Ecclesiam Cathedralem, seu aliam Parochialem, ut Divinis (f. 101) adsint Officiis, festis diebus pergunt et divagantur, nescio quomodo huic vitio praeveniendum; aliter enim dicti Alumni absque devotione secundum ritum suum existerent, si ad ecclesias dictas non pergerent et etiam ipsae ecclesiae in devotione injuriarentur absque illorum congressu; in hoc tamen quod salubre Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae videbitur, illud ut altissimo decidatur judicio vehementer exoro. Alumnos duos pro locis in Collegio vacantibus seligere curabo, quod mihi certe arduum erit ideo, quod iidem Alumni a R. Collegii Regente male tractantur; moneatur igitur hac in re dictus R. Regens ab Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra, a me enim jam satis amicabili modo requisitus extitit.

Ex Metropolitana et Vladimiriensi Dioecesi mea nullae adhuc ecclesiae et Parochiae sunt interceptae in nova Austriaca ditione; speratur id tamen in dies cum illorum ditioni necdum fines praescriptae.

(f. 101v) Commendo me validissimae protectioni et benevolentiae cumque maxima existimatione maneo

Illustrissimae, Excellentissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Patroni mei Singularissimi

addictissimus servus humillimus
F. Wolodkowicz, Archiepiscopus
Metropolitanus totius Russiae (md).

Die 4 Martii, 1773 anno. Vladimiriae.

Copias literarum Comitis Czerniszew, Albae Russiae Supremi Gubernatoris, ad Ill.mum Smogorzewski,[222] Archi-Episcopum Polocensem, scriptarum, communico Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, et tam circa illas, quam anteriores Ill.mi Pergen quid faciendum sit nobis altissima expeto consilia.

---

[221] Post dismebrationem Regni Poloniae an. 1772, quaedam paroeciae eparchiae metropolitanae subiectae fuerunt dominio Imperii Moscovitici, et inde exercitium iurisdictionis Metropolitae evasit impossibile. Unde necessarium erat, ut cuidam viciniori Episcopo cura harum paroeciarum commiteretur. Cfr. de hoc negotio etiam alia documenta quae habentur in *Epistolis Jasonis Smogorzevskyj*, in vol VIII *Epistolarum Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, Romae 1965.

[222] Cfr. in *Epistolis* huius Metropolitae, editis in volumine VIII.

166.

Volodimiria, 15. III. 1773.

Nuntio occasione festi S. Joseph, de expeditione negotiorum in Nuntiatura, nec non de incarceratis Berdiczoviensibus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, fol. 102.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Protector Gratiosissime.

Adveniente die festivo Divi Iosephi, rescribens pro epistola Excellentiae Vestrae, sub die 4 Mensis et anni currentium ad me directa, exordior a votis ut Remunerator in vinea sua laborantium, qui calamitosissimis temporibus pro solamine aflictorum, stabilienda Ecclesiae tranquillitate, reprimendo impetu contra eandem militantium, de tam vigili, pio, exemplari nobis providerit Legato Apostolico, eundem, mediantibus precibus Sancti Patroni sui, ad altissimos honores elatum quam diutissime incolumem servet.

Pro memoria causarum mearum, in quibus resolutionem Ill.mi D.ni Auditoris avidissime expecto, Excellentiae Vestrae maximos ago gratias mittoque millenas preces, quatenus ea protectione sua easdem dimittere non dedignetur; tum si advenerit Roma resultatum in principali negotio meo cum DD. Coadiutoribus, idem sine praevia obdestinatione mea non promulgetur.

Literas Excellentiae Vestrae pro solutione incarceratorum Presbyterorum scriptas, cum annexa epistola Sancti Cypriani sine mora remitti curavi, injunxique meis DD. Officialibus in Ukraina degentibus, pro majori commoditate in carcere detentorum ignorantium linguam latinam, easdem Polonice traducendas, omnesque modos adhibendos ut victis difficultatibus ab adversariis et exercitu custodiente ponendis, ad omnium notitiam perveniant. Alimenta illis uti ab initio subpeditavi hucusque, ita et in posterum appromitto, necnon transmittendas ad Excellentiam Vestram de illis relationes quotquot diebus (f. 102v) cum gravi animi mei sensu frequentiores, pro porrigenda illis manu mediantibus officiis Excellentiae Vestrae apud Curiam Serenissimae Imperatricis Reginae Apostolicae.[223]

Maneo cum profundissimo cultu Excellentiae Vestrae, Benefactoris mei singularissimi

obseq. et humillim. Servitor

F. Wolodkovicz, Archiepiscopus, Metropolita totius Russiae (mp)

Vladimiriae 1773, die 15 Martii.

fol. 102v: Excell.mo et Rev.mo Domino Nuntio Apostolico.

167.

Volodimiria, 17. III. 1773.

De quadam lite pendente in Tribunali Nuntiaturae Apostolicae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 164.

---

[223] Maria Theresia, Imperatrix Austriae (1765-1780).

Illustrissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Pro suscepta adhibendaque cura in disjudicandis causis meis contra D. Wierzbicki et R. Koronczewski, appromissaque sententia tramitibus justitiae conformi in Tribunali Apostolico ferenda, maximas mitto gratias Illustrissimae Dominationi Vestrae, quam effectuandam avidissime expecto.

Jam vero quod attinet sinistras delationes ac si ego, in convulsionem litispendentiae in Tribunali Sacrae Nuciaturae, moderni Tenutoris Tryszynensis, D. Kosciuszko, immiscerem me possessioni, non tam pridem fusius declaravi me Excellentissimo et Reverendissimo Domino Nuncio exposuique, hoc forsan allegari ab adversa parte in evictionem assertae interturbationis, quod ego juxta obloquentiam articulorum conventionalium, recenter Varsaviae cum DD. Coadjutoribus initorum, miserim ex brachio meo D. Jankowski, Commissarium, ad praefatam Villam Tryszyn pro conscribendis et liquidandis praetensionibus et damnis illic mihi patratis, quae jam sunt confecta, et fine faciendae informationis Excellentissimo Domino Nuncio ad R. Procuratorem meum Varsaviam transmissa. Rogo itaque Illustrissimam Dominationem quatenus libero me ab impetitis pronunciato, omni conatu faveat obviari avocationi hujus causae ad Iudicia Assessorialia, praeviaque retentione ejusdem in Tribunali Apostolico quam citissime accelerare (f. 164v) decisionem suam. Cui me submittens cum omni veneratione permaneo

Illustrissimae Dominationis Vestrae addictissimus et humillimus servus F. Wolodkowicz, Archiepiscopus, Metropolitanus totius Russiae (mp) Vladimiriae, dei 17 Martii 1773.

fol. 164v: Ill.mo Domino Caleppi.[224]

168.

Volodimiria, 23. III. 1773.

De Archiepiscopo et Archieparchia Smolenscensi, de Alumnis Pontificiis Vilnensibus, de persecutione Unitorum in Ucraina, de incarceratis sacerdotibus Berdyczoviensibus et de subsidiis, de delationibus contra suam personam.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 123-124.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Singularissime.[225]

Uno eodemque tempore habui honorem tres humanissimas Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, de die 18 praesentis ad me datas, recipere epistolas, ad quas singillatim, pagina licet non distincta, cum debita respondeo reverentia.

In epistola mea ad suam Ill.mam et Rev.mam Excellentiam, die 3 prae-

---

[224] Verosimiliter Auditor Nuntiaturae Varsaviensis hoc tempore.

[225] Nuntio Varsaviensi.

sentis data, non fuit simplex repugnantia commitendi per me ad tempus Ill.mo Smolenscensi Archi-Episcopo[226] duos Archi-Diaecesis meae, qui in novis Russiae ditionibus nunc intercepti reperiuntur, Decanatus, sed solummodo rationes expressae, ob quas illud praestare dicto Archi-Episcopo minus justum existimavi, non privatum publico praeferendo commodum, sed pro paterna monitione praefati Archi-Episcopi inhumanitatem coram Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra incusando. Cum vero sic placuerit Altissimo (quod ego ex iussis Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae satis cognosco), ut dicti Decanatus Archi-Dioecesis meae Ill.mo Smolenscensi Archi-Episcopo in spiritualem administrationem committerentur, libentissime assentior, facultatesque necessarias ad tempus sex mensium valituras concessi, et illas per manus Rev.mi Archimandritae Ordinis D. B. M. transmisi. Secundum quas ut se gerat Ill.mus toties dictus Archi-Episcopus Smolenscensis, et quae non sua sed Christi sunt quaerat, meque de suis gestis et progressu certificet, et nihil plus, praeter concessum, appetat, curae, et benignitatis erit Ill.mae Rev.mae Excellentiae Vestrae.

Quod vero attinet negotium Alumnorum Collegii Pontificii Vilnensis, siquidem nihil adhuc delatum est Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae de mala tractatione illorum per R. Regentem, ejusque substitutos, hoc futuro tempore venturum spero. Interim R. Hucewicz, agens meus Varsaviensis, dicti Collegii Pontificii Alumnus, qui Philosophicum et Theologicum studium in eodem laudabiliter terminavit, oretenus exponet, aut scriptis informabit Ill.mam, Reverendissimam Excellentiam Vestram, quae inconvenientiae tempore illius (f. 123v) studiorum in hoc Collegio causa R. Regentis sunt practicatae. Ego autem hoc defero Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae (quod semper aegre fero, repugnat enim amori Christiano, legibusque Divinis) quod praefatus Collegii Pontificii Regens, Alumnos Regimini concreditos acquirendarum scientiarum, ut sunt juris canonici et aliarum studiosos, ne his dent operam impedit et coërcet; ne igitur hic ausus in post vigeat, praestabit sollicitudo, et praeclara Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae benevolentia. Jam enim unum ex Archi-Dioecesi Kijoviensi in locum vacantem elegi alumnum, ex cujus indole, et ad studia ecclesiastica amoris ardore, satis mihi cognitis, utilitatem Archi-Dioecesi mihique solatium policeor; cui non dissimilem etiam ex Diaecesi Brestensi, secundum insinuationem et consilia Ill.mae Rev.mae Excellentiae vestrae, seligere curabo.

Quo autem ad tragedias Ukrainenses, nunquam satis deplorandas, meum esse muneris ut ad illas compescendas in persona illuc discedam, miserisque captivis solatium adferam, sed eheu! infelix ego in cura medici existens, valetudinique consulere cupiens, ea quae desidero exequi nequeo; sed si Deus, cordium scrutator, meis justis benedixerit desideriis, et ad pristinum valetudinis statum me converterit, nisi alia Pastoralem curam spectantia evenerint negotia, et alii me, ad Comitia nempe futura Varsaviam avocarint, quamprimum potero

---

[226] Josepho Lepkovskyj (1771-1778).

discendere et oves meas a lupis oppressas visitare curabo, nam Ill.mus Leopoliensis Coadjutor meus dubito, utrum illud efficere, et me juvare velit.

Interea pro insigni Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae misericordiae opere, nempe pro centum ducatis ad consolandos Fratres nostros in carceribus constitutos collectis et per manus R. Provincialis Ordinis S. B. M. in Polonia missis, debitas exhibendo gratias, oro Deum, inexhaustum divitiarum mare, qui misericordes beatos dixit, ut illam I.llmae, Rev.mae Excellentiae Vestrae singularem in egenos Presbyteros misericordiam, et in hac vita ad annos, si fas esset innumeros, amplissimis suis ad vota compenset gratiis, et in futura aeternae suae gloriae participem faciat. Meum vero quod erit, in ulteriori captivatorum, illorumque familiae domesticae provisione, perseverantium adhuc in Sancta Unione super eadem non relinquenda incitamento, et confirmatione, totis viribus in illud incumbam, ut de munere meo coram judice tremendo non erubescam.

In reliquo, faveat Ill.ma, Rev.ma Excellentia Vestra sinistris de me delationibus benignam suam non semper praebere aurem, praecipue in hoc, acsi ego (f. 124) cum refragariis jurisdictioni meae non parentibus Presbyteris violenter procedam, semper enim aliter deducetur. Licet nondum permitto pessumdari auctoritatem meam, extendo in aliquibus rigorem, ille tamen excessivus censendus non est. Noscentes me Pastorem, nosco oves meas, et illas quae deviarunt, ad ovile meum reducere, non vindictam sumendo, sed errores visis in Domino mediis corrigendo, justum existimo.

Quae hactenus de infelicitate Ukrainensi, et Unitorum Presbyterorum oppressione in scriptis ad agentem meum miseram, haec licet in copiis fuerant, dubitandum tamen non est, quod illa in originalibus non extiterint, quae difficile haberi poterant. Nunc etiam originalia mitto Disunitorum Rectorum, vulgo Uprawytele, mandata, Unitos ad sibi obedientian incitantia, secus quaeque mala minantia. Obviabo huic quantum potero, oro solummodo Ill.mam Rev.mam Excellentiam Vestram, quatenus me juvare non gravetur. Ac tandem debito cultu et veneratione maneo

Excellentiae Vestrae Illustrissimae et Rev.mae addictissimus obseq. et humillimus servus ax exorator

F. Wolodkowicz, Archi-Episcopus, Metropolitanus totius Russiae (mp).

Vladimiriae, die 24 Martii, 1773 anno.

(*p. 123*): Excell.mo Domino Nuntio Apostolico. Varsaviam.

169.

Volodimiriae, 31. III. 1773.

De excessivis sacerdotibus tempore administrationis, de profectu in Ucrainam, de subsidiandis presbyteris incarceratis Berdiczoviae, de facultatibus metropoliticis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 126.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Protector Singularissime.[227]

Per manus Ill.mi Mlodowski habui honorem humanissimam Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae in negotio R. Malinowski scriptam recipere epistolam. Ad quam cum ea, qua soleo, respondeo reverentia.

Non ideo, quod Rev.mo Coadjutori tempore ipsius Administrationis praesto fuerit, dictus R. Malinowski pro recollectione, non ad carceres, ex dispositione mea est acceptus, et in locum commodum remissus, sed quia pro excessibus suis anterius a me judicatus, et ab Officio Surrogatoriali remotus, in contemptum ordinariae jurisdictionis, nondum emanata administratione, majores perpetravit excessus, tandem tempore administrationis tumultus excitavit, et nunc cum receptis per Russos in novam ditionem nonnullis ecclesiis, ipse etiam benevole se obtulit, Officialem nominavit, itaque multos ad deserendam Unionem Sanctam incitavit. De quo informabunt documenta per agentem meum Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae porrigenda. Si tamen scivissem eundem toties dictum Malinowski salvo conductu Tribunalis Apostolici munitum esse, de quo nunc primum audio, aliter cum illo processissem, ne videar contrarius fieri eidem salvo conductui. Interim informari volo, quomodo procedendum sit mihi cum excessivis Presbyteris, qui tempore administrationis ad mala assueti, etiam nunc non resipiscunt cognitaque in post dissimulatione et conniventia, ad majora procedent. Quid dicent saeculares et laici homines justitiam administrari volentes, cum viderint innocuos nullum extendi vigorem? Certe non gloriando fateor, Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine, quod ab ipso jurisdictionis meae in charactere episcopali initio, cum adhuc Chelmensis Episcopus essem, nullum Decretum meum irritum extitit, neque quod violenter aliquando processerim sonuit, miror igitur nunc talia de me audiri et promulgari.

In recenti epistola Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae ad me data, lego repetita mandata, quatenus ex nunc in Ukrainam discedam, miserosque Presbyteros a Disunitis oppressos consolari faciam.[228] Scio illud negotium curae meae vel maxime incumbere, sed cum ad impossibile nemo obligetur, ut enim in praecedenti mea epistola expressi, quod debilitate virium praemar, neque brevi convalere spero, ita nunc (f. 126v) etiam id ipsum testimonio D. Medici comprobo. Rogo igitur Ill.mam, Rev.mam Excellentiam Vestram, quatenus nunc a praefixo itinere excusatum me habere faveat, integris enim viribus desideravi illud tam sanctum opus ad effectum deducere, neque ab hoc desiderio deficio. Faxint solummodo superi, ut ad primam redeam valetudinem.

Pro collectis iterum in subsidium captivatorum Presbyterorum 50 aureis ducatis, quammaximas Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae refero gra-

---

[227] Nunto Varsaviensi.

[228] Mense Maio-Junio vere Metropolita Wolodkovycz iter hoc suscepit in Ucrainam centralem, ubi multum insudavit ad eliberandos sacerdotes unitos in carceribus Berdyczoviensibus detentos. Cfr. infra.

tias, oroque Deum Omnipotentem et praecipue tempore imminentium Festorum Resurrectionis Ejus orabo, ut Ill.mam, Rev.mam Excellentiam Vestram pauperum misericordissimum Protectorem, afflictorum Consolatorem, Fidei Catholicae strenuissimum Propugnatorem, in decorem et ornamentum Ecclesiae suae, penes vitae incolumitatem, in seras conservet aetates, altissimisque cumulet honoribus. Et haec sunt mea continua erga Ill.mam, Rev.mam Excellentiam Vestram sincera vota, quae grata habere, meque in ulteriori temporalium et spiritualium exercitio conservare, promulgationem articulorum Concordiae me inter, et Coadjutores meos initae, a SS.mo Domino Nostro jam approbatorum suspendere, inque aliud tempus, ad pacificationem nemque Patriae nostrae prorogare supplico, ac cum summa existimatione semel pro semper maneo

Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae, Protectoris singularissimi

obseq. Servus et Exorator

F. Wolodkowicz, Archi-Episcopus, Metropolitanus totius Russiae (mp).

Die 31 Martii, 1773 anno. Vladimiriae.

Expecto gratiam Excellentiae Vestrae Ill.mae mihi promissam, in procurandis pro me Facultatibus a SS.mo Domino super dispensationibus, absolutionibus ab haeresi etc. cum plurimi nunc veniunt hujus indigentes, et ego anterioribus temporibus semper praedictas facultates mihi concessas habui.

(*f. 126*): Excell.mo Domino Nuntio Apostolico. Varsaviam.

170.

Volodimiria, 7. IV. 1773.

De itinere ucrainensi, de visitatione ex parte Coadiutoris, de Archiepiscopo Smolenscensi, de persecutione Unitorum in Ucraina, de persolutione proventuum ex parte Coadiutorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 130-131.

Ill.me, Excellentissime ac Rev.me Domine, Patrone Gratiosissime.

Uti appromisi complendum iter in Ukrainam, nisi obstet vel valetudinis vel alia gravissima et inevitabilis necessitas, respondere exactissime sollicitudini Excellentiae Vestrae absque ulla cunctatione curabo.

Delegationis Visitationis gratia ab Excellentia Vestra in Personam Ill.mi Domini Szeptycki directae intuitu finis, propter quem facta libentissime annuo, ad quem scribere non gravabor, mittereque hac super re consensum meum in scriptis, dummodo illius Officiales habeant injunctum ab Excellentia Vestra vitandam collisionem in regimine spiritualium; alias nullius frugi essent mei conatus.

Quam maximas refero gratias Excellentiae Vestrae propterea quod, consulendo securitati conscientiae meae, qui, ne dissipem res Dioecesis meae sub juramento sum obligatus, ipse sumpserit provinciam monere Ill.mum Archi-

Episcopum Smolenscensem, ne quid minimum damni Metropoliticis juribus ulla unquam ratione inferatur in Rohaczeviensi et Homeliensi Decanatibus, in Moschorum ditionem subactis, respectu quorum ad semestre literas Vicariatus in Personam illius transmisi.

(f. 130v) Necessaria reformatio Collegii Vilnensis ad commodum Alumnorum excitabit in illis majorem alacritatem ad studia, me vero cupidum illorum profectus magis ac magis obligatum faciet Excellentiae Vestrae.

Ordinum seu mandatorum exemplaria, quae quotquot diebus a Rectoribus Schismaticis per Palatinatus Kijoviensem et Braclaviensem sparguntur, quoniam difficilius perveniunt autographa, faveat ignoscere Excellentia Vestra quando in copiis vel traducta mittentur; tum propterea quod ibi exactius sclavonica interpretantur.

Quod attinet sublevationem per me exoptatam, intelligendum est de vetita mihi collatione ordinum per Palatinatus Kijoviensem et Braclaviensem, cujus obtinendae ergo repeto preces meas cum profundissimo cultu me subscribens.

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae

addictissimus ac obseq. Servus

F. Wolodkowicz, Archi-Episcopus, Metropolitanus totius Russiae (mp).

Vladimiriae, die 7 Aprilis 1773.

(f. 131)

Adjungo praesentibus mea petita ad Excellentiam Vestram, quatenus de opportuno remedio providere dignaretur respectu non persolutorum hucusque mihi a DD. Coadjutoribus proventuum, tam ex bonis quam ex reditibus Spiritualium per illos perceptorum, quorum restitutionem non modo negligunt, verum etiam defertur mihi Ill.mum Episcopum Leopoliensem disposuisse recipiendum in rem sui subsidium charitativum per Palatinatus Kijoviensem et Braclaviensem.

Prorogationem facultatum a Sancta Sede Apostolica maxime necessariarum, quae mihi ad quinquennium ordinarie concedebantur, supplex exoro.

(f. *130*): Excell.mo Domino Nuntio Apostolico.

171.

Volodimiria, 14. IV. 1773.

De iniuriis et molestiis ex parte Coadiutorum, de compromisso perficiendo, de relatione de administratione eiusque rebus gestis, de itinere ucrainensi, de Alumnis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 132-133.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Patrone Gratiosissime.

Binas literas, una sub di 8va currentis, Varsavia accepi, et cum fletu legi, quod sim expositus in opprobrium populo, Dioeceses vero meae cedant in praedam DD. Coadjutorum, qui pro delationibus mei non verificatis, fomentatione Cleri, inerturbatione regiminis, privatione rebus et incarceratione oeconomorum

aliorumque hominum meorum, tam saecularium quam spiritualium, interceptione proventuum de bonis, ante victoriam sparsis rumoribus, ac si essem destitutus omni regimine, jure merito repellendi essent a Coadjutoria.

Habeo honorem rescribendi ad easdem, exordiens a primo prioris epistolae articulo, ubi ad Compromissum accelerandum adhortor ab Excellentia Vestra. Memini probe articulos conventionis, quorum effectuandorum ergo, et praecipue 4ti et 5ti, conscriptiones necessarias in ordine ad compromissum peraguntur; sed cum majoris momenti injunctum habeam negotium, nempe iter in Ukrainam, quod sequenti septimana in Dei nomine arripiam, faveat Excellentia Vestra ad hunc effectum prorogare terminum, quousque in exercitio pii operis in Ukraina commorabor, et non pubblicare Beneplacitum Sanctae Sedis Apostolicae, quousque calculum non praestiterint mihi de perceptis DD. Coadjutores. Nam quae mea authoritas Primatialis erit, si privatus fuero omni jurisdictione? et obsequio Cleri? quomodo dici potero redintegratus plenissime?

Quo ad 2dum, 3tium, 4tum epistolae puncta, scilicet intuitu elenchi omnium dignitatum, Beneficiorum a me collatorum tempore administrationis, nominis provisorum, actu possidentium, institutorum a DD. Coadjutoribus, privatorum, expulsorum, expositionis singulorum respective meritorum, demeritorum, sensus super qualitatibus eorum, qui in dictis Beneficiis manuteneri vel pelli, aut detrudi digni videantur, quot personae in potestate DD. Coadjutorum detineantur, et ob quas rationes Monasteriolum S. Eliae, quo sit anno erectum, quos (f. 132 v.) fundos habeat, quantam numero familiam Religiosam, quas leges et regulares observantias? haec quoniam in instanti, ob distantiam locorum, ex quibus horum omnium colligenda sit accurata descriptio transmitti non possunt, praeter duo Decreta contra R. Koronczewski, ad praesens porrigenda per R. Procuratorem meum, commodiori tempore communicanda appromitto.

Similiter et de aedificiis Cathedralis Brestensis ecclesiae, nec non Seminarii ibidem, postquam recepero haec jam delineata a Commissariis meis.

Compassionem super non bona valetudine mea, quam lego ex altera epistola Excellentiae Vestrae, summa ac reverenti gratitudine prosequor. Hac aliquantum refectus, congregatis viribus, discedo in Ukrainam, postpositis omnibus impedimentis adversae sortis, de victu et amictu, confirmationem in spiritu incarceratis Presbyteris provisurus, etiamsi sim illis annumerandus. Invitarem libenter et Rev.mum Coadjutorem meum, sed quoniam Clerus adeo illi infensus sit, ut dicat malle se sub regimine Perejaslaviensis quam Leopoliensis Episcopi existere, saltem aliquantum abstinebo.

Ex praemissis facile colliget Excellentia Vestra, quam paucis sit numerus personarum absolvendarum designatus ejusmodi negotium mihi assumenti; et huccine deveni viribus in Vinea Christi consumptis, ut potestas mea satis limitata tanta arctitudine temporis circumcluditur?

P. Malinowski perquam discrete tractatur, cujus demerita in scriptis brevi transmittenda spero.

Pro iis quae sum lucratus a S. Congregatione de Propaganda Fide, me-

diantibus officiis Excellentiae Vestrae, respectu Alumnatus Vilnensis, Rev.di Mokrzycki, et a Sanctissimo Domino Nostro videlicet absolutionem, (f. 133) pro futura posta appromissas summas refero gratias cunctaque prospera a Domino Nostro Jesu Christo Excellentiae Vestrae exposcens, cum profundissimo cultu maneo

Illustrissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris mei singularissimi

addictissimus et humillimus servus

F. Wołodkowicz, Archi-Episcopus, Metropolitanus totius Russiae Vladimiriae, die 14 aprilis 1773.

(*fol. 132*): Excell.mo, Ill.mo ac Rev.mo Domino Nuncio Apostolico.

172.

Grodek, 27. IV. 1773.

De quodam presbytero excessivo, de Capitulo Volodimiriensi eiusque Officialibus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 176.

Illustrissime et Reverendissime Domine, Patrone Colendissime.[229]

Cum jam in via essem, tendendo in Ukrainam, delatum est mihi R. Michalczewski unum excessivum Presbyterum ab Ecclesiarchatu Cathedrali et Ecclesiae tituli S. Procopii Martyris, Capitulari Vladimiriensi legitime abjudicatum, plus quam tribus annis per abscondita loca divagantem censuris innodatum et excommunicatum, in contemptum tamen jurisdictionis et auctoritatis meae Divina peragere non verentem, causam suae abjudicationis in Tribunali Sacrae Nunciaturae Apostolicae per appellationem inchoasse. Cujus certus existo ex ipsis remediis Cancellariae meae intimatis, favore dicti Michalczewski ex hoc Tribunali Apostolico die 8 praesenti emanatis. Non me conturbat, imo satis contentum facit talis appellatio; spero enim id in effectu brevi futurum, quod jam a tempore sat longo expecto.

In capitulo Vladimiriensi multa sunt, quae bonum desiderant ordinem, cujus fundatio cum vel maxime mea intersit, Ecclesiam dictam Capitularem tituli S. Procopii M., post abjudicationem dicti R. Michalczewski, primo quidem per triennalem absentiam ipsius nulla data causa, vacantem, contuli R.D. Danieli Paszkowski, hactenus Secretario meo, Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi Vestrae optime noto, quem uti a me probatum, ad inchoandum saltem in Capitulo Vladimiriensi (f. 176v) ordinem, tum dictae Ecclesiae incuria memorati Michalczewski plurimum devastatae, ad fructum et emolumentum tribuendum habilem judicavi, absque Beneficio hactenus existentem, omni tamen optimo semper dignum. Favebit igitur Illustrissima et Reverendissima Dominatio Vestra hunc meum actum pro valido habere, jurique meo non modo ordinario, sed etiam Collationis, quod in praefatam ecclesiam habeo,

---

[229] Nuntio Va,saviensi.

non adversari, nempe institutum ad eam R. D. Paszkowski manutenere, et quod ex dispensatione mea vigore institutionis suae regimini ejusdem ecclesiae se inmiscet, controvenire inhibitioni in dictis remediis, 8 praesentis emanatis, contentae, non judicabit. Et hoc est, quod vel maxime ab Illustrissima et Reverendissima Dominatione Vestra flagito, tum me cum Decretis meis ad hanc causam spectantibus per D. Procuratorem meum Varsaviensem porrigendis aliisque R.D. Kizikowski, moderni Officialis mei Vladimiriensis in causa cum R. Sawicki, in omnibus Michalczewski non ab simili, documentis tenacissimae protectioni commendans, maneo debito cultu

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

addictissimus et humillimus Servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus, Metropolitanus totius Russiae (mp).

Die 27 Aprilis 1773 a. In Grodek.

173.

Grodek, 27. IV. 1773.

De presbyteris excessivis tempore administrationis, de Capitulo Volodimiriensi eiusque Officialibus, etc.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 142-143.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine, Domine, Patrone Singularissime.

Non adhuc sufficientem ad contenta anteriorum epistolarum Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae praesenti mea epistola do resolutionem; iter enim arripiendo in Ukrainam, non sum ita dispositus, ut haec exacte praestem, et quod ad singula negotia alius alias sit jussus a me colligere informationem, quam aut jam missam, aut adhuc mittendam Varsaviam spero. Interim tamen quod spectat Presbyteros, tempore Administrationis mihi contrarios, tuta conscientia fateor Ill.mae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae, illos non tam ideo, quod mihi fuerint contrarii, sed quod excessive vixerint, punitos a me extitisse. Horum sunt: Prymowicz, Lubinski duo, Koronczewski, Malinowski, Sawicki, Michalczewski, etc. et cum omittam nonnullos longius a me distantes, notum facio Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae, quod Sawicki et Michalczewski, a Capitulo, Officiis et Beneficiis Vladimiriensibus per me amoti, nullomodo ad illa ut redeant, justum est. Nulla in illis elucet spes, quod aliquando bene se gesserint, sunt homines viles, turbulenti, esum non Iesum in pane Christi quaerentes. Capitulum Vladimiriense indiget hominibus constantibus, huic potius quam sibi consulentibus, promovendae devotioni in ecclesia Cathedrali, tum bono ordini conservando accomodis, ad quod neuter praedictorum idoneus adinventus; proventus enim accipiendo, luxui non decori ecclesiastico dediti fuere. Alii Capitulares Presbyteri, vix sufficiunt obligationibus continuis exequendis, suis impensis omnia procurant, praedicti vero (f. 142v) Sawicki et Michalczewski praeferendo se aliis nullam adhibuerunt

utilitati ecclesiasticae. Cui obviando damno, ita nunc disposui, et hoc confirmando supplices mitto preces ad suam Ill.mam et Rev.mam Excellentiam, nempe ut in loco Michalczewski penes Ecclesiam Capitularem titt. S. Procopii Martyris R. D. Daniel Paszkowski, hactenus Secretarius meus, quem ipsamet Ill.ma, Rev.ma Excellentia Vestra in abscessu meo Varsavia, ut Beneficio aliquo provideretur, commendare mihi dignata fuit, manuteneatur, in alterius vero, nempe Sawicki locum, alius idoneus et constans Presbyter instituetur, quoque ad Capituli et Parochiae jura. Quod vero penes ecclesiam Capitularem titt. S. Eliae Proph. (a qua dictus Sawicki amotus) ego pro laude Dei Moniales Virgines Ordinis S. Basilii Magni, Regulam S. Patriarchae sui et S. Macrinae conforimiter cum Monachis Basilianis profitentes, fundaverim, seu potius antiquam fundationem penitus abolitam renovaverim, pro hac confirmanda uti jam toties SS.mo Domino Nostro Pontifici Maximo tum ejus Sanctae Sedi Apostolicae supplicavi, ita nunc Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae, Patrono et Protectori meo, jungendo preces pro R. D. Kizikowski, ad praesens in absentia mea Officiali Vladimiriensi a me constituto in causa ejus cum toties dicto R. Sawicki ratione Beneficii Horodyscensis supplico, totumque me suae efficaci commendo gratiae. Et quia institutum in Ukrainam ulterius promoveo iter, benedictionem in virtute Facultatum (f. 143v) Apostolicarum sibi concreditarum exposco, beneplacitum Sanctissimi Domini in confirmandis articulis concordiae cum Ill.mis Coadjutoribus meis initae, quatenus non promulgetur oro, maneoque cultu profunissimo

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae

... Servus humillimus

F. Wolodkowicz, Archi-Ep.pus, Metrop. totius Russiae (mp).

Die 27 April., 1773 anno. In Grodek.

(*fol. 142*): Excell.mo Domino Nuntio Apostolico. Varsaviam.

174.

Grodek, 30. IV. 1773.

De novis attentatis Coadiutoris Metropoliae contra iura metropolitica et de palatio Varsaviensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 139.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Singularissime.[230]

Absolutionem ad manus meas perventam, eo gratius suscepi, quo ardentius desideravi, pro illaque maximas refundo gratias.

Quo vero ad epistolam sub die 22 praesentis ad me datam, aliis praetermissis negotiis, illud quod est primum et principale exponendum Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae pernecessarium existimavi, quod ministri mei, ego etiam ipse, ullam damus causam dissensionum minimarumque discordiarum cum

[230] Nuntio Varsaviensi.

Ill.mis Coadjutoribus, jam vero (ut mihi Varsavia nunciatur) R. Lewinski, Procurator Ill.mi Leopoliensis, Varsaviae degens, quam temere et superbe cum DD. meis Procuratoribus procedit, vix enarrare possum, illi ipsi utpote per dictum Lewinski injuriati, maleque tractati enarrabunt Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae. Ego vero pro justitia enixissime oro ac obsecro Ill.mam, Rev.mam Excellentiam Vestram, quatenus Sua Auctoritate dignetur disponere, ut Palatium meum Varsaviense (cujus ego sum legitimus possessor, et plurimas expensas pro ipsius reparatione sustinui, atque adhuc sustinere debebo, liberetur a (f. 139v) tutela dicti Lewinski, quae plurimum injuriosa est mihi) Procuratoribus mero meis gravis et inutilis. Non utique probabitur mihi, aut ministris meis, quod praejudicium aliquod in bonis Ill.morum Coadjutorum faciamus; ad quid ergo haec in me practicari video? Quod jus habet, quaeso, dictus Lewinski in Palatium meum, ut ipso disponat, alioque locationem permittat me et Procuratoribus meis non consultis? Faveat Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra hunc ausum illicitum comprimere; mansionem dicto Lewinski in eodem palatio meo prohibere, meque ab ulteriori protegere injuria, hunc videlicet, qui in omnibus non a mea sed ab Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae pendeo voluntate, semperque omnimoda cum reverentia maneo

Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae

addictissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archi-Ep.pus, Metrop. totius Russiae (mp).

Die 30 Aprilis, 1773 anno. In Grodek.

175.

... *IV. 1773.*

Mandatum Metropoliticum inhibitionis Ordinum Sacrorum donec cessent iniuriae et oppressiones in Ucraina.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 136.

Copia Mandati Ill.mi Metropolitani Russiae expediti ad Clerum Dioecesis per Lithuaniam Metropolitanam.

Diversae nunc Ordinationes emanarunt tam ab Ill.mo Pergen quam etiam ab Ill.mo Czerniszew, qui utique apud suas Dominationes est Generalissimus. Ignoratisne quid agitur? En adimitur potestas omnibus jurisdictionibus, etiam Sanctissimo Domino. Quare quousque haec emanata Edicta non revocabuntur, et Patriae pax non restituetur eousque neminem ordinabo et insuper quicunque mittentur incapaces non ordinabuntur.

Felicianus Wolodkowicz, Archi-Episcopus, Metropolita totius Russiae

176.

Berdyczovia, 4. V. 1773.

De consolationibus et doloribus Metropolitae tempore suae visitationis in Ucraina, et petit protectionem Nuntii contra persecutores Unitorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 145.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Quemadmodum hilari animo Volhyniain Ukrainam in meam Archidioecesim Kijoviensem, ad Benedictionem Apostolicam, iter arripere mihi venit, ita Deo T. O. Maximo auxiliante cum omni gaudio et consolatione (salutatis Fratribus et Consacerdotibus meis, Christi Confessoribus, in carceribus Berdyczoviae existentibus) reperi eosdem intra angustias et tribulationes suas esse fortissimos in patientia et charitate Christi, atque pro gloria Sanctae Dei Ecclesiae quaeque pati promptissimos. Haec unica mea consolatio una ex parte hic Berdyczoviae, quo perveni, fuit. Ex altera vero, cum jam in eodem Berdyczoviensi Decanatu repererim novas Cleri a Schismaticis perturbationes seu eorundem Schismaticorum violentas scripturas et dispositiones, quae a Procuratoribus meis Varsaviensibus suae Excellentiae Ill.mae producenter et demostrabuntur, magnis doloris affectibus perfusus sum, dum non apprehendo certum resistendi viribus inimicorum hic et nunc modum. Quapropter Excellentiam Illustrissimam et Rev.mam Dominationem Vestram humillime expeto, ut dignetur pro sua summa prudentia, gratia et auctoritate cum Proceribus, Legatis et Ministris quibusvis tractare eosque animare ad defensionem fidei, Ecclesiae et Cleri uniti ne etiam aliquid nocivum statuatur, vel in terminis irrumpat in modernas Comitiorum Constitutiones, si quas sperare licet. Ego autem quam primum perveniam Radomisliam, ad Bona mensalia, et Residentiam in ibidem meam, illico omnes conatus in hoc ponam, ut (f. 145v) quanto clarius et solidius de his quae hic aguntur et opportuna erunt suae Excellentissimae, Ill.mae Dom.ni Vestrae significarem, ac ipsemet pro possibilitate mea allaborem.

Quod superest, gratiae et respectui millenis vocibus me commendo, atque indesinenti cultu maneo

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris meis singularissimi
addictissimus et humillimus servus
F. Wołodkowicz, Archi-Ep.pus, Metrop. totius Russiae (mp).

Die 4 Maii, 1773 anno, Berdyczoviae

P. S. — Humillime expeto Suam Excellentiam Ill.mam ut dignetur me informare super resolutione, vel ope aliqua a Serenissima Domina, Hungariae Regina, quoque de successibus et actionibus Ill.mi Smogorzewski, Polocensis Archiepiscopi, nam ego ab illo nullam habeo hactenus notitiam.[231]

Procuratores Ill.mi Leopoliensis ne se imisceant ad ordinationes Palatii mei Varsaviensis, etenim hocce Palatium reparatione eget, pro sartis itaque tectis satis valebunt aliqui proventus a residentiis quam quod ipsi frustra eas possidere volunt, bene se aliunde ex sua Dioecesi habentes.

---

[231] Tunc temporis agebatur de administratione Decanatuum Rohaczeviensium, quae dominio cesserunt Moscoviae.

177.

Prope Berdyczoviam, 5. V. 1773.

De rebus gestis cuiusdam Michalczewski, aliisque excessivis sacerdotibus, et praesertim de Sawicki quodam, cuius vitam et actiones enarrat.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 146-147.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Singularissime.

In ipso ascensu Berdyczoviam ad visitandos et consolandos miseros Presbyteros in carceribus detentos, recepi nuntium Vladimiria, quod Presbyter excessivus Michalczewski, promotore suo Sawicki (similium qualitatum ambo de quibus praecedenti mea epistola fusius expressi, in fundamento salvi conductus Illustrissimae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, sibi ac aliis pluribus concessi, nunc autem privatim aucti, multos enim, ut mihi notum habeo, recentissime eidem salvo conducti ascripserunt Presbyteros, ut eo forsan modo totam Dioecesim ad se trahant, unice in meae auctoritatis praejudicium) veniens Vladimiriam, ibique gustum nesciente lingua plurima cum maxima detractione iniquissime contra me, meamque jurisdictionem locutus, cum a R. Suszczewski, Concionatore et Ecclesiarcha Cathedralis Vladimiriensis, corriperetur, ne sit tam profusus in iniquo sermone, post multas in ipsum ab eodem Michalczewski prolatas diffamationes, alapam eidem dicto R. Concionatori impegit, a nulloque obtenta absolutione ad altare accedere praesumebat, et certe accessisset, nisi tam ab eodem R. Concionatore, quam etiam ab aliis Capitularibus Presbyteris impeditus fuisset. Qualiter autem in occupatione domus Plebanalis ecclesiae titt. S. Procopii Mart., a qua meo Decreto recenter amotus, processit, quales homines et cujus conditionis sibi assotiari fecit? Illud subticeo, narro solummodo, quod ejus forsan sensus erit et alter dictus Sawicki, (f. 146v) qui ob injectionem violentarum manuum in quemdam Presbyterum Latini Ritus, Commendarium Praeposituralis Ecclesiae Kivelensis, Krzyudzieyski nominatum, excommunicatione canonis: Si quis etc., innodatus, illam tamen non veritus Divina peragere praesumpsit, nunc etiam, me absente, in Ecclesia Cathedrali Vladimiriensi ad altare accedere audebit, licet ego monui Capitulares Presbyteros ne ipsum admitterent. Certe vel maxime afficior dolore, Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, ob pertinacem audaciam, caecam inhumanitatem dictorum Presbyterorum, qui in summum Autoritatis meae praejudicium, nullo facto ad me recursu, neque agnita ordinaria in me jurisdictione, eadem faciunt praejudicia, quae qualiaque stante administratione faciebant. Et quid valoris habet redintegratio mea? Rogo, Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, ut hic ausus illorum Presbyterorum non augeatur amplius, liceat nunc mihi saltem a minimis non pati injuriam, illamque ex salvo conductu Tribunalis Apostolici provenientem. Despectus sum satis a (f. 147) DD. Coadjutoribus meis, ergo saltem a Ministris illorum non despiciar.

Alterum negotium mihi delatum illud est, quod compulsus pro dimittendo, libere et commode, in claustro ecclesiae meae Grodecensis, sub regimine et attentione R. Capellani hujus loci existente, R. Malinowski, sub die 20 Mensis Aprilis emanatus, valde breve, nam spacium trium horarum praefixit tempus. Et licet tam breve tempus habeat, dictus tamen Sawicki ut me, meosque Officialistas in discreditum apud Suam Illustrissimam Excellentiam inducat, non mihi illum compulsum, neque illi loco in quo dictus Malinowski permanet, intimare fecit, sed Vladimiriae solum scire de ipso dedit, plurimaque (quod jurisdictio mea brevi cessabit) divulgare non erubuit. Vix enarratu possibile quantas inde sentio afflictiones, ab illis malevolis Presbyteris. Non utique caeco impetu in retentione toties dicti Malinowski, ad recolligenda et emendanda commissa sua, processi, adhucque paululum mortificandus esset ad exemplum aliorum, et obliviscendum tituli Officialis Polessiensis, cum utique Lithvaniae Dioeceses sunt relictae ad vitae tempora (f. 147v) jurisdictioni meae, non patiar ego hominem mihi infensissimum, processatum, de multis excessibus vix ab omnibus accusatum et inquisitum, ut meas in spiritualibus peragat vices. Nihil peto impossibile, Ill.me et Excellentissime Domine, sed tantummodo potestatem libere exercendi jurisdictionem meam, a qua pendet omnino malorum castigatio, bonorum autem praemiatio. Oro, igitur, ac iterum iterumque flagito ut quos antecedenti epistola commendavi Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, tum suo Ill.mo Auditori, iidem penes sua Beneficia manuteneantur, quos vero juste ac conscienter vituperavi, illi amoveantur. Hoc erit, quod inter alia ab Ill.ma et Rev.ma Excellentia Vestra mihi praestita beneficia praecipue annumerabo semperque et indilate significando quid proficiam in itinere suscepto; reverenter fatebor, quod sim

Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae

addictissimus et humillimus servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae

Die 5 Maii 1773 anno, in via prope Berdyczoviam.

f. 146: Excell.mo Nuntio Ap.lico. Varsaviam.

178.

Berdyczovia, 13. V. 1773.

Conamina Metropolitae subveniendi rebus Unionis in Ucraina, instantiae apud Gubernium civile et militare, de subsidio adsignato incarceratis Berdyczoviensibus, et de causa sua cum Coadiutoribus vertente.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 151-152.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Singularissime.[232]

Praeterita immediate epistola, de die nempe 4ta praesentis hinc scripta, significavi Suae Excellentiae et Rev.mae Dominationi, quomodo Berdyczoviam

[232] Nuntio Varsaviensi.

porrexi. Nunc incumbit mihi notificare, quod adusque ibidem Berdyczoviae penes incarceratos Presbyteros meos pro consolatione eorundem permaneo. Ex quo loco misi cum expeditione Aulicum meum, et cum illo aliquot sacerdotes a schismaticis infestatos, nedum autem ad cerceres acceptos, ad Illustrissimum Generalem Szyrkow, Moschovitam, commendam in his nostris Poloniae Partibus habentem supra exercitum, a quo in horis resolutionem expecto, spargitur enim hic rumor, quasi idem Generalis recommendatum sibi habeat, ut indaget omnino super violentia a schismaticis Clero meo illata, et innocentia incarceratorum, quo fine speratur adventus ipsius ejusdem Generalis Berdyczoviam, cum quo ad os loqui occasione persecutionis Cleri, praeterquam quod ad ipsum scripsi, valde optarem. Utinam, Deo auxiliante, finem violentiis tantis imponere possem, de quibus violentiis intolerabilibus procuratores mei Varsavienses dabunt elenchum.

Quam primum autem a dicto Generali Szyrkow quamcumque recipiam resolutionem, illico mittam electos Emissarios cum omni informatione ac postulatis ad Celsissimum Rumiansow, Supremum Exercitus Rossiaci Ducem, et ita nullum modum omittam quo possem miseros incarceratos, et fidem periclitantem tueri, nec sumptibus nec sanitati propriae pro quam optimo effectu parcam.

(f. 152v) Supra memoratos incarceratos die nuperna religiosus Pater Hieronymus Kalitynski, Superior Cremenecensis, et Missionarius Ordinis S. Basilii Magni, cum alio socio suo, me praesente, verbo spiritus, nomine Excellentissimae, Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vèstrae refecit, quibus tandem Hungaricales Aureos 46 cuilibet alias per unum et insuper Patribus Ordinis Carmelitarum discalceatorum ad cassam hungaricales Aureos sex tantisper, quousque in aliis locis detentos visitabunt, distribuerunt; qua recepta pecunia omnes cum lachrymis pateticas piissimas orationes pro omni felicissimo successu Suae Excellentiae Ill.mae ad Deum fuderunt ac in crastinum Missarum Sacrificia absolverunt.

Recepi ex Urbe recentem notitiam quod resolutio Sacrae Congregationis de Propaganda Fides secrete facta soli prudentissimo judicio Suae Excellentissimae, Ill.mae Dominationi commissa.[233] Itaque cum dulci osculo manuum Suae Ill.mae Excellentiae centies humillime prout eandem resolutionem dignetur, quatenus quidquam Coadjutoribus meis faveret, occultare, nec eandem promulgare. Videbit etenim in tempore tum Sancta Sedes cum Excell.a, Ill.a Dominatio Vestra quomodo illi Coadjutores minime in ovili Christi operantur, laudant se tantum unde laudem habere non debent nec possunt, quaerunt quae non sunt illorum, amant bona temporalia Ecclesiae, non ipsam Ecclesiam, (f. 152) cum ex fructibus eorum nihil tantum appareat quo gloriari justissime possent, tametsi juniores sunt, ac ad bene operandum sufficerent,

---

[233] Agitur de confirmatione s. d. «concordiae» inter Metropolitam eiusque Coadiutores, quae data fuit a Sede Apostolica die 20 Martii 1773; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 229, nr. 808.

si vellent. Clerus hic nullo modo optat sibi illorum Regimen, signanter et respective Ill.mi Domini Leopoliensis, meque his diebus multum super hac re incomodavit aliquoties, quem remisi cum petitis ab eo factis ad Suam Ill.mam et Excell.mam Dominationem et Sanctam Sedem Apostolicam, si quid exponere et petere ultra intenderet.

Quo vita mihi supererit hucusque indesinenti cultu et infinita reverentia maneo.

Excellentissimae, Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Benefactoris mei singularissimi

addictissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae.

Die 13 Maii 1773 anno. Berdyczoviae.

179.

Berdyczovia, 16. V. 1773.

Tentamen Metropolitae pro eliberatione incarceratorum presbyterorum Berdiczoviae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 185.

Sponsio data ab Excellentissimo Metropolitano Illustrissimo Szyrkow.[234]

Ego Felicianus Philippus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, constitutus in Dioecesi mea Kijoviensi in Oppido Berdyczow die 23 Aprilis 1773, V.S., videns Presbyteros meos per Protopopas non Unitos ad Carceres traditos et prope annum in Arce Berdyczoviensi sub Custodia Exercitus Russici detentos, post desideratum adventum Illustrissimi Domini Szyrkow, Generalis Majoris Exercituum Russiae, in hunc locum, eliberationem illorum enixissime rogo. Quia vero difficultatem ex quibusdam ad eos praetensionibus formatis reperio, ea propter spondeo quod post eliberationem ipsorum, si quis aliquam veris probationibus firmatam ostendat praetensionem, tunc ipsis comparere, et omnimodam satisfactionem propter singula pastoraliter demandabo et infallibiliter effectuabo, jungens simul praeces pro satisfactione injuriarum per Protopopas non Unitos patratarum et prohibitione ulteriorum persecutionum et invasionum Cleri et Ecclesiarum mearum. In quorum fidem manu mea subscribo.

Datum Berdyczoviae, die 16 Maij 1773 Anno.

Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae.

180.

Berdyczovia, 21. V. 1773.

Gratias agit de quodam negotio soluto et de Coadiutore Metropolitae in oris Ucrainae commorante.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 179.

---

[234] Agitur de prima redactione huius sponsionis seu assecurationis; alia exemplaria cfr. infra, sub dat. 13 et 24. VI. 1773.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Quemadmodum Sanctae Sedis Apostolicae Mandatis sacrosancte obtemperare muneris est mei, ita desideriis Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae satisfacere est mei obsequii. Pro apprecatione itaque fausti itineris in Ukrainam, tum appromissione causarum a me recommendatarum pro aequitate justitiae discussionis, institutionisque Reverendi Paszkowski approbationis humillimas suae Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi refero gratias, cui etiam secundum vires meas inservire omni ex parte paratum ac promptum me offero.

Quo ad opera et studia Illustrissimi Coadjutoris mei his in oris commoraturi, de cujus adventu nondum mihi constat, utenda videbo, quomodo illa bono Ecclesiae, Juribus, et utilitati meae erunt proficua et officiosa, alias aliter meum erit conqueri ad Suam Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem eamque rogare, ut amplius nolit mihi opera istius, quatenus inutilem se redderet, insinuare.

(fol. 179v.) Interea gratiae et benevolentiae suae me commendo atque omni cum reverentia et distinctissimo cultu maneo

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

addictissimus et obsequentissimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp).

Berdyczoviae, die 21 Maji 1773.

181.

Berdyczovia, 21. V. 1773.

De suo Coadiutore Metropoliae eiusque opera et collaboratione praeterita et praesenti, de possibilitate successionis eiusque utilitate, de quibusdam sacerdotibus: Lubinskyj, Mokrzyckyj, nec non de presbyteris incarceratis Berdyczoviae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 153-154.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine Patrone Singularissime.

Die 21 Maii 1773, Berdyczoviae.

Litteras Ill.mae, Excell.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae de 6ta praesentis Varsaviae datas cum omni ea, quae par est, reverentia recepi hic Berdyczoviae.

Utilitatem promanaturam Excellentissima, Ill.ma Dominatio Sua confidet exinde, si Coadjutorem meum in socium laborum adjungere non graverer, cum et usus ideo invaluerit in Ecclesia Coadjutoriarum, ut onus Episcoporum supportent Coadjutores, adjuvent, et sublevent Epicopos. Ratio hujusmodi cum canonica, tum Suae Excell.mae, Ill.mae Dominationis sanctissima prudentissimaque est, verum procedit illa ad istos Coadjutores, qui sunt utiles Ecclesiae, et Episcopis, non vero quales sunt mei: inutiles, ingrati, veneruntque non ut

Ecclesiae inserviant, sed ut illis inserviatur, nolunt vocare Ecclesiam Dominam sed dicunt esse proprietariam suam; talium igitur Coadjutorum qualia opera et consilia salutaria esse possunt, et quomodo sunt in socios laborum adjungendi? cum nunquam mecum, sed continuo contra me agant, nescio.

Non putet Sua Excell.ma, Ill.ma Dominatio me non amare ab ineunte fere aetate prudens quodvis consilium, aut socios operariorum, quis enim foret, qui haec sperneret? Avertat Deus, sed cum certo certius mihi constet curam omnem et omnem sollicitudinem ipsorum in hoc esse positam, ut per omnes suos actus me postponant, denigrent, et usque ad mortem seu ad amissionem vitae perducant, hinc non possum ego, ipsa suadente naturali ratione, opera et consilio illorum uti.

Ill.mus Leopoliensis Episcopus, Metropolis meae Coadjutor, non pridem praeteritis diebus scribit ad certum Presbyterum meum, quod nemo in Hierarchia nostra inveniatur, praeter unicum illum, qui pro bono ecclesiastico laboraret. An licet ergo ipsi in tantis modernis circumstantiis tam illicito modo animare ad se affectum Cleri, suumque intendere per id finem, qui tenetur, et quem undique decet sub nomine Coadjuti sui, si qui laudabiles sint absolvere actus.

Nulla discordia (fatendum est vere) ibi existit, ubi in Domo Dei ambulant cum consensu, ubi alieni boni non extat appetitus; ego vero informari vellem de unico saltem tali actu Coadjutoris mei qui esset sine praetensione novi praemii seu ditionis alicujus semper.

Et certe, si Sua Excell.ma, Ill.ma Dominatio Concordiam ad executionem (f. 153v) perduceret, mirum in modum me injuriaret; quia hoc modo, praeter accelerationem mortis meae, praecluderetur omnis facilitas repetendi a Coadjutoribus quidquid indebite perceptum sub tempus administrationis, et alias quomodolibet apud ipsos reperitur; a qua executione quatenus Excell.a, Ill.ma Dominatio Vestra supersedere dignetur, humillime cum osculo manuum ipsius rogo.

Futurum quidem successorem meum designavi Ill.mum Leopoliensem, sed in sollicitudinem mearum socium nunquam adjunxi, quinimo postquam opera Excell.mi Domini Visconti, pro tunc Nuncii Apostolici, volens nolens ipsum designaverim, illico statui, ut ad vitae meae tempora nullo modo immisceatur in regimen Archidiaecesis meae, verum successione sit contentus, quod etiam in Literis suae Sacrae appositum expresse habet.[235]

Quali utique successione unica omnino contentus esse deberet, cum ego summo labore et expensis Bona Mensae Metropolitanae, quae importabant tria tantum, subsequenter sex, tractu vero posteriori viginti aliquot millia florenorum Polonicalium, perduxi ad paulo minus centena, prout edocebunt contractus, quos ego apprehendi, et modernum inventarium. E contra hujusmodi igitur labor meus et expensa grato facta successori videtur.

---

[235] Agitur de mense Decembri anno 1762; cfr. Bullam Coadiutoriae Leoonis Szeptyckyj sub dat. 18. XII. 1762, in *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 179, nr. 756.

Si autem licet adhuc pergere ad societatem adjutoria, et consilia eorundem Coadjutorum, en statim apparebunt: - In anno adhuc 1767 proposui ipsis, cum jam pestis schismaticorum irrepserit in Ecclesiam, ut unus Leopoliensis, qua senior est, et satis habet ex suo Episcopatu contribuat aliquid ad meam propriam expensam; alter vero junior Brestensis assumat in se onus progrediendi Petropolim, habitis credencialibus Maiestatis Serenissimi Domini Poloniarum Regis, fine exponendarum illegitimarum perturbationum Cleri et populi uniti, coactionisque et animationis ad praestanda contra Ecclesiam Sanctam juramenta, et non aliter nec alio fine Bona Ill.mo Brestensi dimisi; quid ergo faciendum, obsecro, siquidem propositiones meae ad hodie spretae sint?

In tempore cum pro zelo Ecclesiae Sanctae fuerim a Moschis persecutus, licet consciverunt quod intra limites Regni situm habuerim, procurarunt administrationem Apostolicam ad expositiones irreales, acsi post limites Regni existentiae meae, cum jam ex Litvania in Volhyniam et Ukrainam pervenerim et Decretum redintegrationis obtinuerim, tum contra dispositiones (f. 154) meas consecraverant in Presbyteros, installaverant, Olea Sacra distribuerant, cathedraticum exegerant, ac sibi omnia usurpaverant; tanti autem ipsorum actus quid aliud esse possunt nisi unica discordia, utique ex solis illis promanata, consequenter perturbationes Cleri et populi disordines, ac tandem ipsum schisma exortum.

Verum quod vel maxime tangit me et angit istud est, quia ego pro usu Ecclesiae Sanctae omnem perceptam ab iisdem Coadjutoribus ex Bonis meis, et e quomodolibet alias pridem jam disposui, ac Authoritati Sanctae Sedis Apostolicae pro recuperanda eadem subjeci. Non dedignetur ergo Excellentissima ac Ill.ma Dominatio Vestra adjuvare me in hujusmodi dispositionibus. Nam quemadmodum quoad vivero sempe memor ero Excell.mi, Ill.mi et Rev.mi Durini, Antecessoris Suae Excellentiae Ill.mae, singularis adjutorii et protectionis, ita gloriari Suae Excell.mae, Ill.mae Dominationis opto eadem ac pari protectione, quae sufficiet mihi pro infinitis Coadjutorum, donec vita superenit, consiliis.

Accedit ad id ratio statistica; si enim Ill.mus Leopoliensis extra Provinciam remanebit, hoc est in partibus Austriacorum, semper quaerere paratus erit protectionem, ne nimirum quidquam vel minimum de perceptis refunderet et quia ille tales modos nocendi semper quaerere solet, quemadmodum Provinciali Synodo Nostrae Brestae sub nomine meo agitaturae, ad quam absolvendam juxta praescriptum Benedicti piissime Memoriae XIV Papae omnia fuere praeparatoria, et quae forte non modicum Ecclesiae Dei poterat prodesse, nocuit, dum legatos loco Legatorum Sanctae Sedis Apostolicae viis secretis procuravit, hoc utique pateticum est.

Quoad Dominum Prymowicz et Lubinski, istorum Presbyterorum curabo ego brevi praesentare Suae Excellentiae Ill.mae ante omnia authenticas dimissorias ex Leopoliensi Dioecesi ad Archidiaecesim meam Kijoviensem, ex quarum contextu patebit finis et intentio cum illorum, tum dimittentis, quod ipsi videlicet per id tantum temporis spatium intra Archidioecesim meam commorari

valeant, per quod exigente necessitate mihi tanquam loci Ordinario placuerit, alias in suam propriam Dioecesim reverti teneantur. Unde, tamtesi dederint aliqua ducumenta lamentorum suorum, quia tamen receperunt optima praemia, (nam D. Prymowicz qui antea nihil habuit potest nunc numerare trecentena millia florenorum Polonicalium (f. 154v); alter Lubinski vix non per medium) non ideo omnino officia praetendere debent, aut circa illa manuteneri, cum per illorum documenta non excludantur alii zelosi pro Sancta Religione, ac magis meriti praetereaque proprii nativi dioecesani, SS.mi Domini Alumni, viri constantes, prudentes, et in jure versati, inter quos utique promovendos servanda venit omnino justitia distributiva, tum quia cuilibet Ordinario illi magis incumbet favere, qui semper est cum ipso Ordinario, non qui contra ipsum. Curabo quoque omnino praefati D. Lubinski authenticum documentum, quo ipse recentissime submisit se et subscripsit in Human Schismaticis, praesentibus aliis incarceratis, signanter Domino Stopczanski, quondam Secretario meo, unde gravissime scandalizavit alios, prout modo dictus Stopczanski ex iisdem Humanensibus Carceribus aufugus, hic mecum nunc existens, ore suo retulit mihi. Is idem Lubinski rediens de Human toto ore Presbyteris promulgavit, praesertim Parochis in Villa Sorzyzawka, ut nolent sperare amplius S. Unionem, sese subscribant et jurent schisma, si salvari volunt. Ejusdem Domini Lubinski Parens Presbyter, intra Decanatus Braclavienses existens, aliique omnes consanguinei et affines in magno numero pridem jam schisma jurarunt, aliosque fere nolentes per praepotentiam suam redundantem ex officio ad idem praestandum stimularunt. Ad extremum salvi conductus contra Authoritatem Spiritualem tum Sanctae Sedi Apostolicae, cum Ordinariorum nonne notoria est scissio partium a capite? quomodo ergo accusari non debent.

Quod attinet incarceratos Presbyteros, de illorum libertate adhibeo hic omnem cum non modica expensa curam; verum utrum haec stabilem sortientur effectum, nescio adhuc; spero tamen, prout clarius annexae hic responsoriae Ill.morum Generalium de Szyrkow conjugum, tum mandatum de Polonne a me jam procuratum, in manus 12 datum, ut nimirum 12 Presbyteri schismatici sistant se coram eodem Generali in Polonna cum nostris Unitis fine cognitionis violentiarum et praetensionum edocebunt Suam Ill.mam et Rev.ma Excellentiam.

Summas ago gratias Suae Ill.mae Excellentiae pro recommendatione Ill.mo Domino Auditori Tribunalis Apostolici jurium discutiendorum Sawicki, Michalczewski, Sacerdotum. Quo ad alios, non omittam media quibus juste providerentur.

Interea me summae benevolentiae suae commendo omni cum veneratione manens

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae

addictissimus et humillimus Servus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metrop. t.R.

182.

Radomislia, 23. V. 1773.

Litterae circulares pastorales ad eparchiam metropolitanam Kioviensem, ut stent firmiter in fide catholica, et caveant sibi a falsis pastoribus, etc.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 155-156.

Traductio Literarum Circularum Ill.mi, Excell.mi et Rev.mi Domini Metropolitani totius Russiae pro Dioecesibus Kijoviensi et Braclaviensi emanatarum.

Felicianus Philippus Wolodkowicz Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archi-Episcopus Metropolitanus Kijoviensis, Halicensis, totiusque Russiae, Protothronus Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Kijovo-Peszarensis Archimandrita.

Universo Clero Saeculari et Religioso, omnibusque Christi Fidelibus, Archi-Dioecesis Nostrae, in Kijoviensi et Braclaviensi Palatinatibus degentibus, salutem et Pastoralem Benedictionem.

Charissimi. Oppressiones, incarcerationes et afflictiones Vestrae,[236] quas pro Unione in Ecclesia Sancta Romana Catholica adhibitis variis violentissimis mediis, passi estis, *testis nobis est Deus, cui servimus in spiritu nostro Evangelii Filii Ejus* (Ad Rom., Cap. 1, Vers. 9), quoniam incessanter vigent in memoria nostra, ideo *semper in orationibus nostris rogabamus, quatenus tandem aliquando possimus habere prosperum iter, Deo volente, vos adeundi* (Ibidem, vers. 10). Cum igitur, postpositis omnibus authoritati nostrae compendentibus negotiis, non parcendo reliquiis virium tum saluti nostrae ad hanc Archi-Dioecesim personaliter in solitum locum Residentiae Radomisliam pervenerimus et spiritus in quibusdam Vestrum labefactationem et vulnerationem per vim, incursiones et alia pericula aliquantum cognoverimus, *sensimus in Nobis desiderium Vos videndi ut vobis aliquantum communicaremus gratiam spiritualem pro confortatione vestri* (Ibidem, vers. 11), hoc est ut vicissim gauderemus per hanc quae communis est *Fidem Vestram et Nostram* (Ibidem, vers. 12), tum ut ad conatus, curam et solicitudines nostras in adjutorium et auxilium vestrum vestra quoque uteremur dexteritate per manifestationes publicas et subscriptiones in actis authenticis brevibus, quomodo vos natos, educatos et semper constantes in Unione Sancta, ad denegationem ejusdem, et recessum a jurisdictione nostra cogunt, quae quilibet Decanatus cum suo Decano alter post alterum (f. 155v) pro posse perficiet. Super his per praesentes Pastoraliter vos nos requirentes et terminum comparendi Radomisliae, a die nona Iunii ad diem vigesimam nonam ejusdem mensis juxta vetus Calendarium anno currenti, praefigentes commemoramus vobis obligationes et vota Deo Omnipotenti

---

[236] Agitur de persecutionibus Ecclesiae Unitae in hac regione, cooperante exercitu moscovitico; de his eventibus cfr. alia quamplurima documenta praesentis editionis.

in manibus nostris circa consecrationes et installationes Vestras pro Beneficiis emissa, ad Vestram propriam appelantes existimationem, quod hanc nostram vocem tanquam vestri proprii Pastoris, potestatem sibi datam habentis, absque laesione conscientiae non audire nequitis, neque ullum aliud juramentum violenter a vobis extortum juxta communem Theologorum et Doctorum Ecclesiae Catholicae sententiam dispensare vos super his potest. *Vigilate solummodo, Charissimi, vigilate vobismet ipsis et universo gregi, super quo vos Spiritus Sanctus constituit, ut regatis Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo Capiti, ne ex vobismet ipsi surgant Viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se* (*Act. Apost. 20, vers. 28, 30*). *Nam hi solum sunt qui ipsi recedunt carnales spiritum non habentes* (*Iud., vers. 19*). *Pro insigni letitia recenseatis, Fratres, dum in varias incideritis tentationes, scientes quod probationem Fidei Vestrae efficit patientia et patientia habet perfectum opus ut sitis perfecti et consummati* (*Iac. 1, 23-4*). Demum cum in omnibus nostris afflictionibus et adversitatibus nullum aliud levamen reperiamus, quam circa pia suspiria corda et manus ad Deum Omnipotentem levare, congruum atque summe necessarium esse censemus, quatenus omnes hae afflictiones et adversitates in vulnera sanctissima Salvatoris nostri, qui incomparabiliter plura pro nobis passus est in Cruce, efferatis. In quibus, ut et nos ex munere officii Nostri Vobis, Deo adjuvante, verum exhibeamus Pastorem, omnes conatus et sollicitudinem adhibere non praetermittimus; interea providentiae vos Divinae et Protectioni Beatissimae Virginis Mariae commitentes, has literas (f. 156) circulares via ordinaria cursoria per omnes Decanatus, et postea per Admodum RR. DD. Decanos singulis Presbyteris transmittere commendamus, et in meliorem fidem easdem manu propria subscriptas solito sigillo communiri jussimus.

Datum in Radomislia, die 23 Mensis Maii, 1773 anno.

Felicianus Philippus, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (L.S.)

183.

Berdyczovia, 27. V. 1773.

Refert de rebus gestis in Ucraina in visitatione paroeciarum et praesertim de suis conaminibus in favorem sacerdotum incarceratorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 186

Excerptum ex Epistola Illustrissimi Domini Metropolitani, die 27 Maji scriptae ad suum Procuratorem Varsaviensem, ex Berdyczow.

Quator septimanis laboravimus et nihil cepimus, quamvis conduxi Illustrissimum Dominum Szyrkow Berdyczoviam; hic vidit miseriam incarceratorum, excarcerationem in instanti exigere haud potui, et expetere nec ore nec aere; dedi sponsionem pro quo tempore et termino disponet, si necessitas exigerit in quemlibet locum statuere, sub vadio eductionis mei ipsius Kijoviam, spondendo quod nullus ipsorum secundum Regestrum confugiet, addidi et isthuc: liberam confiscationem bonorum; vix haec expostulavi quod

sponsionem acceptavit et hanc misit ad Feltmareschalcum; nescio utrum erit approbata. Apromisit in octiduo responsum dare a Feltmareschalco, cum spe, et appromissione eorum excarcerationis futurae, quod utinam faxint dii! Amen.

184.

Radomyslia, 5. VI. 1773.

Conamina Metropolitae pro eliberandis sacerdotibus Berdyczoviae incarceratis a Gubernio militari russico, de negligentia Coadiutoris, commendat Nuntio ut instaret apud Magnates Kiovienses pro presbyteris eliberandis, de sac. Glinski, item incarcerato, et de opera Episcoporum compromissorialium in causa concordiae inter Metropolitam et Coadiutores exsequendae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 164-165.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Singularissime.

Postquam tandem finiverim circa incarceratos presbyteros Berdyczoviae per tres septimanas continuatam residentiam, de ejus effectu significare Excellent.ae, Ill.mae Dominationi Vestrae est mihi honor.

Quam maximam habui curam atque sollicitudinem conducere de Brodi Berdiczoviam usque Ill.mum Dominum Generalem Exercitus Moschovitici, Dominum de Szyrkow ut ipse in sua Persona praefatos presbyteros videat, rem cognoscat misereaturque super miseria et oppressione illorum atque cognita injustissima persecutione eosdem dimitti ex carceribus faciat, pro cujus meliori assequendo fine expendi circiter quincentos Taleros Imperiales; etenim tum consorti Domini dicti Generalis Catholicae, tum Officialistis ejusdem aliquid contribuere opportunum hoc in negotio censui.

Cum vero ad Fortalitium Polonne idem Generalis venisset, ipsum in ibidem visitavi, et, quanto clarius fieri potuit, de omnibus informavi. Qui quidem licet post controversias inter meos Unitos Presbyteros, et Disunitos creatos ad oppressionem Cleri Decanos facilis ad dimittendum apparuit, non tamen ad huc dimisit, mediante hac excusatione, quod scilicet ad instantiam Ill.mi Leopoliensis miserat expeditionem ad Celsissimum Romanzow, Felt-Mareschalcum, unde nullam decisivam obtinuit resolutionem, nihilominus verbo inhibuit Disunitis suis ne amplius invadant et molestent Unitos, nonnullis in scriptis (f. 164v) salvum conductum concessit, sed ut tantum in suis residentiis Plebanalibus, sine administratione ulla Curae Parochialis remanere possint; in reliquis una mecum de Polonne pervenit Berdyczoviam, ubi expeditam a me et subscriptam sponsionem, quam de verbo ad verbum praesentabunt Suae Excellentiae Ill.mae mei Procuratores Varsaviae,[237] appromisit ad Celesissimum

[237] Unus ex his Procuratobis nominabatur Hucevycz.

Romanzow sua staffetta mittere, et omnino dimissionem incarceratorum procurare. His ita se habentibus expecto quotidie ultimariam resolutionem, de qua notificare Suam Excellentiam Ill.mam non praetermittam.

In magna existo admiratione quod Ill.mus Leopoliensis, licet de ipso spargatur fama ac si inveniatur finitime ad Archi-Dioecesim meam, in Civitate Bar nuncupata, nullas Literas nec ullam certam notitiam de se, et, si quae forent, factis suis, adusque dederit. Meum votum esset, si illud placere posset Excellentiae Vestrae Ill.mae, quatenus assignetur aliquis juniorum Antistitum, et signanter Coadjutorum, qui pergat in hoc magno Religionis negotio, expensis Hierarchiae, Petropolim; alias difficile illud venit domi determinandum, cum multi hic toto ore loquantur, quasi istius operis solus Celsissimus Romanzow sit primus movens. Tantisper vero dignetur Sua Excellentia Ill.ma scribere ad Magnates Dominos hujus Kijoviensis et Braclaviensis Palatinatus, ut ipsi etiam viritim requirant a toties recitato Celsissimo Romanzow abstinentiam a persecutionibus Cleri, ac reintegrationem expulsorum ad suas Parochias et Beneficia, cum etiam agatur de juribus ipsorum, quorum Serenissima Imperatrix est Quarandrix. Jam vero aperte a Disunitis praesentatos et quomodolibet melius introductos propulerunt Unitos, motu vero (f. 165) proprio, ad nudum libitum, introduxerunt non Praesentatos.

Adjungo praeterea Excellentiae Vestrae Ill.mae epistolam scriptam a quodam facto Disunito Presbytero, Basilio Mokrzycki, creato Perejaslaviae Decano Braclaviensi (qui tamen non est istorum Mokrzyciorum qui mihi inserviebant), cujus epistolae originale habebitur apud Procuratores meos.

Post discessum meum Vladimiria in Ukrainam, accepi nunc notitiam quod Ill.mi Domini Luceoriensis et Chelmensis Episcopi,[238] fine cognoscendarum praetensionum, me inter et Ill.mos Coadjutores meos, condescenderunt Vladimiriam, sive ad residentiam meam Vladimiriensem, ad Kupieczow; non suppono ut aliquem ibidem facerent actum sine me, sed si quid factum esset ab ipsis, humillime supplico Excellentiae Vestrae Ill.mae ne hujusmodi ipsorum actus in praejudicium aliquod meum vergat aut dirigatur, nam ego ab ipsamet Excellentia Vestra Ill.ma obligatus ad attendenda majora Religionis negotia, fui certificatus de non attentandis quid quam contra me aut in mei absentia.

Habito summo animi dolore super incarceratione, plus quam integro anno, Rev.di Glinski, Instigatoris mei Kijoviensis, apud Exercitum Polonorum in Trojanow non praetermisi etiam istum visitare incarceratum et cum expetierim Magn.m Dominum Dzierzak, Subalternum Regimentarium, ut ipsum dimitteret, respondit mihi, quod iste illum etiam de conscientia tenetur eliberare, qui tradidit ad carceres videlicet Rev.di Prymowicz atque Lubinski, qui nunquam fuit Capellanus in exercitu. Supplico igitur Excellentiae Vestrae Ill.mae quatenus dignetur monere istos Presbyteros ut ex nunc curent elibe-

---

[238] Sylvester Rudnyckyj — Luceoriensis (1752-177), et Maximilianus Ryllo — Chelmensis (1759-1785) Episcopi.

rationem, (f. 165v) aut probent falsissime oppositum crimen ac si lesionis Majestaticae quod utique probare non poterunt, consequenter illos ipsos idem crimen afficit, pro quo justissime incarcerari deberent, ita hic omnes cum praecitato Magnifico Dzierzak, subalterno Regimentario, definiunt.

Scripsi jam ego Varsaviam, ad Ill.mum Dominum Stempkowski, Regimentarium, qui cognita in parte innocentia alte dicti incarcerati Instigatoris, declaravit, ipse suam interpositurum curam ut dimitti possit de carceribus et ad alios etiam Magnates opportunum juvamen et protectionem implorans, cum omni distinctissima veneratione et cultu maneo.

Excellentiae Vestrae Ill.mae et Rev.mae

Servus humillimus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metrop. t. Russiae

Excellentia Vestra Ill.ma appromisit Varsaviae, et injunxit Coadjutoribus meis, quod quilibet circa regressum ad Dioecesim suam, debuerunt mihi opus charitativum sive Cathedraticum, quod perceperunt ex Clero ad assem, ad manus mihi exsolvere, at hucusque declaratio eorum non est subsecuta, humillime exposco serio incumbere ut in hac necessitate mea summa suppeditent et reddant Cathedraticum tantisper.

Radomysliae, 1773, die 5 Iunii.

185.

Radomyslia, 13. VI. 1773.

Aliud exemplar correctum sponsionis pro eliberatione incarceratorum Berdyczoviensium.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, fol. 202.

Copia Sponsionis datae ab Excell.mo Metropolitano Ill.mo Szyrkow, Generali exercituum Russiae.[239]

Ego Felicianus Philippus Wolodkowicz Archi-Episcopus Metropolitanus totius Russiae, referendo me ad desideria Ill.mi D.ni de Szyrkow Generalis Majoris Exercituum Russiae, Reversale meum pro eliberandis e carceribus Presbyteris meis in Arce Berdyczoviensi prope annum sub Custodia Exercitus Russiae constitutis, die 16 Maii 1773 Berdyczowiae datum compleo per infra scripta puncta (f. 202v): *1.mo*, Quod sacerdotes in carceribus nunc constituti, postquam dimissi exhiterint, pacifice secundum vocationem suam se gerent; *2.do*, Quod iidem expectabunt justitiam super injuriis illatis per ereptionem sibi propriarum Parochiarum; *3.tio*, Quod sicut nunquam excitabant tumultus contra quemque in populo ita et nunc non excitabunt; *4.to*, Quod ex se ad rixas aliquas nemini dabunt occasionem et si quis accusaverit coram me aliquem ex eliberatis Presbyteris de non observatione praedictorum punctorum et

[239] Cfr. redactionem praecedentem sub dat. 16. V. 1773, et ultimam sub dat. 24. VI. 1773

justas praebuerit probationes, exemplarem justitiam facere promitto, non dubitans quin et ipsis in illorum injuriis praestabitur satisfactio. Quod supplementum Reversalis propter majorem fidem manu propria subscribo.

Dat. Radomysliae, die 13 Junii 1773 anno.

FELICIANUS WOLODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae

186.

Radomyslia, 13. VI. 1773.

Alia forma sponsionis dandae auctoritatibus rossiacis pro eliberatione sacerdotum Berdyczoviae incarceratorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, fol. 208.

Projectum autem Reversalium est ejusmodi:[240]

Ego Felicianus Wolodkowicz Archiepiscopus Metropolit. totius Russiae conformando me ad desiderium Ill.mi Domini Szyrkow, Generalis Majoris Exercituum Russiae, reversales meas pro eliberandis ex detentione Presbyteris meis, in Fortalitio Berdiczoviensi sub sequestro Praesidii Russici existentibus, die 16 Maij 1773 Berdiczoviae datas compleo in infrascriptis articulis: 1mo. Quia Presbyteri ex sequestro Berdiczoviensi liberati tranquille manebunt, ad haec beneficia suscepta nunc in orthodoxos Presbyteros non redibunt, et ne minime quidem illis adversabuntur, aut turbas excitabunt; 2do. Quia sicut nunquam contra quemquam fomentarunt plebem, ita et nunc eandem non fomentabunt; 3tio. Quia nemini suppeditabunt quamlibet causam ad jurgia, et si quis liberatorum Presbyterorum accusatus fuerit ab aliquo coram me super non servatis ejusmodi articulis justaeque allegatae fuerint convinctiones. Si de istis nunc liberatis Unitis Presbyteris Exercitus Russicus aliquos praetendet, hos sine mora sistere obstringor. Quod supplementum Reversalium propter meliorem fidem manu propria subscribo, et solito sigillo firmo.

Dat. Radomysliae

187.

Radomyslia, 19. VI. 1773.

Enucleationes quaedam in materia transactionis cum Coadiutoribus in materia iurisdictionis, de inadimpletis conditionibus ex parte Coadiutorum, et de presbyteris incarceratis Berdyczoviae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 166-167.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Ex literis meis de die 5 et 22 elapsi ad Excellentiam Vestram Ill.mam, Rev.mam scriptis genuinam explicationem redditurus, palam, sincereque

---

[240] Cfr. sub dat. 16. V. 13. VI. et 24. VI. 1773.

profiteor mentem meam ab inita cum Ill.mis Coadjutoribus meis motivo reconciliationis non fictae, et spiritualis boni a Sancta Sede intenti concordia minime alienam fore, dummodo ipsimet Ill.mi Coadjutores ex parte sua aufferant impedimenta. Res per se evidens est, et nulla interpretatione indiget, Ill.mos Coadjutores eousque non posse frui effectuatione dictae Concordiae, donec adimpleant omnes conditiones quae ex mutuo nostro consensu sunt stabilitae. Porro ipsemet contextus alte memoratae Transactionis luculentissime demonstrat, ante omnia discutiendo esse meas praetensiones et restituendam eam portionem quam contra mandatum Sacrae Congregationis Propagandae Fidei adhuc in anno 1769 emanatum, stante illorum administratione, apud se retinuerunt. Id ipsum a Sancta Sede specialiter sibi injunctum multoties per humanissimas suas Literas Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma mihi intimavit, et non exequendas Transactiones nostras donec in hoc puncto satisfactio praecedat declaravit. Nunc autem mutato consilio et ordine, suggerit medium, quatenus detruncationem ex portione Ill.mis Coadjutoribus designata acceptarem, at quomodo ejusmodi compensatio ex proventibus meis non ex obligatione alicujus debiti, sed ex mera duntaxat benevolentia et largitate oblatus justa, ac conveniens dici mereatur, quae caeteroquin neque debitum et praetensiones meas adaequare potest, multo magis dispositionem meam in praecedentibus Literis Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae significatam effectuare. Insuper periculum satisfactionis mihi debitae perinde futurum nemo non videret, quoties mente resolveret Ill.mos Coadjutores hanc obligationem debitae mihi restitutionis ex administratione bonorum meorum contraxisse, et tamen ne tunc quidem cum omnes proventus ex illis perceperunt, non attentis etiam mandatis Sanctae Sedis satisfactionem minime praestitisse, unde non obscure patet Ill.mos Coadjutores, praetermissa satisfactione debita, accelerationem effectuationis Concordiae nobiscum initae praetendentes, dare (f. 166v) motivum recedendi a dicta Concordia in nullo alio puncto praeter mox expressum favorem mihi commendata.

Quod attinet moram in regestrandis praetensionibus meis hucusque protractam, illa mihi imputari minime valet. Siquidem accelerationem ejusmodi regestrationis non minus ac satisfactionis desidero, continuoque designatis a me Lustratoribus inculco, ut quanto citius fieri poterit injunctum sibi opus perficiant. Sed persuasus esse debeo quod bonorum utriusque sedis longe a se dissitorum lustratio, dissipatorum per Russiam Exercitus Moschovitici, et subsequentem administrationem pro tunc mihi inservientium conductio, opportunae informationes, et Documentorum collectio, atque horum omnium ordinata et diligens conscriptio justo nonnisi indigeat tempore; jam equidem quoad Bona Sedis Episcopalis Vladimiriensis omnia sunt parata, nunc autem quoad Bona Metropolitana inchoata, ut primum absoluta fuerit indilate ea transmittam, examinique et judicio Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae subjiciam. Quapropter persuasam esse Excellentiam Vestram Ill.mam, Rev.mam cupio me singularem, et praecipuam honoris ipsius rationem habere, neque perinde quia prorogationem executionis toties dictae concordiae expeto dero-

gare quomodolibet intendere, literis enim suis multoties ad me repetitis sufficientissime sum instructus, honorem Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae non minus in eo esse repositum quatenus Dispositiones Sanctae Sedis, tenorque Concordiae opera sua a nobis initae atquae ipsamet justitia, quae omnia discussionem praetensionum mearum et earumdem satisfactionem praecedenter faciendam suadent, adamussim observentur.

Insuper magna id admiratione dignum esse existimo quod Ill.mi Coadjutores tam ardenter effectuationem Concordiae cupiunt, et media quibus id facilius ac securius obtinere possent negligunt, imo talia arripiunt, ut haec effectuatio novis difficultatibus, et controversiis innodetur. Nam si hanc Concordiam sponte ac libere a me subscriptam noscunt, quam ob rationem praetermissis honestis (f. 167) et convenientibus mediis desideratam effectuationem vi ac coactione extorquere volunt. Neminem sane latet, hanc unicam et praecipuam fuisse anteactarum simultatum causam quod Ill.mi Coadjutores obliti benevolentiae et gratiae meae, per assumptionem ipsorum in successores meos praestitae, loco debitae gratitudinis formarunt sibi systema quo non per applicationem et merita sua, sed coactive, non parcendo etiam honori sui Metropolitani et Coadjuti, jurisdictionem ordinariam et pensionem eripere studuerunt. Nihilominus ego ejusmodi ingratitudinis et injuriarum, quarum majores nequidem capitalis hostis inferre accederet, obliviscendo, apetitumque ipsorum cohonestando facile me ad vota illorum praebui, confisus istis mentibus benevolentiae meae stimulis, tum reflexionibus et monitis Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae Illustrissime Coadjutores aliam honestam omnique juri ac rationi consonam mecum procedendi rationem electuros. Sed nunc experior ipsos pristino insistere systemmati pollicitamque in Concordia frangere fidem.

Plurima hujus experentiae meae habeo documenta, quae sane prolixa deductione non indigent, quin tamen de his absque ullo conscientiae scrupulo coram Excellentia Vestra Ill.ma et Rev.ma conqueri non possim, aut aliter sentire, prout se in rei veritate habent, debeam, nisi adulari vel meipsum decipere intenderem. Unum dumtaxat allego de quo ex humanissimis Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae literis mentionandi offert se occasio, quod scilicet cum Ill.mus Coadjutor meus Metropolitanus cohortatus ab Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma fuerit quatenus in hanc Archidioecesim motivo adjuvandi me in Apostolico Ministerio pergeret, et reflexo consilio ab Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma insinuatum sibi habuerit, quatenus pro majori sua authoritate et adjutorii effectu, tum etiam occurrendo ne per independentes ejus a loci Ordinario Actus Sacra Jura et Authoritas loci Ordinaria laedatur, atque schismaticis ista in Unione cernentibus scandali occasio praebeatur, negotiumque tam salutare ob privatum motivum et discordantes actus aliquam jactuaram pateretur, ad me Ordinarium Loci pro communicandis opportunis facultatibus recurrat, quam ob rationem hocce prudentissimum Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae (f. 167v) consilium spreverit, et ne quidem de adventu suo in meam Dioecesim et loco residentiae suae fixo nullo minus intentis suis certiorem me fecerit, quamvis ex alte memoratis motivis, postpositis suis privatis

rationibus, omnino id facere debuerat et cognoscere potuerat non aliter nisi cum interventu officii mei de jure, convenienter, et rationab'liter, votis ipsius posse satisfieri.

Ex hac clare et sincere aperta mente mea cognoscet Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma non a me, sed ab Ill.mis Coadjutoribus effectuandae Concordiae nostrae interpositos esse obices et dignabitur ipsis persuadere quatenus saniora arripiant media.

In negotio Cleri mei istius Dioecesis nullam habeo adhuc ab Ill.mo Romansow resolutionem, quae dum advenerit, ut mihi celerius transmittat atque de aliis circumstantiis majorem possem habere notitiam eo fine constitui ad D. Szyrkow Generalem, cui omnes Ill.mi Romansow dispositiones solent intimari, in residentem unum ex clero hujus Dioecesis Presbyterum, et ab isto expecto his diebus relationem, Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae deferendam. Maximo me gaudio replevit contextus literarum Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae, quo significatum accepi Aulae Imperialis Viennensis Ministrum sua praestiturum Officia religioni non tantum generali, sed etiam quatenus Ecclesiae Ukrainenses a schismaticis occupatae nobis restituantur. In hac enim cathegoria conjicio interventuram Authoritatem Aulae Petropolitanae quam certe non alia nisi Aula Imperialis adaequare poterit ex adverso.

In reliquis ad praecedentes epistolas me referendo, maneo cum propensissimo cultu et veneratione

Ill.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris singularissimi

addictissimus et humillimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae

Die 19 Junii 1773, Radomisliae.

Ab Ill.mo Archiepiscopo Polocensi[241] de mente et intentione Aulae Petropolitanae circa Religionis nostrae negotium forte quam nullam habeo informationem, quod sperare debeamus; quodsi de his quid certi Excellentiae Vestrae Illustrissimae Reverendissimae detulit, supplico et mihi communicaret. Deferunt mihi acsi modo Ill.mus Leopoliensis Episcopus a Perejaslaviensi schismatico consecratos Presbyteros in Braclaviensem Dioecesim recepit, absolvit et ad Beneficia promovet, cui delationi haesitanter adhuc credo.

188.

Radomyslia, 22. VI. 1773.

De promotione negotiorum Metropolitae, de non praeiudicando Metropolitae absenti, nec non de accusationibus Coadiutorum contra Metropolitanum. De querelis Coadiutoris Volodimiriensis, et de incarceratis Berdyczoviensibus, nec non de restituendis documentis interceptis a Coadiutore Volodimiriensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 184, 187v.

---

[241] Jason Smogorzevskyj, Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), qui post dismebrationem Poloniae remansit in dominio Moscoviae et multa fecit in defensionem Ecclesiae Unitae. Cfr. eius epistolas in volumine VIII.

Illustrissime, Reverendissime Domine, Patrone Obsequ.ssime.[242]

Studium atque authoritas Illustr.mae, Reverendissimae Dominationis Vestrae, quibus negotiis meis, ut etiamnum a R.D. Jachimowcz informor, Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra adesse dignatur, tantam mihi obligationem contulit, ut non modo infinitas ei reddam gratias, verum etiam omni solicitudine quaeram media, quibus condigne eidem perquam possibiles applicationes respondere queam, quod in effectu ut ostendam studuisse me curabo.

Cum ipsa natura sit comparatum, ut singulis Causis singuli praescribantur fines, hinc ego humillime Illustrissimam, Reverendissimam Vestram Dominationem rogo, quaetenus coram Illustrissimo, Execellentissimo ac Reverendissimo Domino Nuncio Apostolico efficiat hoc, ut nullomodo Illustrissimi Coadjutores mei admittantur vigore compositionis (f. 184v) ultimariae ad exercitium Jurisdictionis, nisi ante omnes, juxta obloquentiam ejusdem compositionis, proventus tempore suae Administrationis perceptos et damna sint resarcita mihi, ut hoc modo imponatur finis omnium controversiarum hinc inde.

Non dubito quin Illustrissimi Domini Coadjutores mei accusent me continuo et video ex correspondentiis qualiter quaerellae suae fidem habent; nescio vero unde verissimae meae delationes crisi alicui adscribantur. Num etenim, quod praesenti etiam tempore Illustrissimus Leopoliensis de suis hic gestis nullam mihi adusque faciat notitiam? Quod Clerum fomentat, ut minime mihi obediat, quod Disunitis blanditur et quod cum votis suis minime ad me refert. Compati haec omnia et nihil dicere vel scribere respectivis Superioribus debeam, justum hoc esset, nescio!

Illustrissimus Mlodowski, Coadjutor Vladimiriensis, conqueritur coram Excellentissimo, Illustrissimo et Reverendissimo Domino Nuncio Apostolico de sua inopia; hinc nescio ego quomodo ipsius hanc quaerellam solverem, quandoquidem conscius et ex regestris perceptorum ab ipso sub tempus Administrationis sum jam instructus de qaesitis apud ipsum notabilibus millibus florenorum Polonicalium; primo igitur explicare se tenetur quonam dispersit haec millia, et quidquid reperitur apud ipsum restituere et tandem conqueri se iuste posset.

Ratione solicitudinis meae erga interesse dimissionis ex Carceribus Presbyterorum meorum, adjungo hic copias, tum sponsionis a me subscriptae,[243] tum epistolae recenter ad me ab Illustrissimo Szyrkow Generali scriptae, reliqua explicare Suae Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationi Vestrae Procuratores mei habebunt honorem. Interea quid ulterius hoc in negotio agendum singulariter foret votum Illustrissimae ac Reverendissimae Vestrae Dominationis expecto atque profiteor, quod omnimoda cum reverentia maneo

Illustrissimae, Reverendissimae Dominationis Vestrae

addict.mus et humillimus servus

---

[242] Nuntio Varsaviensi.

[243] Cfr. textum definiticum sub dat. 24. VI. 1773.

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp).
Radomysliae, die 22 Junii 1773.

Reverendus Sawicki frustra praetendit sibi jura Ecclesiae S. Eliae Prophetae Vladimiriensis, quoniam inveniuntur documenta quod ejusmodi Ecclesia Monialibus O.D.B.M. per Fundatorem Principem Svidrigaylo applicata et incripta est.

Illustrissimus Mlodowski cum M.D. Wierzbicki Regente Terrestri Vladimiriensi plurima documenta mihi perquam his praesertim temporibus necessaria apud se tenet et post plurimas requisitiones restituere prorsus recusat, et Cosacos meos in carceribus detinet. Dignetur Illustrissima Dominatio Vestra ejusmodi contumaciae providere remedium.

189.

Radomyslia, 24. VI. 1773.

Copia, ut videtur, definitiva sponsionis pro incarceratis presbyteris Berdyczoviensibus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, fol. 206.

Die 24 Junii 1773. Radomisliae.

Felicianus Wolodkowicz Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, satisfaciendo desideriis Ill.mi D.ni Szyrkow Generalis Majoris Exercituum Russiae, meum Reversale ad effectum eliberationis ex detentione Presbyterorum meorum in Fortalitio Berdiczoviensi, fere per annum sub arresto militiae Russicae existentium, die 16 Maii 1773 Berdiczoviae datum compleo punctis infra expressis: 1.mo: Quod Presbyteri nunc incarcerati, dum erunt liberi, pacifice secundum sui vocationem vivent; 2.do: Quod iidem expectabunt justitiam in suis damnis atque injuriis, ademptione propriarum Parochiarum sibi illatis; 3.tio: Quod sicuti nunquam et contra neminem excitabant plebem ad rebellionem, ita et nunc non excitabunt; 4.to: Quod ex se nemini ad discidium praebebunt occasionem, et si quisquam ex iis coram me esset accusatus de non observantia horum articulorum, justisque id probaret documentis, declaro me cuique exemplarem praestiturum satisfactionem, certus, quod iis quoque in suis injuriis fiet justitia. Quod supplementum ad Reversale jam alias datum in majorem fidem propria manu subscribo, etc.

190.

Radomyslia, 26. VI. 1773.

Conamina pro eliberandis presbyteris Berdyczoviensibus, de praesentia Coadiutoris Metropoliae Berdyczoviae eiusque visitatio partium eparchiae et de conditionibus eius, de concordia perficienda, de monasterio Volodimiriensi monialium nec non de ulterioribus circumstantiis eliberationis presbyterorum incarceratorum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 168-170.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.[244]

Studii et sollicitudinis meae indefessae circa eliberationem Presbyterorum meorum ex captivitate hunc tandem desideratum obtinui effectum, quod brevi ex praedicta captivitate dimittentur, prout iam alias assecuratum id sibi habeo a Domino Szyrkow, Exercitus Moschovitici Generali, per literas ad me directas, Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae in copia ad praesens communicatas. Statim itaque ut easdem recepi literas humanissimum Domino Szyrkow dedi responsum, in quo gloriabar dextera ipsius et gratissima mihi cooperatione ad praemissam eliberationem, tum etiam significavi quia ad assistendum huic dimissioni mittam unum ex Rev.mis Officialibus meis Kijoviensibus, scilicet aut Gregorium Mokrzycki, Antecedaneum, vel Romanum Wyhowski, modernum. Pro ipso autem actu dimissionis meam obtuli praesentiam majoris consolationis Presbyterorum captivorum gratia, tum etiam ut ipsos confirmem ad ulteriores molestias in patientia sustinendas et instruam quomodo illas evitare meisque ulterioribus in isto negotio passibus conformari debeant. Super apposita conditione in iisdem Domini Szyrkow literis, videlicet quatenus novum ipsi transmittam reversum cum additamento,[245] assecurando principaliter: quod dimissi ex captivitate Presbyteri ad suas non debebunt reintegrari Parochias, diu haesitabam, ac tandem exquisito consilio Ill.mi Coadjutoris mei Metropolitani nunc Radomisliae praesentis consideratoque aliter non lucraturum dimissionem, subscripsi easdem reversales in eo verborum tenore prout in Copia hic annexa sunt expressae. Nihilominus cuperem ego omnes eo intendere conatus, quatenus Ecclesiae etiam et Parochiae suis legitimis restituantur unitis Parochis, eo potissimum motivo ne praedicti miseri Parochi modo vivendi destituti, necessitate pressi (f. 168v) in spiritu vacillent et cum majori dedecore atque Unionis Sanctae iactura periculo apostasiae se exponant; verum cum hocce propositum meum a regula negotiationum Monarchicarum dependere videatur, proinde supplico Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae, quatenus me in praemissis pro majori sua notitia instruere dignetur, promptum et alacrem animum ad acceptatum finem dirigere.

Proxime praeteritis diebus advenit Radomysliam cum numeroso comitatu Ill.mus Coadjutor meus Metropolitanus, quem humanissime excepi, cernendo reciprocam ipsius accomodationem; melius sibi consuluisse videbit, si hanc etiam in posterum sibi regulam elegerit. Praesentavit mihi novum Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae instrumentum pro visitatione Apostolica Decanatuum Kijoviensium in personam ipsius emanatum. Supplicavitque mihi quatenus executionem ejus in Dioecesi mea permitterem. Non difficilem me his Episcopi praebui votis et adoptionem dedi quatenus sive mox dicti instrumenti sive facultatum mearum ordinariarum vigore praedictam Visitationem a De-

---

[244] Nuntio Varsaviensi.

[245] Cfr. sub dat. 24. VI. 1773.

canatibus Czehrynensi, Smielanscensi, Mosznensi, Humanensi, Tetijoviensi, Bialocerkieviensi, Bohuslaviensi et Korsunensi utpote vel maxime eandem visitationem requirentibus, ex eo precipue quia ad Ecclesias in modo dictis Decanatibus sitas potissimum sibi jus competere Episcopus Perejaslaviensis schismaticus praetendit, ante omnia inchoaret, et mediante ista visitatione utrum praedictae Ecclesiae in praemissis Decanatibus iam post annum 1717, qui in praeterito tractatu inter Rempublicam et Imperium Moscoviticum inito pro anno normali assumptus est, sunt fundatae, et a quo? tum etiam cum cujus Ordinarii licentia erectae et consecratae? Nec non Parochi ad easdem promoti a quonam Episcopo sunt consecrati et instituti? atque de aliis circumstantiis in instructione mea expressis ad refellendum praetensum jus Episcopo Perejeslaviensi opportunis et pernecessariis informationem caperet, jam vero Visitationem Decanatuum (f. 169) Radomysliensis, Zytomiriensis et reliquorum, ad quorum Ecclesias schismatici nullum jus sibi praetendunt, et Parochos unitos in pacifica possessione reliquunt, quoniam haec visitatio finem et necessitatem praesentem non attingit, ad aliud tempus bene visum differat, praesertim cum ex his posterioribua Decanatibus Clerus meo et Ill.mi Coadjutoris Universali Radomysliam convocatus, a die 9 presentis veteris styli ad 29 ejusdem, sufficientissimum sibi designatum habeat tempus, omnes suas necessitates coram nobis exponendi et remedia quae visitationi aequivalent ab utroque nostrum facilius et cum minori dispendio reportandi, atque iam in potissima parte exposuit et reportavit. Hoc meum votum ex praemissis rationibus dignetur etiam Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma recommendare Ill.mo Coadjutori, alias enim apud publicum non evitabit suspicionem magis ipsum proprium commodum quaerere quam necessitatem et finem ab Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma intentum spectare.

Id mihi etiam displicuit quod Ill.mus Coadjutor viginti circiter personas ad Sacros Ordines asprirantes secum conduxerit, expetendo a me licentiam consecrandi eosdemmet ad Beneficia in hac Dioecesi instituendi, quamvis serio sibi a Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma injunctum habeat, quatenus a consecrendis novis Parochis abstineat; eo justissimo ac prudentissimo motivo, ut scilicet ex captivitate dimissi miseri Presbyteri et alii a Schismaticis expulsi nunc vagantes habeant modum vivendi et ad justum tempus reclinatorium, quo motivo et ego ductus hanc licentiam denegavi rationibus Ill.mi Coadjutoris, ne scilicet ad haec vacantia Beneficia habeant aditum Schismatici, minime attentis, tum quia ille timor in illis partibus, ubi ad Ecclesias nullum sibi hucusque jus praetendebant schismatici vanus est et per (f. 170v) substitutionem actualium Presbyterorum in captivitate jam probatorum longe melius tolli possit, tum quia ejusmodi expostulatio ostentationem potius jurisdictionis et privatum lucrum redolet.

Quoad punctum effectuandae nostri concordiae palam Ill.mo Coadjutori repetii ea quae in praeteritis literis meis ad Excellentiam Vestram Ill.mam, Rev.mam scriptis expressi, nimirum ut mihi de retentis proventibus meis et aliis causatis damnis tempore Administrationis suae respondeant et ante omnia

satisfactionem ad tenorem Concordiae praebeant. Quia vero harum praetensionum descriptio hucusque prorogata, videt nunc ipsemet Ill.mus Coadjutoquod illud non est a me consulto procuratum medium, sed per inordinatas dispositiones tempore administrationis et involutiones in absentia mea factas causatum.

Denique communico Excellentiae Vestrae Illustrissimae, Rev.mae copiam epistolae meae ad certum apostatam scriptae, cujus ratione admonet me in suis literis Dominus Szyrkow; non video ego aliquid in ejus tenore contineri quod justam admonitionem meam pastoralem excedat. Et circa haec cum profundissimo cultu et veneratione maneo

Illustrissimae, Rev.mae Excellentiae Vestrae, benefactoris mei singularissimi

Servus humillimus

F. Wołodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae

Die 26 Iunii 1773, Radomysliae.

R. Sawicki injuste molitur et impugnat contra R.m Szczurowski, Confessarium Monalium O.S.B., quae per me eriguntur penes Ecclesiam S. Eliae Prophetae, penes quam Ecclesiam antiquissimam per Principem Svidrygaylo Moniales Ord. S.B. erant fundatae, quod patet ex Documentis et Privilegiis, sed per hostilitatem hoc Monasterium sublatum et Moniales multa martyria passae decolatae sunt et ut liber sim in consciencia legens documenta et ut satis faciam juramento meo avulsa recuperare, ut major sit gloria suscepi onus pro me ut de nova radice erigam Monasterium una cum Ecclesia murata et Moniales jam sunt congregatae ad duodecim...

Additamentum ad Epistolam: Quandoquidem Ill.mus Generalis Exercituum Russiae in epistola sua ad me data, in qua eliberationem seu dimissionem e carceribus Presbyterorum Berdyczoviae adusque detentorum promittit, inter alias hanc vel maxime apponit conditionem ut dimissi Presbyteri ad suas Parochias non revertantur, et ego cupiens ipsos quam citissime eliberare, in mea sponsione, cujus copiam annecto, promisi quod dicti Presbyteri expectabunt justitiam in injuriis ipsis illatis per ereptionem propriarum Parochiarum; proinde ne educti e carceribus sine modo sustentandi relinquantur et in scandalum ac ludibrium mendicando panem vagentur, costitui apud me praefatos Presbyteros in numero 46 post dimissionem e carceribus locare in meis bonis, ipsisque tantisper tam victum quam amictum providere, et si aliquid inveniatur vacans Beneficium, statim ad illud promovere, ut habeant locum sistendi donec, Deo dante et cura ac solicitudine Ill.mae Excellentiae Vestrae, ad proprias restituentur Parochias. Plurimi etiam sunt qui per Protopopas non unitos ex mandato Episcopi Perejeslaviensis a propriis Ecclesiis expulsi in vicinis Dioecesibus, nempe in districtu Rzeczycensi et Mozyrensi in Polesia, tum etiam in Dioecesi Luceoriensi celantur, et his ego quantum potero providere conabor. Non pauci sunt qui post ordinatos a me et mediantibus legitimorum Patronorum et Collatorum praesentationibus institutos, quaesitis modis et subdole curarunt ordinari et institui ab Ill.mo Coadjutore meo ad eadem Beneficia legitimosque

Parochos interturbare et inquietare ausi sunt et etiam nunc non desistant, hos utpote intrusores et jus non habentes, ut Ill.mus Leopoliensis in suam Dioecesim recipiat, dignetur Sua Ill.ma Excellentia Vestra injungere.

In quibus meis curis et difficultatibus, ne me Ill.mi Coadjutores inquietent sed in pacifica bonorum possessione ac Regimine Spirituali, donec finis calamitatum subsequetur, relinquant, imo unitis viribus et unanimi voto ac consilio bono publico Hierarchiae nostrae cooperentur summopere desidero et posco.

Toties dictis Presbyteris in meis bonis constituendis commendabo ut pro Pontifice ejusque in longaevos annos incolumitate tum etiam pro Suae Ill.mae Excellentiae ferventer Deum T. O. M. orent aeque ac ego in quotidianis precibus semper sum memor.

191.

Radomyslia, 30. VI. 1773.

Coadiutori Metropolitae de eius praetensionibus in materia cessionis iurisdictionis, nec non ulterius instat pro exsecutione articulorum iam concordatorum antequam ad ulteriora procedatur.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 172, 175; fol. 173-4 (textus polonicus)

Traductio Literarum Ill.mi Domini Metropolitani totius Russiae, datarum ad Ill.mum Coadjutorem Metropoliae, sub die 30 Iunii 1773. Radomislia.

Illustrissime, etc.

Intentio mea vero fuit conjungendi me cum Dominatione Vestra Ill.ma qua Coadjutore meo quoad curas zelo animatas pro integritate Religionis Sanctae, ad quem effectum etiam ab Excellentissimo Nuntio exhortatus fui, et quo adhuc major in me spes fuit excitata, dum accepi notitiam, Dominationem Vestram Ill.mam venturam Radomysliam fine coadjuvandi labores meos; verum secuto adventu suo eo majorem Dominatio Vestra Ill.ma mihi praebuit occasionem doloris, demandata intimatione quorundam instrumentorum (*A*), jam post abscessum Postae.

Sufficientissime Excellentissimus Nuntius est informatus, quod ex expresso ejus mandato fecerim meum passum ex Volhynia directe Berdiczoviam; eo libentius reliquos dies meos offeram pro defensione Sanctae Fidei, et obsequio meae Dioecesis, quia in ipso operationum mearum initio hanc in corde meo sensi dulcedinem, quod spem habeam, brevi e detentione Berdiczoviensi, mea sollicitudine mediante incarceratos eliberandos fore.

Desideria Dominationis Vestrae Ill.mae suis in literis ad me datis expressa, adimpleta per me esse non potuerunt, quia non prius Dominationi Vestrae Illustrissimae jurisdictionem cedere potero, nisi postquam in justis praetensionibus meis plene satisfactus ero, quemadmodum est expressum in ultimis transactionibus nostris Varsaviae initis, dum ergo antecedens non subsistit, (f. 172v) etiam consequens debet cadere. Accelerationem faciendae calculationis, verificationem et compensationem damnorum in bonis meis patratorum

ego met ipse desidero, prout ipsamet Dominatio Vestra Ill.ma Testis est quod commissarii (*B*) a me deputati meaque ex dispositione coeptum opus conscribendarum Praetensionum finire satagunt.

Dominatio Vestra Ill.ma instat ut ei sponte cedam jurisdictionem, ego autem contrarias accipio notitias, ipsam notabilem numerum Presbyterorum Radomislia ad Miniyki conduxisse, demandasseque Domino Prymowicz quatenus eosdem violenter cogat ad certas contra me subscriptiones Varsaviam mittendas, imo adhuc Radomisliae nonnulli subscribebantur Presbyteri.

Hoc adhuc Dominationi Vestrae Ill.mae ad reflectendum addo, possum ne ego sponte et pacifice cedere Dominationibus Vestris Illustrissimis jurisdictionem, dum ipsi enixis suis ad Excellentissimum Dominum Nuntium instantiis, prout ipsemet Excellentissimus D.nus Nuntius praesenti cursoria mihi notificat, citationem ex Sacra Nuntiatura exportarunt, et jure mecum agere caeperunt? Hinc ego Dominationes Vestras Ill.mas imitando similiter finem juridicum expectabo. Licitum ne est quod Ill.mus Coadjutor meus Vladimiriensis (f. 175) ex instictu suo, facto condictamine cum possessoribus Arendatariis (quibus tam stante administratione, quam etiam post Decretum redintegrationis Bona Episcopatus Vladimiriensis illegitime dimiserat, a quibus violentiae et damna irreparabilia illata mihi fuere) audet me provocare ad Forum Saeculare, maxime cum omnes utriusque praetensiones a Sacra Nuntiatura ad Commissionem pro disjudicatione sunt remissae.

Insteti jam aliquoties ad Dominationes Vestras Ill.mas pro plena restitutione documentorum omnium ad calculationem faciendam requisitorum, sed semper absque effectu. Quomodo ergo Dominationes Vestrae Ill.mae volunt accelerare hoc opus calculationis, dum meis requisitionibus satis facere renuunt? De his omnibus Excellentissimum D. Nuntium et S. Congregationem certiorem reddidi, easdemque meas intentiones exposui Rev.mo Vice-Praefecto.

Maneo debita pro semper addictione et existimatione

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae addictissimus Frater

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metrop.

P. S.-D. Luniewski ad requisitionem Dominationis Vestrae Ill.mae non (f. 175v) comparuit Radomisliae, neque documenta transmisit, unde nova difficultas emersit propter DD. Commissarios, qui indagationem facere debebunt, sed D. Luniewski dum noluit sponte, debebit, coactus judicialiter, cum documentis venire.

Postscriptum 2dum, manu propria soliusmet Ill.mi Metropolitani:

Expresse exprimo quod ad nulla mea consilia Dominationis Vestrae Ill.mae consilio et adjutorio indigeo; quoniam saluti meae, concreditis in ovili meo, dabo ipsemet consilium, Ovibus, quamvis ab Ill.ma Dominatione Vestra sint fomentatae.

INDEX NOMINUM ET RERUM INVENITUR IN PARTE II.

INDEX GENERALIS

Dedicatio v
Praefatio vii
Introductio ix

Felicianus Philippus Wolodkovycz

I. Brevis biographia xi
II. Documenta biographica selecta xvii

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVYCZ

Episcopi Chelmensis 1
Episcopi Volodimiriensis 18
Metropolitani Kioviensis (usque ad diem 30 - VI - 1773) 75

INDICES

Index nominum et rerum - in parte II, volumine VI
Elenchi Pontificum, etc. - in parte II, volumine VI

TABULAE

Stemma Ordinis Basiliani S. Josaphat v
Effigies Feliciani Philippi Wolodkovycz xiii

p. Joanikij osbm
03.12.2020, Roma

«ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI»

Ex Sectione tertia « DOCUMENTA ...ex ARCHIVIS ROMANIS »

Monumenta Bio-Hagiographica

S. Josaphat - Hieromartyr. Documenta Romana Beatificationis et Canonizationis.

vol. I: 1623-1628, Romae 1952; vol. II: 1628-1637, Romae 1955;
vol. III: 1637-1867, Romae 1967;

Documenta Pontificum Romanorum

Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia,

vol. I: 1075-1700, Romae 1953; vol. II: 1700-1953, Romae 1954;

Audientiae SS.mi de rebus Ucrainae,

vol. I: 1658-1779, Romae 1963; vol. II: 1780-1862, Romae 1965;

Acta S. Congregationum

Acta S. C. de Prop. Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantia,

vol. I: 1622-1667, Romae 1953; vol. IV: 1740-1769, Romae 1955;
vol. II: 1667-1710, Romae 1954; vol. V: 1769-1862, Romae 1955;
vol. III: 1710-1740, Romae 1954;

Litterae S. C. de Prop. Fide Eccl. Cath. Ucrainae et Bielarusjae spectantes,

vol. I: 1622-1670, Romae 1954; vol. V: 1758-1777, Romae 1957;
vol. II: 1670-1710, Romae 1955; vol. VI: 1777-1790, Romae 1957;
vol. III: 1710-1730, Romae 1956; vol. VII: 1790-1862, Romae 1957;
vol. IV: 1730-1758, Romae 1957;

Congregationes Particulares Eccl. Cath. Ucrainae et Bielarusjae spectantes,

vol. I: 1622-1728, Romae 1956; vol. II: 1729-1862, Romae 1957;

Epistolae Metropolitarum

I. *Josephi Velamin Rutskyj* (1613-1637), Romae 1956.
II. *R. Korsak, A. Sielava, G. Kolenda,* (1637-1674), Romae 1956.
III. *C. Zochovskyj, L. Zalenskyj, G. Vynnyckyj* (1674-1713), Romae 1958.
IV. *L. Kiszka, A. Szeptyckyj, F. Hrebnyckyj* (1714-1762), Romae 1959.
V. *F. Wolodkovycz* (1762-1778), Romae 1967.
VIII. *J. Smogorzevskyj* (1780-1788), Romae 1965.

Litterae Nuntiorum Apostolicorum

Litterae Nuntiorum Apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes (1550-1850).

vol. I: 1550-1593, Romae 1959; vol. VI: 1639-1648, Romae 1962;
vol. II: 1594-1608, Romae 1959; vol. VII: 1649-1651, Romae 1962;
vol. III: 1608-1620, Romae 1959; vol. VIII: 1652-1656, Romae 1963;
vol. IV: 1621-1628, Romae 1960; vol. IX: 1657-1659, Romae 1963;
vol. V: 1629-1638, Romae 1961; vol. X: 1659-1663, Romae 1965;
vol. XI: 1664-1669, Romae 1967;

Supplicationes Ecclesiae Unitae Ucrainae et Bielarusjae.

vol. I: 1600-1699, Romae 1960; vol. III: 1741-1769, Romae 1965;
vol. II: 1700-1740, Romae 1962;

Diplomata Imperatorum, Regum, Principum (parantur)